double

vid Li. D. 5.

[illegible]

Kotowski na Kanonicach N° 73

Smalcius (Schmalz) V. od imienia ojca nazywał
siebie czasem Nicolaides, ur. w Gotha 1572, jeden
z najcelniejszych pisarzów socyniańskich, rektor
szkoły w Śmiglu, ożeniony z polką Wolowską. Mi-
nister zboru w Lublinie i Rakowie, gdzie umarł
1622. Pisał dzieła polemiczne w językach ła-
cińskim, niemieckim i polskim. —

DE CHRISTO, VERO ET NATURALI DEI FILIO, Liber unus.

Oppositus ei, quem sub eodem titulo Martinus Smiglecius JESUITA *edidit,*

Et,

REFUTATIO LIBELLI

ejusdem Smiglecii, quem de Satisfactione CHRISTI pro peccatis nostris inscripsit.

Autore

VALENTINO SMALCIO

Cœtus Racoviensis Ministro.







RACOVIÆ,

Typis Sternacianis,

Anno 1616.


BIBL. Z.N.IM.
OSSOLIŃSKICH


BIBL.
Z.N.O.



GENEROSO DOMINO,

D. CHRISTOPHORO

SIÉNIUTA, Domino & heredi in Lachowce, &c.

DOMINO SVO COLENDO.

NON parum certè illi ſapiunt, qui inter dogmata Chriſtianæ religionis ad ſalutem longè utiliſſima, hoc, quod Chriſti tum perſonam tum munus ſpectat, tantùm non palmam tenere ſẽtiunt. Ea enim pars, quæ Chriſti perſonam reſpicit, veram ſummi Dei gloriam, & perfectam ſalutis noſtræ firmitudinem continet; altera verò pietatem, ſine qua Deum viſurum neminem ſcriptura ſ. teſtatur, inſigniter nobis commendatam reddere poteſt. Cùm enim, ut de priori priùs agamus, Dei gloria in revelatione divinorum ipſius attributorum, qualia ſunt, potentia, ſapientia & bonitas, conſiſtat: ecquod opus eſſe poteſt, in quo omnia iſta illuſtriùs appareant, atq; eſt exaltatio Chriſti Domini noſtri: quem, cùm antea naturâ homo eſſet, Deus talem effecerit, ut ſit ipſe a Deo ſecundus, & ejus poteſtas ſumma. Noſtræ verò ſalutis tanta eſt ex eo firmitudo, ut eam non tantùm promiſſam & mirè confirmatam, ſed etiam ob oculos nobis depictam, & in manu noſtra quodammodo poſitam eſſe, jurè gloriari poſſimus; cùm ſciamus, hominem Ieſum, qui ſalutem iſtam nobis promiſit & confirmavit, eam conſecutum eſſe, & poteſtatem, cui velit eam largiendi, abſolutam accepiſſe. Quæ omnia, ſi non tolluntur, ſaltem obſcurari per adverſariorum de divina in Chriſto natura ſententiã, manifeſtiùs eſt, quàm ut longa probatione egeat. Quæ enim Dei in eo gloria eſt, ſi Chriſtus id, quod eſt, eſt neceſſariò?

 ceſſariò?

cessariò? Quæ itidem ex eo salutis firmitudo promanare potest, si is, qui salutis nostræ dux est, ita mortalis fuit, ut nihilominùs aliquid in se haberet, quod illum necessariò immortalem redderet, cùm nos ita mortales simus, ut nihil in nostra natura sit, quod nos immortales efficere queat. Smiglecius, ut verbis nostram sententiam elevet, Arii eam hæresin & Ariana deteriorem proclamat: sed Arii eam non esse, jam antea a nostris probatum est firmissimè, nec diffitentur id alii adversarii. Deteriorem Arianâ esse procul dubio ideo credit Smiglecius, quia non tantùm negemus, filium Dei esse eundem Deum, qui pater est: sed etiam quia nullum prorsus filium Dei ante & præter eum, qui operâ Spiritus S. ex virgine Maria conceptus & natus est, agnoscamus. Sed qui rem paulò expendit altiùs, contrarium ejus deprehendet; nempe deteriorem nostrâ fuisse Arianam confessionem, nostram verò puriorem esse Arianâ. Ariana enim confessio, quoad filium Dei, ultimas tantùm veritatis Apostolicæ, quam tunc universalis corruptio invaserat, reliquias ægrè tenebat & tuebatur: nostram verò integrum veritatis Apostolicæ corpus continere & proponere, indies magis magisq; innotescet. Cogitet autem Smiglecius, quàm durum sit illi & omnibus ejus sociis futurum bellum, si ss. literis hæc cõtroversia sit decidenda; si quidem Arii de filio Dei sententia, qui in multis cum Homousianis idem sentiebat, & filium Dei, antequam ex Maria nasceretur, extitisse somniabat, ex ss literis refutari non potuit: sed ad opprimendum eam unà cum autore, humanâ, hoc est, ecclesiæ & Imperatorum autoritate opus fuit. Altera verò sententiæ de Christo veræ pars, quæ munus ipsius spectat, nonné ad veram pietatem perpetuum nobis est calcar? siquidem audiamus, Deum, præter omne nostrum & alicujus alterius meritum, ex mera sua clemẽtia omnia nobis peccata remissurum, dũmodo in posterũ reliquum vitæ tempus in vero ejus metu transigamus, & ita fidem nostram in Deum & Christum probemus. Rapit certè unumquemq; tanta Dei æquitas, rectitudo & misericordia,

cordia, ut, nisi deploratus sit, vel mentis parum compos, aliter agere nequeat. Cùm interim dogma satisfactionis vel meriti Christi, quod vocant, homines vel a vera pietate deterrere, vel saltem in studio illi⁹ segnes reddere potis sit; ut, proh dolor, experientia, rerum magistra, satis superq; docet. Ingentes igitur & immortales Deo debentur gratiæ, qui tam sacrosanctam veritatem, unà cum aliis non paucis Christianæ religionis mysteriis, nobis, qui respectu aliorum, ad modum contemtibiles sumus, alto suo consilio patefacere non dedignatus sit; & nihil non faciendũ, imò & patiendum est omnibus, quibus Deus istam gratiam concessit, ut hæc veritas sarta tecta conservetur, & vera pietate ornata, aliis etiam quàm commendatissima indies reddatur. Vt ut enim ignorantia horum mysteriorum per se neminem damnet, damnaret certè eorum contemtus. Quæ quidem, ut causa sunt, cur nostri cœtus varias in se adversariorum inimicitias convertere, & omnia denique prodigere malint, quàm ea tacere, quæ sibi a Deo habent concredita: sic me etiam impulerũt, ut cum homine, qui, brachio humano potiùs quàm sacris literis fretus, in nostram hanc confessionem ita involare ausus fuit, ut neminem parem ea in re habere videatur; quiq; nos universo mundo conspuendos propinare satagit, cum Smiglecio Iesuita, inquam, congressus, hactenus ipsius furias in me sustinere malim, quàm permittere, ut veritati & ejus professoribus tam insolenter insultet. Cum quo quidem Smiglecio, quomodo agam, Deus judicabit & tempus veritatis parens docebit. Equidem, quod animum meum attinet, Deum testari possum, me nihil unquam mali imprecatum esse Smiglecio, imò perpetuò Deum pro illo deprecor, quod an ille fecerit unquam, jurè dubitare posse videor. Quod ad ipsam disputationem attinet, primùm solis SS. literis rem totam confectam esse cupio, cùm ille sine patrũ suæ ecclesiæ, vel saltem a se facientium, autoritate vix unquam aliquid dicere possit. Deinde argumenta ab eo proposita, quanto fieri potest, maximo candore propono, &

 dire-

directè refutare conor: cùm ille rarò nostra non cavilletur, & ad ea vix unquam absq; dolo & arte sophistica respondeat. Tum a calumniis & conviciis prorsus, quantum quidem mihi sum conscius, abstineo, & nec dolo unquam quicquam ago, nec contemtu ipsius, mea commendata esse cupio: cùm Smiglecius, quasi oblitus sit, calumniatores & convitiatores regnum Dei non possessuros, perpetuò suam scriptionem illis interpolet; sine dolo autem vix ullum argumentum tractet; contemtum deniq; nostri tantum prodat, ut major esse nequeat. Nam non tantùm idiotas, sed etiam rudissimos nos appellat, & Suem Minervam docere, si aliquid adversùs patrum sententias (admodum pueriles, & quibus ipsimet Iesuitæ pro libitu censuras adhibent,) afferamus, asserere non dubitat: cùm tamen satis superq; experti sint, quâ scripto, quâ colloquiis, Iesuitę, sibi non cum fungis, sed cùm iis, qui veritatem ita tenent, ut nunquam a proposito deviare Iesuitæ possint, rem esse. Sed quia hodie ita sunt tempora, ut omnia vi gerantur in religione, Deo rem totam judicandam committimus.

Iam verò, cùm, cuinám hunc meum quantulumcunq; laborem dedicarem, circumspicerem; Tu mihi, VIR GENEROSE, inter omnes hoc tempore occurristi. Æquum enim putavi, ut tibi ad cætum nostrum, non sine divino fato accedenti, hac ratione gratularer, & te in veritate, cujus potissimùm causâ omnium odiis & maledictis expositi sumus, quantum in me est, confirmarem & corroborarem. Faxit Deus, ut ipsemet vera pietate clareas, & illustri tuæ familiæ universæ ad puriorem Dei & Christi cognitionem amplectendam facem quasi pręferas, dignus futurus omnium piorũ adeoq; ipsius Dei & Christi amore, & beata illa immortalitate, quam omnibus sui amantibus Deus per Christum pręparavit. Racoviæ 1. April: Anno 1616.

Generositati tuæ addictissimus
Valentinus Smalcius.

Præfatio ad Lectorem.

In qua duæ nostræ præfationes, altera ad inclytas Vrbes Prussicas, altera ad Lectorem edita, a vanis Smiglecii insultibus vindicantur.

PRÆ festinatione nimia, & desiderio fortassis applausus popularis ex tàm citò publicata responsione, Smiglecius & duarum tantùm Monstrorum suorum partium defensionem susceperat, & præfationis meæ, quam ad inclytas Prussiæ civitates, testificandi tum mei, tum nostri cœtus erga illorum ecclesias amoris & observantiæ causâ direxeram, refutationem neglexerat. Nunc in altera responsionis suæ parte demùm eam aggreditur, &, more suo, satis protervè illi insultat. Itaq; operæ pretium me facturum esse putavi, si, quæ ille ad veritatem obscurandam obtrusit, breviter diluerem. Revelata nobis esse quædam, ad Christi religionem excolendam pertinentia, in Domino gloriamur. Rideat id quomodo velit Smiglecius, seipsum quidem hac ratione prodet piis & perspicacibus: nos verò risus jam contemnere didicisse, & rationibus duci tantùm velle, perspectum habeat. Has igitur expendamus. Novæ, *ait,* revelationes, ad fidem & veram Dei & Christi cognitionem spectantes, sunt novum Evangelium. Iis autem, qui novum Evangelium annunciant anathema a Paulo proponitur. *At ego magnam hic Smiglecii inertiam accuso. Non omnes enim revelationes novæ, quæ ad fidem & veram Dei & Christi cognitionem spectant, sunt novum Evangelium: sed revelationes tales, quæ fidem, & salutarem Dei Christiq; cognitionem constituerent, eæ demum essent novum Evangelium, ut sic loquamur cum Apostolo, nam præter Evangelium Christi nullum est aliud. Aliàs etiam fieri potest, ut novæ revelationes, quæ ad fidem & veram Dei Christiq; cognitionem spectant, existant, quæ tamen novum Evangeliũ non constituant. Eos enim, de quibus Paulus dicit, quòd super fundamentum a se jactum, aurum, argentum, lapides preciosos superstruxerint, novas revelationes habuisse necesse est. Nam, si idem prorsus docuissent quod Apostoli, non super fundamento ipsorum struxisse dici possent, sed fundamentùm repetiisse dici deberent. Revelationes etiam istas, ad fidem & veram Dei Christiq; cognitionẽ spectasse, vel hinc constat, quòd eorum superstructio auro, argento & pretiosis gemmis comparatur. Nec tamen isti novum Evangelium annunciarunt. Nam ab Apostolo approbantur, non approbaturo eos, si novum Evangelium docuissent. Iam si incorrupto manente Evangelio, novæ revelationes, ad fidem & veram Dei Christiq; cognitionem spectantes, novum Evangelium non constituunt, quomodo novæ revelationes, quæ jam, postquam corruptiones ad Evangelium accesserunt, existunt, novum Evangelium*

[Margin: Non omnes revelationes esse novum Evangeliũ.]

[Margin: 1. Cor: 3.12.]

[Margin: Tempore Apostolorum revelationes extitisse.]

liũ vocari poßunt? Plùs enim in reformanda aliqua re quàm exornanda, requiri, opis divinæ & revelationũ, nemo non intelligit. Cùm igitur nos, qui ab ecclesia Romana secessimus, corruptionẽ, astutiâ satanæ & hominum partim malitiâ partim negligentiâ, ad Christi religionem & Evangelium accessiße sentiamus, idq; argumentis infallibilibus hactenus demonstremus, nemo, nisi parum prudens rerum æstimator, dicere potest, nos, dum revelationes novas, ad fidem & cognitionem Dei & Christi spectantes, proferimus, novum Evangelium afferre. Veteris enim & æterni Evangelii Iesu Christi autoritatem tuemur; & novas tantùm sententias, novosq; ritus ad illud aßutos & ei contrarios, rejicimus, & ut alii rejciant, ex eodem Evangelio docere eos annitimur.

Vetera nos tueri, nova repudiare.

Nec quicquam valet, quòd Smiglecius ex sacris literis docet, mundũ habuisse doctrinam ab Apostolis traditam, & revelata fuisse illi omnia, quæ ad veram fidem pertinent, *nisi doceatur, mundum eam sartam tectam conservaße. Vt enim* [illegible] *tradita fuit mundo sola Dei & Christi voluntate: ita non nisi voluntate etiam hominum conservari potuit.* Providentiâ, *ait,* divinâ effectum est, ut eadem doctrina Christi usq; ad finem mundi permaneret. *Sed talis providentia nulla datur. Hæc enim religionem tolleret, quæ est spontaneum Dei colendi studium; nec ulla extant sacrarum literarum testimonia, quæ id vel expreßè aßerant, vel ex quibus id deduci poßit. Nam quòd Smiglecius verba ea affert,* ad consummationem sanctorum, in ædificationem corporis Christi, *Ephes: 4. v. 12. nulla sanè in illis finis mundi est mentio; & ad tempora Apostolorum ista verba referri poße, quibus magna sanctorum novitiorum erat imperfectio, ipsa loci complexio testatur. Quod verò, loco non citato mussitat, portas inferorum adversus Ecclesiam non prævalituras, id huc etiam nihil facit. Non enim Ecclesiæ, quòd non sit ceßatura, sed si non ceßet, quòd non sit a morte absorbenda, promittitur. Portæ enim inferni idem sunt, quod infernus; ut portæ mortis idem sunt, quod ipsa mors. Infernus autem non est diabolus, quatenus homines seducit; Nam & ipse diabolus inferno adjudicatus est: sed est conditio illa miserabilis, in quam omnes mortui incidunt. Qua de re non pauca scripta extant adversus ipsum Smiglecium, & ejus socios Miedzibozium & Borcovium, in tractatibus de ecclesia & misßione a Theophilo nostro editis.*

Ad Apostolicam doctrinam errores accedere potuisse.

Perseverantia in veritate non pẽdet ex providentia divina.

Ecclesiæ, si talis esse perseveret, promitti victoriam de morte.

Ex quo constat, si corruptã eße doctrinã probari queat, nihil impedire, quominus revelationes divinæ extent, quibus vetus illud & æternũ Evangeliũ ab erroribus novis vindicetur; sive sint tales isti errores qui fidẽ ipsam tollant, sive tales qui tantùm ad eam rectiùs intelligendã spectent. Et alio

quidem

quidē tempore de talibus erroribus, qui fidē in Christū tollunt, cum Pontificiis nobis unà cum omnib⁹ aliis, qui Pontificiæ Ecclesiæ valedixerunt, res est: At hi errores, de quibus potissimum nunc inter me & Smiglecium controversia agitatur, nempe de persona & munere Christi, alius generis sunt. Nec enim per illos necessariò fides in Christum & salutaris Dei & Christi cognitio tollitur; sed tantùm vehementer intricatur & obscuratur. Quam diu enim creditur, Iesum illum Nazarenum, qui ex Spiritu S. conceptus est, & ex virgine natus, nostrum esse servatorem, qui nos & a peccatis & a morte liberare possit, totum id creditur, quod tum ad personam tum ad munus Christi necessariò pertinet. Et hæc causa est, cur nos fraternitatem cum omnibus, vulgò Evangelicis appellatis, colere cupiamus; immò, nisi alia obstarent graviora, ob ea solùm a Romana etiam Ecclesia discedendum nobis non fuisse credimus, si modò per illam nobis licuisset conscientiæ ductum sequi.

Controversia de persona & munere Christi cujus sint generis.

Malevolè autem & insidiosè Smiglecius ea taxat, in quibus nos ab illis nempe Evangelicis dessentimus. Nam, ut plures Deos colendos esse dicere, fidem ipsam tollit: sic, unum Deum colendum esse, Patrem, & unum Dominum Iesum Christum, affirmare, fidem veram explicat & illustrat. Christum pro nobis mortuum esse, & sanguine suo nos redemisse, & nos in sanguine ejus habere remissionem peccatorum, & Christum verum nostrū sacerdotem esse, Baptizandos esse Christi discipulos in nomine Patris, filii, & Spiritus S., & aquâ baptizari aliquem posse in remissionem peccatorum, ad fidem constituendam pertinet: at an Christus in cruce seipsum obtulerit, & an sanguine suo salutem nobis apud Deum, propriè loquendo, comparaverit, & an aquâ sint baptizandi necessariò discipuli Christi in nomine Patris filii & Spiritus Sancti, & quomodo quis aquâ baptizari possit in remissionem peccatorum, hæc non fidem constituunt, sed ad eam tantùm suo modo pertinent. Hanc differentiam, quia Smiglecius non intelligit, tumultuatur & Acheronta tantùm non movet, ut nos quàm maximè exosos omnibus reddat. Sed frustrà. Iam enim istud iterum, Christi gratia accedente, omnibus notum fiet, non omnia, quæ verissima etiam sunt, ad fidem & salutem esse necessaria: sed ea tantùm, sine quibus nec Dei Christiq; gloria, nec vera pietas consistere potest.

Quomodo inter nos & Evãgelicos conveniat.

Non omnia vera sunt ad salutem necessaria.

Porrò, dum in novas revelationes denuo invehitur, valde se intricat, & nihil agendo, occupatus est plurimùm. Ego enim, cùm de revelatione, quæ nostris cœtibus contigit, loquor, non aliquam insolitam intelligo: sed eam, quæ in sacris literis promiscuè omnibus promittitur, qui Christi præcepta habent & ea faciunt, & Deum continenter invocant; quamq; Apostoli omnibus illis precantur, quicunq; Christo nomen dederunt, & eidem

Qualē nobis tribuamus revelationem.

 adhæ-

Ioan: 14. 21. *adhærent. Christus ait,* Qui habet mandata mea & servat ea, ille est qui diligit me. Qui autem diligit me, diligetur a Patre meo, & ego diligã eum, & manifestabo ei me ipsum. *Paulus autem ad Ephesios scribens*
Eph: 1. 17. *sic ait:* Non cesso gratias agere pro vobis, memoriam vestri faciens in orationibus meis, ut Deus Domini nostri Iesu Christi, pater ille gloriæ, det vobis spiritum sapientiæ & revelationis. *Quæ revelatio non est quidem illa, quâ Deus ipse homini loquitur, vel quâ angelum aut prophetam suo nomine loquentem mittit, vel quasi visionem imaginariam homini objicit, sed tamen ad illam referri potest, quam quartam Smiglecius facit; quando Deus lumen infundit ad res perspiciendas & intelligendas. Falsissimum enim censendum esse, quod ait Smiglecius;* revelationem scilicet, & studium vel laborem antecedentem, toto cælo distare, *Christi & Pauli verba satis superq; testantur. Christus enim, non quibusvis, nec mundo, sed sua præcepta observantibus revelationem promittit; Paulus etiam iis, quorum fidem & charitatem antea commendaverat, spiritum revelationis precatur. Iam quia omnibus seculis serviunt verba tam Christi quàm Pauli, quid vetat, hodie etiam sperare a Christo istam revelationem? Num manus Domini decurtata est, & id, quod olim factum est, hodie fieri non posse dicemus? Equidem ita persuasus sum, singulari Dei consilio factum esse, ut pauci essent, qui Christianæ religionis fundamenta jacerent, perplurimos autem omni seculo fuisse, quibus Deus hæc & illa, quæ ad exornandam & rectissimè intelligendam illam, revelârit, idq; in diem hodiernum durare; adeoq; tam eos, qui nostro seculo vivunt, res sacras rimari posse, quàm illos, qui unâ cum Apostolis in hoc mundo vixerunt, etiamsi nulla ejus religionis corruptio accidisset. Quanto verò magis Deum id facere & Christum censendum est, ubi tanta religionem Christi corruptio invasit & infecit, ut vix aliquid sit ex omnibus fidei partibus, quod sartum tectum sit, vel non sit variis erroribus implicatum. Dubitabimusné Christum, ei, qui cum vera pietate vivat, & ejus auxilium imploret perpetuò, largiturum, ut verum sacrarum literarum sensum in omnibus tandem assequatur, & proinde errores, qui varii a variis excogitati sunt, perspiciat & cognoscat: Sanè qui hoc fieri posse dubitat, is nullam religionem, nullam Dei providentiam esse, eâdem operâ dubitare necesse habet.*

Sapientia Dei in distribuenda rerum divinarum scientia.

Nec est quod dicat Smiglecius, sensum ss. literarum jam erutum esse a patribus & doctoribus, & secundùm illum ss. literas esse explicandas & intelligendas. *Primùm enim non omnium illorum, qui de sensu s. literarum aliquid scripserunt, scripta extant. Deinde nullius hominis sensu ad s. literas opus esse jurè dicit. Nam in potissima ss. literarum parte non sensu ullo, sed sola fide opus est, nempe in ea, quæ ad salutem prorsus necessa-*

Sensum ss literarum non esse petendũ a patribus.

necessaria continet: reliquæ verò scripturæ partis sensum tenere, nemini incubit necessariò, cùm sine illo quivis servari possit. Deniq; sensum ss. literarum ab hominibus, qualescunq; tandem sint, petere, est religionem prodere, & ex Apostolis tacitè discipulos patrum facere. Si tamen sensus inquirendus sit, (quod non potest non esse longè utilissimum,) rectissimus sensus is est, quem ipsa Apostolorum disciplina suppeditat. Hunc autem ea non potest non suppeditare, si statuatur, certa esse in quovis religionis Christianæ articulo quasi principia, sole meridiano clariora, & ad omnium captum accomodatissima. His enim positis, si nihil adversum illis admittatur, semper de sensu ss. literarum constabit. Hoc modo Christus usus est adversus diabolum, cui, temerarium quid & præsumtuosum Christo persuasuro, & ad eam rem verba scripturæ accomodanti, aliud nihil Christus opposuit, quàm quòd istud, quod Diabolus urgebat, principio & fundamento cuidã ss. literarum, quod erat: Non tentabis Dominum Deum tuum, *repugnaret. Qua de re explicatum est a nostris prolixè in suprà nominatis de ecclesia & missione tractatibus.*

Quis sit sensus literarum ss.

Aliud argumentum Smiglecius habet, quo revelationes, quibus nos gaudemus, divinas non esse comprobare nititur. Id autem est, quòd revelationes tales Lutherani etiam & Calvinistæ proferant, quæ tamen sint nostris contrariæ. Quæ verò divina sint, ea non esse contraria. *Ad hoc ego id respondendum puto, Smiglecium falli, dum sentit, in iis, in quibus revelationes proferunt Lutherani & Calvinistæ, esse aliquid contrarium illis, quæ nos nobis revelata esse dicimus, omnia enim ferè, quæcunq; Lutherani & Calvinistæ patefacta sibi divinitus gloriantur, adversus placita Ecclesiæ Romanæ, nos unà cum illis approbamus. Quod verò non in omnibus nobis cum illis conveniat, id diversitati revelationum tribuendum est. Nec enim Deus omnia singulis largiri solet, sed ob maximi momenti causas partitur inter suos fideles dona sua, & aliis clarius, aliis obscurius seipsum patefacit; præsertim in rebus, quæ non ad salutis sed ad religionis tantùm negotiũ pertinent, & in numerum non præcisè necessariorum, sed utilium vel etiam utilissimorum referri possunt; qualia sunt ea omnia, in quibus inter nos & evangelicos disceptatur.*

Qua in re conveniant omnes reformatæ ecclesiæ.

Cur non in omnibus eædem ecclesiæ conveniant.

His ita peroratis, nonnulla etiam carpit, quæ ad excusandum istam diversitatem profectus in rebus divinis, quæ in Ecclesiis reformatis apparet, attuleram. Idem, scilicet evenire nunc in renascenti Ecclesia, quod olim in nascenti. Ut enim tunc, non omnia simul & semel revelata fuêre; sic etiam nunc, non omnia simul & semel revelata esse. Smiglecius hujus argumenti antecedens & consequens falsum esse dicit. Et antecedens quidem, quòd Spiritus S. illicò de cœlo missus docuerit Apostolos omnem

veritatem, juxta promissum Christi. *At hæc responsio Smiglecii nulla est. Nec enim ex eo, quòd Spiritus S. omnem veritatem Apostolos docuit, sequitur, omnia prorsus fuiße ipsis etiam Apostolis revelata. Nimis enim manifestum est, Apostolos ipsos ab initio, per aliquod saltem temporis spatium, prorsus ignorasse; an Ethnici sine observatione legis ceremonialis ad Christum eßent admittendi; &, an lex ceremonialis eßet abroganda. Cur enim Petrus tantopere renuißet adire Cornelium, licèt per visionem, quâ ter jubebatur mactare omnis generis animalia & comedere, satis eßet monitus, ut opus fuerit dici illi ab eadem voce:* Surge, descende & vade cum illis *(qui scilicet missi erant a Cornelio)* nihil dubitans? *Cur alii Apostoli mirati fuissent, quòd gentes verbum Dei reciperent; vel saltem iis, qui ex circumcisione erant, cum Petro ea de re, quòd ad incircumcisum intrâsset, contendere permisissent, si id Apostolis revelatum fuißet ab initio, gentes non minus pertinere ad Christum, quàm Judæos, & legem ceremonialem eße abrogandam? Per omnem igitur veritatem, ea omnis intelligenda est, quæ tunc ad Apostolorum munus & salutem hominum neceßariò requirebatur. Talis autem non erat scientia de vocatione gentium, & abolitione legis ceremonialis.*

Apostolis non omnia simul fuisse revelata.

Quid sit omnis veritas Ioan: 16.

Iam quòd ait, Apostolos clarissimè docuisse, ceremonias legales nullo modo esse necessarias, & qui eas tanquam necessarias usurparet, ei Christum nihil profuturum, *id insignis audaciæ illius argumentum est. In nullius enim Apostoli scriptis id extat præter solius Pauli. Is verò post omnes Apostolos electus demum fuit; & certè non statim post electionem suam, sed longo pòst tempore, verba illa ad Galatas scripsit. Româ enim eam scripsiße illum, omnium est sententia. Romam autem Paulus non venit, nisi fortè viginti & aliquot annis post initium Apostolatus sui.*

Audax Smiglecius.

Paulum primùm docuisse, ceremonias legales non esse necessarias.

Porrò cùm ad probandum, quòd non omnia simul & semel innotuerint in Ecclesia nascenti, locum affero Philip: 3. v. 15. Quotquot perfecti sumus, hoc sentiamus, & si quid aliter sapitis, & hoc vobis Deus revelabit. *Smiglecius ibi non de novorum mysteriorum fidei, sed de revelatione ad mores spectante agi asserit. Quam sanè insulsam eße responsionem prolixè doceri poßet, nisi id nimis eßet evidens. Quid enim revelatio cum moribus commune habet? Quis unquam audivit actiones virtutum alicui revelari? Num parum constat, revelationem ad Theoriam non ad praxin pertinere? quod ipsum etiam voces,* hoc sentiamus, *& si quid aliter* sapitis *indicant. Sed & ipsa Smiglecii verba, vide quàm sint inepta.* Docet enim, *ait,* Apostolus suo exemplo, ne se extollant, & se jam omnem perfectionem assecutos existiment; iis verò, qui aliter sentiunt, Deum gratiâ suâ non defuturum, sed illorum mentes revelatione sua

Revelationem ad scientiam pertinere.

ne sua illuminaturum, ut de se tam superbè non sentiant. *Quis enim audivit unquam, Deum illis gratiâ suâ non defuturum, qui se extollunt, cùm alibi dicatur, Deum resistere talibus? Itaq;, si gratiam Paulus divinam eis, ad quos scribebat, pollicebatur, certum esse debet, eos nihil tale fecisse, quod dignum eßet reprehensione per se, sed in sua imperfecta scientia simplici animo ob conscientiam durasse, quod verba etiam sequentia, quæ Smiglecius a me adducta, strenuè omisit, indicant, dum sic ait,* veruntamē ad quod pervenimus, in eadem permaneamus regula, idem sapiam⁹. *Præterea, nonné Paulus illis, quibus Deum aliquid revelaturum ait, opponit perfectos, & inter illos semetipsum etiam, quos vult hoc sentire, de quo ibi sermo est, hoc est, acquiescere in eo sensu, quòd nulla sit ex rebus carnalibus, quales lex Mosaica magnifaciebat, vera felicitas. De hoc enim cœperat in capite illo agere ab initio, & illo etiam caput finit. Ergò ut perfectos eos nominat, qui nihil unà cum illo curabant externa quædam, quæ sub lege valebant plurimùm, sed solâ Christi cognitione erant contenti: ita per illos, qui aliter sapiebant, illos eum intelligere constat, qui unà cum Christi cognitione legis etiam jactabant quasdam eminentias. Atq; hactenus antecedens argumenti nostri verum esse docuimus. Vnde consequentis veritas pariter apparet, idq; eò magis, quantò in renascenti Ecclesia inferiores sunt doctores iis, qui erant in nascenti. Sed Smiglecius ineptiis suis seipsum intricat, cùm enim nullam renascentem Ecclesiam agnoscat, semper enim Ecclesiam durasse credit, non de renascente, sed de posteriori vel ultimi seculi tantùm Ecclesia loquendum illi erat, & dicendum, quod primariæ Ecclesiæ revelatum sit ad salutem, idem quoq; horum ultimorum seculorum Ecclesiæ sufficere ad salutē. Quod sanè verissimum esset. Iam verò quia ecclesia ab integritate, quâ primæva illa Apostolica clarebat, degeneravit plurimùm, meritò renascens illa dicitur, quæ nunc hoc seculo collecta est iterum, & ea in illa fieri mirum non debet videri, quæ olim in nascente, nempè Apostolica, facta sunt.*


Gratiam Dei non promitti, eis qui se extollunt.

Qui perfecti, & quinam aliter sapientes apud Paulum.

Smiglecius se intricat.

At renascentem & reformatam eße ecclesiam Lutheranorum, Calvinianorum & alias, quæ a Romana secesserunt, negat Smiglecius hoc argumento fretus, quia contraria in eis doceantur. *Ego verò id argumentū nullius esse valoris iterum dico. Nam & tempore Apostolorum, & omnibus subsequentibus seculis, quibus Ecclesia Christi omnium consensu extitit, contraria fuerunt docta & credita, quod tum ß. literæ tum historiæ ecclesiasticæ testantur. Vnde etiam factum est, ut hodie nonnulli vestrum tantùm non damnent quosdam ob sententias, in quibus ab aliis dissidebant, qui tamen hactenus ab omnibus non tantùm pro membris Ecclesiæ, sed patribus habentur: imò, ut alibi dixi, ii etiam qui Arianizare & olim visi sunt, & nunc*

In vera ecclesia posse contraria doceri in quibusdam rebus.



& nunc videntur, non tantùm in Ecclesia tolerati, verùm etiam scripta illorum in pretio fuêre, & etiam nunc sunt.

Si dicat Smiglecius, contrarias quidem & Apostolorum seculo, & reliquis subsequentibus in ecclesia fuisse sententias, sed in rebus multò minoris momenti, atq; eæ sunt, in quibus hodie non convenit inter reformatas ecclesias. Primùm expendat illud, quod nunc dixi, de quibusdam qui Arianizare visi sunt. Hi enim tantum ab aliis dissidebant, quantum nos ab aliis reformatis Ecclesiis. Expendat & illud, quod de Origene scriptum prodidit Bellarminus, quem hæresis etiam accusare non dubitavit, ut nunc alia multa omittam. Deinde etiamsi non in iisdem prorsus rebus contrariæ fuerunt in ecclesiis antiquissimis sententiæ, tamen in ejusdem generis rebus contrariæ fuêre sententiæ. Tam enim illæ, quàm hæ, non tàm ad salutem quàm ad religionem pertinent; & licet sint alia aliis utiliora, adeoq; nonnulla utilissima, & dignissima, quorum causâ non tantùm invidia hominũ & jactura favoris illorum, verùm etiam facultatum & ipsius vitæ subeatur, & omnia prodigantur, si ita ferat Dei voluntas; tamen non sunt ex numero eorum, quorum scientia vel ignoratio, salutem per se & necessariò conciliet vel tollat. Per se dico & necessariò. Facilè enim fieri potest, ut per accidens & ita contingenter tale quid accidat. Ut enim ignoratio veritatis neminem damnat, sic contemtus illius facilimè damnare quemvis potest.

Quatenus contrariæ sententiæ in una ecclesia esse possint.

Si rursus dicat, id dubium vel etiam falsum esse, jam hæc res aliam postulat disquisitionem; quam tamen alibi nos exponere non negleximus, & porrò exponere parati sumus ecclesiis reformatis, si id a nobis unquam postulaverint. Uno verbo rem nunc expedio. Fides in Christum, cujus anima est obedientia ipsius præceptis præstanda, non tollitur istis diversis vel etiam contrariis sententiis. Ergo ad salutem necessariò scientia illorum non requiritur. Nolumus autem quenquam sentire, si quidem ita res se habeat, jam perinde esse quid quisq; sentiat, vel quomodo se in veritate tum investiganda tum propaganda gerat. Semper enim præstat quàm rectissimè de omibus sentire, cùm error omnis sit fæcundus, & peccati tandem plerunq; fomes. Quia etiam gloria Dei & Christi potissimùm agitur in plærisq;, nihil non faciendum, nihil ferendum est, ut id tandem obtineat, quod quis verissimum esse censet.

Quæ sint necessaria ad salutem.

Quanti facienda sit veritas.

Sed Smiglecius iterum me carpit & ridet, quòd dixerim, ideò Deum sensim & pedetentim revelasse ea renascenti ecclesiæ, quæ ad cognitionem sui pertinent, quia, si in tam claram lucem evangelii, qualis successivè illuxit, abinitio omnes perducti fuissent, tanto illius splendore excæcati potius quàm collustrati fuissent, ipse verò præmissis quibusdam scommatibus, tan-

bus, tandem ait, aliam esse lucis corporalis & spiritualis rationem. Corporalem enim, cum rem corpoream & corruptioni subjectam afficiat, si nimia sit, eam dissolvere ac destruere: spiritualem autem animum nostrum, qui corruptioni non subjacet, corrumpere non posse, sed eum tantò magis perficere, quantò uberius in eum fuerit effusa. *Sed dubium esse, quod hîc asserit Smiglecius, jurè credi potest, quia nulla id ratione comprobet: Falsum autem esse, universa actionum Dei ab orbe condito series contestatur. Inter causas enim, quare Deus Evangelii lucem ab initio mundi, vel etiam sub lege non accenderit, hæc una commemoratur, quòd tunc homines infantium similes fuerint, quos elementis mundi egenis & infirmis occupari oportuerit, donec ad aliquam judicii maturitatem pervenirent. Cùm verò temporum plenitudo, hoc est, perfectio venit, misit Deus filium suum. Imò, ut alia plura non recenseam, nonné ante ipsum Christum missus fuit Ioannes, qui ei viam præpararet? Licèt enim animus noster non sit corruptioni obnoxius, est tamen corpori corruptioni obnoxio inclusus (si modò hæc ratio, quod animus non est corruptioni obnoxius, non est digna risu) & infirmi prorsus judicii ad res divinas & cœlestes discernendas; &, nisi scientia rerum sacrarum in animũ nostrum instilletur potius quàm infundatur, totam diffluituram nimis certum est. Sed quid multis? Nonné Paulus ipse, & autor epist: ad Hebr: testantur, lacte priùs se cibasse & cibandos esse fideles, quàm solido cibo? ut scilicet hinc appareat, lucẽ etiam spiritualem, si uberius effundatur, quàm hominis animus capere possit, nullum parituram commodum. Voluit igitur Deus sapientissimus, id Lutheranis ecclesiis innotescere, quod ad salutem consequendam per se satis esset; & ita eos informare sensim, ut ea etiam, quæ alii post illos essent allaturi, perfectiora, capere possent: Quod si tamen alia capere non possint, hoc illis fraudi esse Deus noluit, dummodo nihil per malitiam faciant. Et certè videmus tantum ea in re successũm, ut res ipsa pro nobis loqui videatur. Pontificiis autem non diffitemur, difficiliorem esse ad nos transitum, quàm ad alias reformatas ecclesias, ob hoc ipsum, quod plùs distent nostri cœtus ab aliis reformatis; & reipsa experimur, quoties aliquis ex illis ad nos sese aggregat, quàm mirum id illis accidat, & quàm difficulter etiam in mysteriis sacris intelligendis proficiant, præsertim qui sunt ab artibus liberalibus destituti.*

Deum non uberrimè statim gratiam conferre.

1. Cor: 3. 2.
Heb: 5. 12.

Porrò quod ecclesias nostras reformatiores appellari ægrè fert Smiglecius, mirum non est, siquidem suam deformatam fuiße & esse credere nondum fortassis didicit. Docebit autem id dies magis magisq́; si ea, quæ tum adversus Romanam ecclesiam, tum adversus alios etiam cœtus reformatos urgemus, obtinuerint, nos nihil nobis arrogare, sed quod res est, verè de nobis prædicare.

Cætus nostros cur reformatiores appellem.

Quid sit abominatio desolationis stans in loco sancto.

Luc: 21. 20.

Istam verborum Danielis, de abominatione desolationis stante in loco sancto, ad nostras ecclesias accomodationem, non exagito. Rarò enim Smiglecius scripturas intelligit & ad rem allegat. Quàm ineptè autem huc accomodentur, Christus ipse declaravit, cùm id de obsidione civitatis Hierosolymitanæ intelligi voluit.

Quid futurum esset, si omnes ecclesiæ reformatæ unitæ essent.

Non esset porrò, ô Smiglecci, quod protervè aßeris, talis ecclesia, si omnes reformatæ ecclesiæ in unam coalescerent, in qua caput eßet Antichristus; doctrina, blasphemiæ omnes; finis, interitus. Antichristus enim a nobis omnibus explosus est: blasphemiæ nullius convinci possumus, & proinde interitus nobis non est metuendus. Sed esset vera Christi ecclesia, in qua Christus & lex illius regalis nempè charitas regnaret: veritas Apostolica, licèt non æquè in omnibus exculta, sonaret, & quæ tandem vitæ æternæ particeps futura eßet. Illud etiam, quod insigne unicum Christiani nominis Lutheranis restare ait Smiglecius, salvum illis relinqueretur, nam si agnosceretur Pater filius & Spiritus S., satis id ad salutem eße doceretur: quæ verò sunt circa Patrem filium & Spiritum S. sententiæ diversæ, eas non fidem in Deum & Christum, nec gloriam illis debitam per se tollere, doceretur. Itaq; etiam quotidiè, ut Deus tandem id nobis largiatur, preces ad eum ardentes fundimus.

Quæ moderatio in doctrina de Deo patre filio & Spiritu S. adhibenda

Iustum a se impetrari non vult Smiglecius.

Quod deniq; a Smiglecio impetrare non possum, ne cum vulgo nos calumnietur, quasi alium Deum introducamus, qui aliam tantùm de illo, in rebus quæ salutem per se non concernunt, sententiam habeamus, id spiritui ipsius quo regitur, sed non Christi, acceptum referimus.

Omnium sapientum sententiam esse, nos nec eundem cum veris Christianis Deum, nec eandem religionem colere, *audax & falsum est Smiglecii pronunciatum. Nam hac ratione nos, & nostros cœtus, omni tacitè privat sapientiâ. Iam si inter nos etiam sint, qui aliquid sapiant, tantùm de suis sapientibus id dicere debuit. Credo etiam, imò persuasum habeo, non paucos fuiße & eße in ipsis reformatis ecclesiis, qui sapientiâ nihil cedant pontificiis, pietate autem longè eos superant, qui, licèt fortassis non prorsus nostram sentētiam approbent, nos tamen unâ secum Deum & religionem colere, nihil dubitent. Quanquam in religione, non quid illi, qui sapientes sibi videntur, vel etiam sunt secundùm carnem, sed quid illi, qui omnium judicio verè sapientes & sapientiæ magistri fuerunt, sentiant, sequendum esse, nemo cordatus ignorat. Et hæc pro defensione præfationis meæ ad inclytas urbes Prussicas sufficiant.*

Sapientes quosdam aliis esse magis sobrios.

Quæ verò præfationi meæ ad lectorem directæ opponit Smiglecius, ea sunt pueriliora, quàm ut refutari debeant. Refutabo tamen brevissimè. Monstra appello Christianæ religionis, credere Deum esse unum & trinum:

num:

num: Christum duas habere naturas, quarum altera persona est, altera nescio quid, Spiritum S. eundem esse Deum, cujus est spiritus, & alia, quæ Smiglecius astutè omisit, nempe panem in cœna domini, quinq; verbis, quæ omnia in s. literis nusquam extant, a sacerdote prolatis, in corpus Christi transsubstantiari, & panem eundem esse adorandum; sacerdotes Christū quotidie conficere, & incruento modo Deo offerre; non tantùm sanctos & eorum imagines, sed etiam reliquias esse colendas. Et monstra ideo ea censenda dico, quia scilicet a lege communi, quæ est doctrina Apostolica, recedunt. Et tametsi per non pauca secula ista duraverint, tamen nec sic fuit ab initio, ad quod semper recurrendum est; nec nunc ea ab omnibus creduntur, qui communem illam legem nobiscum sectantur, sed & non minùs ab illis quàm a nobis Monstra Christianæ religionis proclamantur.

Cur mōstra appellandæ sententiæ Smiglecii.

Convitia in marginibus nulla esse hactenus persuasum habeo: Notare autem datâ operâ ineptias, errores, ignorantias, cavillos, calumnias, affanias Smiglecii toties non alio fine volui, quàm ut appareret, quantum sibi præsumsisset Smiglecius, qui se nostrum Aristarchum & magistrum quendam constituerat, & ita in nos debachari veritus non erat, ac si esset vel Apostolo scientiâ, vel Regi alicui potestate par. Miror autem Smiglecium, qui hoc ita in me carpit, in libro suo de erroribus Arianorum illud imitari.

Cur vitia Smiglecii varia in margine sint annotata.

De Patribus quid sentiam & sentire debeam explicavi in ipsa responsione. Summa est: Multùm eis tribuimus: at pro Apostolis eos non habemus. Et si Iesuitis, qui eos pro columnis ecclesiæ suæ habent, sententias illorum pro libitu admittere & rejicere licet, quod ex Bellarmino & Maldonato Jesuitis constat, quid mirum est, nos etiam in illis multa desiderare, præsertim in illis, qui post concilium Nicenum, hoc est, post corruptionem, quæ doctrinæ Apostolicæ accesit, vivere cœperunt.

Sententia de patribus.

Argumenta mea quod attinet, in solis ea scripturis fundo; & ex illis solis omnes controversias decidendas esse sentio. Quæ verò interdum ex Philosophia afferimus, ea non argumenta nostra sunt, sed exceptiones, quibus sententiam & argumenta adversariorum profligamus, ad quas etiam non nisi inviti accedimus.

Argumenta unde petenda.

Principii petitionem esse dico, cùm quis argumenta alicujus ex principiis, quæ non sint communia utriq; parti solvit; & cum distinctione, quæ argumento allato oppugnatur, argumentum diluit. Hoc autem rectè a me fieri, nemo eruditorum diffitebitur.

Principii petitio quid.

In scripturis N. F. non exponendis, ut ait Smiglecius, sed ex lingua græca in latinam transferendis, nullius antiquitatis, nullius communis aliorum sensus, sed ipsius textus græci rationem habendam esse contendo.

In translatione scripturæ N. Fœderis græci textus habēdam solùm rationem.

Quid verò hîc potest esse erroris aut reprehensione dignum? Semper enim verba s. scripturæ & ratio autoritate humana potior est.

Cur Smiglecius nos hæresis accusare non debeat.

Jurè deniq; visus sum mihi a Smiglecio postulasse, ne sibi licentiam nos hæresis accusandi arrogaret. Hæreticos damnatos ab Apostolis esse novimus, & eosdem parùm honestis titulis in scriptura describi non inficiamur: sed quinam sint hæretici, decernere non cuivis datum esse contendimus, Smiglecium autem planè ab isto decreto & convitio abstinere debere, censemus, quòd ipsemet hæreticus a potissima parte Christiani orbis in Europa proclametur & hactenus istam criminationem non purgaverit nec purgare unquam possit. Turpe est autem, cum ipse accusaris, alios te condemnare. Vale in Deo & Christo, benevole lector.

ERRORES EX HIS DVOBVS LIBRIS COLLECTI.

De Deo.

1 Deum ex substãtia sua generare posse.
2 Deum, quando seipsum perfectè comprehendit, posse ex consequenti seipsũ, qualis, & quantus est, exprimere.
3 Proprietates in Deo esse substantias per se subsistentes.
4 Deum ante cõditum mundum nullum potentiæ suæ opus exhibuisse.
5 Deum seipsum nobis dare.

De Christo.

6 Christum fuisse ab æterno ex Dei substantia natum.
7 Christum esse Dei verbum in Deo naturaliter existens.
8 Christum non figuratè sed propriè dici Verbum.
9 Christum ita ex Deo manare, ut splendor ex luce.
10 Christum Hebr: 1. naturalem Dei imaginem dici, idque vocem χαρακτὴρ indicare.
11 Christum omnem divinam sapientiam & perfectionem in se naturaliter continere, quia Dei sit imago.
12 Christo viso Deum videri propter unitatem naturæ.
13 Per Christum mundum hunc universum esse creatum.
14 Christum, quà Filius est, esse sine patre & sine matre, quia secundùm humanam naturam sit genitus sine patre in terris, secundùm divinã sine matre in cælis.
15 Verbum esse factum carnem.
16 Eundem Filium Dei, qui secundùm divinitatem ab ęterno ex Deo natus est, secundùm carnem ex virgine nasci potuisse.
17 Filium Dei cum humana natura hypostaticè unitum esse.
18 Hominem [Christum] unione hypostatica factum esse naturalem Dei Filium, hoc est, ex essentia Dei genitum.
19 Hominem [Christum] propter personã divinam, quâ subsistit in humana natura, esse & dici Filium Dei naturalem, seu ex substantia Dei genitum.
20 Christum sumsisse formam servi, cum nasceretur.
21 Christum participasse carni & sanguini cum nasceretur.
22 Christum tum missum esse in mundum cum conciperetur & nasceretur.
23 Christum infantem reipsa fuisse Deũ, Dominum, Christum, Servatorem.
24 Christum ab ipso conceptionis momento Deum vidisse.
25 Christum, cùm cõciperetur, fuisse plenum gratia & veritate.
26 Christum statim a sua conceptione fuisse sapientem.
27 Christum non reipsa profecisse sapientiâ, sed tantùm demonstratione sapientiæ.
28 Christum in sua infantia usum rationis habuisse.
29 A Christo in utero matris existente visitatum esse Ioannem.
30 Christum in utero Mariæ venientem vim suam exercuisse, & sensum sui gaudium supra naturam excitavisse in Ioanne.
31 Christum in utero matris existentem Spiritu sancto replevisse matrem Ioannis Elisabetham, & filium nondum in lucem editum.
32 Christum cũ potestate salvandi venisse in mundum, id est, incarnatum esse.
33 Christum adhuc in utero matris existentem, potestate salvandi usum fuisse, & salutis nostræ curam & munus Salvatoris suscepisse.
34 Christum in sua conceptione & nativitate sese pro nobis Deo in mortem obtulisse.
35 Christum ab ipsa nativitate pro nobis multa pati cœpisse, quia jam tum pro nobis egen⁹ factus sit, cùm esset dives
36 In Christum infantem aliquos credidisse & eum tunc illos servasse.
37 Christum, quia ab ipsa infantia sua Deum viderit, ex consequenti omnem felicitatem & gloriam, quæ ad animam

spectat, quaq; major in cælo non est, consequutum esse.

39 In Christo infante sanctitatem propriè dictam fuisse.

40 Christi sanctificationem esse ejus incarnationem.

41 Christum ratione conceptionis & nativitatis suæ non dici Filium Dei.

42 Falsum esse, Christum in scriptura propter similitudinem cum Deo sanctitatis, sapientiæ, potestatis, immortalitatis, Filium Dei appellari.

43 Si Christus propter similitudinem cum Deo Filius Dei dicatur, eum non fore verum & proprium Dei Filium.

44 Christum per resurrectionem non esse factum [nempe perfectiori ratione quàm antea fuerat] Dei Filium.

45 Christum ab infantia eodem prorsus modo fuisse Filium Dei, quo postea.

46 Christum adoptivum Dei Filium prorsus dici non posse.

47 Christum voluntate non necessitate mortalem fuisse.

48 Christum ante mortem suam in cœlo non fuisse, aut eò non ascendisse.

49 Christum non esse imaginem Dei ratione doctrinæ seu revelationis perfectæ Dei voluntatis.

50 Christum cum in terris degeret admodum pauca revelasse.

51 Christum cum in terris degeret clarè vidisse Deum, [hoc est, essentiam Dei] idq; scripturam non semel testari.

52 In Christo nullam omnino fuisse fidē.

53 Christū seipsum a mortuis resuscitasse.

54 Christi corpus ab ipsa statim resurrectione fuisse immortale.

55 Christum clauso sepulchro egressum esse.

56 Christum per fores clausas penetrasse.

57 Christū in ipsa resurrectione sua mortem superasse, occidisse, & destruxisse.

58 Christum in ipsa resurrectione sua destruxisse eum, qui mortis habet imperium, hoc est, diabolum.

59 Christum ante exaltationem omnem potestatem in cælo & in terra reipsa habuisse, & dominum fuisse angelorum.

60 Christum meruisse potestatem in cælo & in terra

61 Christum ratione corporis nunc non dici spiritum vivificantem.

De Spiritu Sancto.

62 Spiritum sanctum esse personam.

63 Spiritum S. esse illum unum Deum.

64 Spiritum S. esse ipsum autorem & largitorem donorum.

65 Spiritum S. esse in omnibus & ubiq;.

66 Spiritum S. cum divina natura omnem scientiam ab æterno accepisse.

67 Spiritum S. in Christum, cum baptizaretur, descendisse, & super eum mansisse, non ad eum implendum, sed ad demonstrandum, quòd plenus esset Spiritu sancto.

68 Spiritum sanctificationis Rom: 1. esse Christi naturam divinam.

69 Spiritum illum, qui datus est die Pentecostes, & eum, qui est pignus hæreditatis nostræ, non differre.

De Redemptione per Christum *facta, alijsq; ad hoc negotium spectantibus.*

70 Christum Deo pro omnibus omnium hominum, qui ab initio mundi vixerunt, & ad ej⁹ finem victuri sunt, peccatis tam preteritis quàm futuris plenissimè satisfecisse, & pœnas illis debitas exsolvisse.

71 Christum effecisse, ut nobis vita æterna a Deo offerretur.

72 Christum nobis Deum placasse, & ex irato propitium reddidisse.

73 Deum requirere, ut vel nos, vel ali⁹ nostro nomine illum commoveat, ut nobis recōcilietur, & offensam deponat.

74 Deum, cum Christum in mundum mitteret, & peccatoribus offerret remissionem peccatorum, ac Filium suum unigenitū morti pro iis offerret, peccatoribus fuisse iratum, & indiguisse, ut placaretur.

75 Deum hominibus tam diu iratum atq; offensum manere, quàm diu illis peccata non remittit [scilicet reipsa].

Deum

76 Deum ſemper velle peccata punire, quàmdiu ea non remittit [reipſa.]

77 Deum vi juſtitiæ ſuæ peccata non debere relinquere impunita.

78 Deum injurias ſuas in innocente ultum eſſe.

79 Deo datum eſſe ſanguinem Chriſti pro nobis.

80 Deum eſſe illum Dominũ, qui nos Dæmoni captivos & æternis pœnis cruciandos tradiderit.

81 Modum clementiæ divinæ unum eſſe, ſi propter ſatisfactionem quidẽ Chriſti peccata remittat, ſed in ea ſatisfactione procuranda, infinitã quandam charitatem & gratiam demonſtret.

82 Duplicem eſſe remittendi modum, alterum liberalem, alterum propter ſatisfactionem acceptam.

83 Gratuitò aliquem poſſe remittere peccata, etiamſi ei pro peccatis illis pleniſſimè ſatisfiat.

84 Paſſionem Chriſti valore longè fuiſſe majorem æterna morte, imò infinitã, & æquivalentem ei pœnæ, quam nos ſubire debebamus.

85 Vnam guttam ſanguinis Chriſti omnibus peccatis mundi, & mille mundorum parem eſſe.

86 Otiosè Chriſti mortem adhibitam fuiſſe, ſi vim ex ſe non haberet ad ſatisfaciendum pro peccatis mundi.

87 Chriſtum ſponte recepiſſe pœnas pro peccatis noſtris luendas, idque pacto divino intercedente, & ſatisfactionẽ acceptante.

88 Chriſtum merita ſua nobis non donaſſe ipſo facto, ſed ea poſuiſſe in manu Patris ſui, ut ea cui vellet applicaret.

89 Neceſſarium eſſe, ut quisque ſibi per certa media applicet ſatisfactionem Chriſti.

90 Deum reſpectu ſatisfactionis futuræ acceptatę omnium hominum peccata ab origine mundi remiſiſſe.

91 Remiſſionem peccatorũ fieri propter Chriſtum, ſeu propter mortem & paſſionem ejus.

92 Chriſtum, ſi abſoluta poteſtate [ſua] voluiſſet uti, ſine ſanguine & morte nos a damnatione liberare & gloria cæleſti donare potuiſſe.

93 Quòd Chriſtus non niſi per mortẽ ſuam & ſuum in cælos aſcenſum ſtatuerit hominibus ſalutem conferre, hoc illius ſapientiæ & voluntati aſcribẽdum.

94 Deum in veteri lege dici redemtorem in his quæ ad animæ ſalutem ſpectãt, idque non niſi per Chriſtum.

95 Chriſtum fuiſſe Mediatorem illorum etiam qui ſub Vet. Teſtamento vixerunt, quatenus ad gratiam N. Fœderis fuerint admiſſi.

96 Per eam duntaxat fidem nobis remitti peccata, qua credimus, Chriſtum ſanguine ſuo nobis obtinuiſſe remiſſionem peccatorem.

97 Ad fidem in Chriſtum requiri, ut quis credat, Chriſtum Deo pro peccatis noſtris ſatisfeciſſe.

98 Fidem in Chriſtum ab initio mundi ad juſtificationẽ fuiſſe neceſſariam, adeoq; fideles priſcos, qui ante Chriſtum vixerunt, habuiſſe fidem in eum.

99 Fidem implicitam in Chriſtum ad remiſſionem peccatorum conferre.

100 Eum qui credit, Deum eſſe, credere etiam in Chriſtum; & qui credit, Deum eſſe remuneratorem, credere etiam, eum remuneratorem eſſe per Chriſtũ.

101 Chriſtum propriè loquendo eſſe ſacerdotem.

102 Chriſtum ante mortem fuiſſe [reipſa] Pontificem ſummum.

103 Sacrificium Chriſti in cruce perfectũ eſſe.

104 Sanguinem Chriſti eſſe ipſius ſacrificium.

105 Interpellationem Chriſti pro nobis in cælo non eſſe ejus ſacrificium.

106 Interpellationem Chriſti pro nobis in cælo de precibus propriè dictis eſſe accipiendam.

107 Sacrificium pro peccatis oblatum, ſi perfectum ſit & ſufficiẽs, habere vim ad ſatisfaciendum pro peccatis.

108 Expiationem peccatorum soli morti Christi tribui in universis scripturis.

RELIQUI ERRORES.

109 Sanguinem brutorum sub lege effecisse, tum ut a peccatis cessarent homines, tum ut a pœna peccatorum liberarentur.

110 Remissionem peccatorum a justificatione differre.

111 Remissâ culpâ, & pœnâ æternâ, manere in justis [generatim] pœnas peccatorum temporales, pro quibus justi satisfaciant.

112 Pœnitentiam esse opus pœnale, vel etiam pœnam, quam ideo Deus exigat, ut sibi aliquo modo pro offensa satisfiat.

113 Omne opus, cui debetur merces, meritum esse.

114 Qua ratione quis Dei filius dicitur, Deum quoque dici posse.

115 Fideles, veros Dei filios dici non posse.

116 Homines omnino propriè esse adoptivos Dei filios.

117 Angelos etiam propriè esse adoptivos Dei filios.

118 Homines ob solam charitatem filios Dei appellari, adeoq; falsas esse caussas, quas nos filiationis Christi enumeremus quatuor, sanctitatem, potestatem, sapientiam, immortalitatem.

119 Fidem & spem non constituere Dei filios, sed supponere constitutos per charitatem.

120 Fidem & spem sine charitate esse posse, ac sine ea nihil esse.

121 Per donum immortalitatis non constitui Dei filios.

122 Nos non futuros Deo similes in natura, cum futuri simus immortales.

123 Adoptionis nostræ essentiam esse perfectam in hoc seculo.

124 Immortalitatem tantùm esse effectum & fructum adoptionis, nec ad ejus essentiam pertinere.

125 Fideles majorem justitiam & gratiam, quàm ea sit, in qua ex hac vita decesserunt, non habituros.

126 Justificationem nostram in hac vita esse perfectam.

127 Gloriam cælestem, hoc est immortalitatem, nuspiam justitiam dici.

128 Omnes homines ab orbe condito eadem ratione Dei filios fuisse.

129 Eos, qui Christi temporibus fuerunt, fide essentiali pares fuisse iis, qui post eum exaltatum vivunt.

130 Christo in terris degente plurimos fuisse tales Dei filios, quales sub N. Test: esse oportet, in primis Apostolos.

131 Apostolos in ultima cœna ipsam Christi carnem comedisse, & sanguinem bibisse.

132 Spiritualem carnis Christi comestionẽ & sanguinis bibitionem ante Christi mortem a multis fuisse factam.

133 Hominem primum in sua creatione tã sanctitatem quàm alia dona supernaturalia habuisse.

134 Corpus primorum parentum eo honore & gloria fuisse affectum, ut per donum justitiæ originalis non esset rebelle animæ, sed obediens & subjectum.

135 Animas esse imaginem Dei.

136 Hominem non habere naturaliter facultatem credẽdi postquam ei Evangelium annunciatum est, sed necesse esse, ut ei præterea alia detur potestas ad credendum.

137 Nobis non tantùm dona [spiritualia] donari, sed etiam ipsum autorem & largitorem donorum.

138 Personam ita nobis dari posse ut in nobis habitet.

139 Personam spiritualem posse simul esse in pluribus locis.

140 In scriptura non semel legi, Filium Dei nobis esse datum.

141 Deum nos regenerare per baptismum aquæ.

142 Infantes esse baptizandos, & per hunc baptismum eos regenerari.

143 Infantes fidelium donari Spiritu sancto.

144 Evangelii annũciationem aliquo modo etiã ad infantes pertinere, & Christum ad-

stū adultis, ut non tantùm pro seipsis credant, sed etiam pro infantibus, Evangelium annunciari jussisse.

145 In infantibus esse sanctitatem habitualem.

146 In Ioanne infante, imò in utero matris adhuc existente, sanctitatem propriè dictam fuisse.

147 Ioannis in utero matris existentis exultationem, & advenientis Domini [nimirum in Mariæ utero] agnitionem, & reverentiam, fuisse ejus sanctas actiones.

148 Ioannem maximum Prophetarum dici respectu exultationis in utero matris, quòd non solùm extra uterum, ut alii Prophetę, sed & in utero prophetârit.

149 Ioannem ex utero prophetâsse, saltibus Dominum prædicando.

150 Gratiam N. Fœderis esse, Filium Dei in carne videre, & ex ore ejus audire verba vitæ æternæ.

151 Gratiam etiam Novi Fœderis esse Sacramenta.

152 Gloriari nos posse, si pro fratribus nostris satisfactionem pro offensis [quæ nimirum nobis ipsis prę stetur] procuremus.

153 Licere Christianis odisse peccatores.

154 Licere Christianis, ut cupiant, peccatorib⁹ mala ea, quæ peccatis suis merentur, infligi, idque eos ex affectu justitiæ facere.

155 Divinam essentiam a nobis in hac vita videri posse.

156 Videre Deum [in hac vita] non esse cognoscere voluntatem Dei, sed videre essentiam ejus.

157 Animas post mortem propriè videre Deum.

158 Christum in adventu suo nullos offensurum vivos.

159 Ignem illum, quo hic mundus exuretur, præcessurum judicium extremū.

160 Ignem illum omnes homines, etiam fideles, qui tunc vivent, exusturum.

161 Fideles in futura vita habituros eadem numero corpora.

162 Ventrem & stomachum in vita æterna fore, adeoq; fore incorruptibilem.

163 Immortales comedere & bibere posse.

164 Corpora immortalia vestigia vulnerum habere posse.

165 Corpora nostra post resurrectionē non fore spiritualia quoad essentiam.

166 Modum resurrectionis nostræ eundem esse, qui fuit resurrectionis Christi.

167 Corpus in sacris literis nuspiam totum hominem significare.

168 Omnibus Judęis notum fuisse, quod de Christi nativitate, vita, & morte Prophetæ prædixerant.

169 Judæos Christum Joan: 8. ℣ 57. non esse cavillatos, sed aptè & consequenter interrogasse.

170 Cajapham, cùm quæreret ex Christo, an esset Filius Dei benedicti, de Filio naturali, hoc est, ex essentia Dei genito, interrogasse.

171 Totum orbem Christianum ac sapientissimos quoq; ac sanctissimos Patres, omnibus seculis credidisse, Filium Dei ex substantia Patris natum.

172 Necessarium esse ad salutem, credere imaginē Dei ejusdē cū Deo substātię.

173 Decuisse, ut non prima nec tertia, sed secunda persona Trinitatis conciperetur a virgine.

174 Apostolorum doctrinā secundùm promissa Christi usque ad finem mundi permanere debuisse, [hoc est, ita, ut semper extarent homines qui eam integram profiterenrur.]

175 Patrum expositiones toti mundo notas esse.

176 Voculam ὡς, nunquam in sacris literis redundare.

177 Vnam numero naturam posse trib⁹ distinctis personis esse communem.


178 Duas naturas intelligentes in eadem persona esse posse.

179 Hominem non minùs personam esse sive suâ propriâ personâ subsistat sive alienâ.

180. Hominem verum esse humanam naturam, etiamsi ea in aliena persona subsistat.

INDEX CAPITUM LIBRI, de Vero & naturali Dei Filio.

INDEX CAPITUM LIBRI, De Satisfactione Christi.



DE CHRISTO VERO ET NATVRALI DEI FILIO LIBER VNVS.

Oppositus ei, quem sub eodem titulo Martinus Smiglecius JESUITA edidit.

PRÆFATIUNCULA.

Miraberis fortaße, beneVole lector, cur ego, qui librum Smiglecii Iesuitæ, de Christo vero & naturali Dei filio, *refutandum sumsi, librum,* de Christo vero & naturali Dei filio, *conscripserim: Sed cur id facerem, in promtu fuit hæc potißimum non minimi momenti causa, ne, si aliter libellum hunc appellaßem, tacitè innuere Viderer, nos confiteri, Christum Verum Dei & naturalem filiū non eße. Cùm tamen, Verum eum Dei filium eße, ex animo confiteamur, naturalem etiam dici poße non negemus, quantumVis neutrum horum in sacris literis expreßum reperiatur. ControVersia igitur inter nos & Smiglecium non ea est, an Christus sit Dei filius Verus & naturalis, sed cur talis Dei filius sit & appellari poßit, perpetuò inquiritur. Hoc ita indicato, ad rem ipsam accedo, & quàm craßè Smiglecius in sententia de filio Dei erret, Deo juVante, breViter iterum demonstrabo.*

Ratio tituli hujus libri.

Non quæri, an Christus sit verus & naturalis Dei filius, sed cur.

Christum in Scripturis Filium Dei secundùm carnem etiam, hoc est, ob conceptionem & nativitatem suam dici, ostenditur.

CAPUT I.



QVOD hìc Smiglecius docere nititur, unam numero rem pluribus communicari posse, id quia otiosè admodum hìc intruditur, datâ operâ omitto. Quàm verò falsum sit, in cap: 18. lib: 1. de erroribus ostensum est fusissimè. Rem, quæ nunc agitur, ob oculos pono lectori iterum. Christus ob nativitatem ex essentia Dei, filius ejus nec est nec esse potest. Essentia enim Dei numero una est. Restat igitur, ut aliæ causæ inquirantur, ob quas filius Dei censendus sit. Eæ autem sunt duplices. Partim enim ob modum, quo Christus extitit, hoc est, propter miraculosam conceptionem & nativitatem, filius Dei appellatur: partim ob similitudinem, quam cum ipso Deo habuit in hac mortali vita, & nunc in vita illa immortali habet, quæ consistebat in perfecta illius sanctitate, sapientia, potentia, & nunc consistit in divina ejus

Causæ filiationis Christi duplices.

na ejus natura, hoc est immortalitate, junctâ cum summo illo in omnia, quæ ad salutem pertinent, imperio. Hanc divinam eamq; literis sacris confirmatam veritatem, quomodo impugnet Smiglecius, iterum, sed breviter videamus. Nec enim ullo jure, ulla lege teneor ea, quæ antea semel dicta sunt, & a Smiglecio partim omissa, partim futiliter iterum impugnata, omnia repetere, & ita tacitè concedere, Smiglecium justo mecum certamine congressum esse. Possum etiam accusare in eo Smiglecium, quòd nullo prorsus ordine mecum disputat, eo fine, ne lector agnoscat, quænám sicco pede, cùm refutare non posset, præterierit: sed citius Æthiopem dealbes, quàm istam a Smiglecio qualitatem detrahas. Hac enim, ut etiam aliis huic similibus, tota Iesuitarum plærumque nititur cum adversariis agendi ratio. Sed hæc in progressu apparebunt manifestiùs.

Unde probetur, Christum, ob côceptionem esse Dei filium.

Docemus ex verbis Angeli, quæ sunt: *Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi, ideoq;* (Smiglecius contra multa Latina etiam exemplaria habet, *ideoq; &.*) *quod ex te nascetur sanctum, vocabitur filius Dei,* Christum esse filium Dei propter istum modum miraculosum, quo conceptus & deinde natus fuit, quod idem est cum eo, quando dicitur, Christum secundùm carnem esse Dei filium. Iam quis nisi mentis inops & veritatis divinæ hostis istud non videt aut intelligit? Quis non agnoscit meram in eo cavillationem, dum dicitur a Smiglecio, hunc unum tantùm locum a nobis afferri? cum ipsemet non nesciat, unum locum ad docendam rem, nedum ad religionem, qualis hęc est, sed etiam ad salutem pertinentem sufficere? Quis non agnoscit sophisticam tergiversationem, dum iterum dicitur, vocem *ideo* significare quandoq; consequentiam vel illationem rei. Nam licet hoc interdum fieri tandem concedatur, non est tamen a communi vocis significatione recedendum, nisi causæ id cogant gravissimæ, vel saltem justæ, quæ hîc nullæ sunt, ut postea patebit. Quanquam etiam, quod notandum est Smiglecio, nullus ex sacra scriptura locus ab eo allatus est, unde constet sine omni controversia vocem *ideo* aliquid aliud significare, quàm causam.

Cavillationes Smiglecii.

Quando a communi vocum significatione recedendum.

Sed dicet Smiglecius, se rationes attulisse, quare in hoc loco Lucæ vox *ideo* non causam significet, sed signum & indicium. Videamus ergo illas. 1. est. *Quòd angelus dixerit, vocabitur filius Dei. Christus verò nec se ipsum vocavit, nec ab aliis ita vocatus sit.* Repellitur 1. quòd vox *vocabitur* in s. literis non appellationem tantùm sed ipsam rem significat, & idem valet, quod *erit.* 2. Quòd in verbis angeli non indicetur, qualis filius Dei Christus vocari, sed simpliciter, quòd filius Dei vocari debuerit. possum autem aliquem filium Dei appellare, etiamsi

Rationes Smiglecii refelluntur.

Vocari est, esse. 1. Cor: 8. 5. 1. Ioan: 3. 1, 3.

Quid dicitur in verbis angeli.

tiamsi causam, cur ita cum appellem, non exprimam. Verum proinde & illud manet, quod antea etiam dixeram, nec ex eo, quòd Christus ita appellatus non legatur, consequi, quòd non sit appellatus, nec ex eo, quòd non sit appellatus, cum appellari ita non posse.

2. Ratio Smiglecii sumitur ex voce *sanctum*. Sed loco rationis sententia tantùm dicitur a Smiglecio, eaque talis, quam nos recipere nullo jure tenemur, utpote controversa & falsa, &, ut ipsemet Smiglecius fatetur, ab angelo hîc non expressa, &, quod caput rei est, talis, ex qua nullo modo apparet, quomodo vox *ideo* non causam significet sed signum tantùm. Quem modum disputandi non possum ob imbecillitatem & ruditatem non contemnere. Interim me sugillat, qui sanctitatem in Christo infante propriam non agnoscam; sed frustrà. Cùm enim sanctitas, propriè accepta in actionibus consistat, quis non videt, eum, qui nihil dum agere potest, nec sanctè agere posse. Sanctum ego, in neutro genere, Christum fuisse ab initio conceptionis fateor; quia singulari modo ab omnibus aliis creaturis separatus erat. Nihil autem huic contrarium docent scripturæ a Smiglecio adductæ. In Esaia enim non constat, puerum Iesum, quà puer, Deum appellari: satis autem est, puerum istum Deum deinceps appellatum fuisse ob potentiam suam, ut hac de re eleganter disserit Vatablus super hunc locum. Elisabetha etiam puerum Iesum Dominum suum appellare potuit, quia talis puer iste futurus esset, idemq; de aliis scripturis intelligendum. Nam quæ certò futura sunt, ea ita a divinis hominibus describi & exprimi solent, ac si jam re ipsa extent. Magorum verò adoratio huc nihil facit, cùm nihil sit, unde constet, eos Christum adorasse tanquam regem divinum & cælestem.

Modus responsionis Smigleciana reprehenditur.

Cur Christus Sanctum dictus.

3. Ratio Smiglecii ex voce *Et* promitur, *quasi scilicet istâ voculâ comparatio indicetur, quòd non tantùm illud verbum, quod ab æterno natum est, sit filius Dei, sed etiam quod tunc ex Maria nasci debuit.* Sed primùm iterum non video, quomodo hinc consequatur, vocem *ideo* non significare causam. Deinde dico, istam considerationem in vocula *Et* positam valdè puerilem esse. Cùm constet, tales voculas interdum otiosè poni. Quod quantumvis sugillet Smiglecius & tanquam rem tantùm non impiam exaggeret, tamen verum semper manebit. Attuleram duo loca ad hanc rem confirmandam: Smiglecius *fraudem mihi propterea obiicit, impostorem me appellat, & quâ notâ dignus sim, omnibus judicandum relinquit.* Miror hominis genium, qui ita tumultuetur sine omni causâ, & alienæ famæ detrahere non erubescat. Iudica quisquis es, quid de Smiglecio sentiendum sit. 1. Ioan. 1. 3. sic legimus ex Græco: *Et communio verò nostra* (est) *cum patre, &*

Vocula Et, interdum otiosa.

Smiglecius castigatur.

Exẽplis illustratur.

cum filio ejus Iesu Christo. Quis hîc non videt, vocem *Et* redundare. Sensus enim absque ea integer est, per eum verò immutatur. Cùm enim ante dixisset: *Quod vidimus & audivimus annunciamus vobis, ut & vos communionem habeatis cum nobis*, satis erat dicere, communio verò nostra est cum Patre, & cum filio ejus Iesu Christo. His enim verbis posterioribus communio ista, cujus in prioribus fit mentio, explicatur & commendatur, quæ explicatio & commendatio obscuratur, si vox *Et* ab initio habeatur pro tali, quæ non redundet. Ioan: etiam *6.* v. 51. ita legitur ex græco: *Et panis autem, quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita.* Vbi similiter vocem *Et* redundare & sine ea sensum esse integrum, per eam verò mutari, prolixè demonstrari posset, nisi res pro nobis loqueretur. Manifestè enim Christus, postquã docuisset, se esse panem cœlestem, se esse manducandum, & ex se vitam æternam manare, docuit etiam, quidnam ad efficiendum illud, quod antea docuerat, & ab hominibus exegerat, tunc restaret, nempè traditio carnis suæ, hoc est mors illius truculenta. Et sanè in hoc utroq; loco tale quid vulgatus interpres animadvertisse videtur. In utroque enim vocem δὲ, vel *autem* omisit, retentâ voce *Et*: sed quantò tutius sit retinere vocem *autem* omissâ voce *Et*, puto jam ex his paucis, quæ diximus, constare. Denique addo, quòd in ipso Lucæ loco Syrus interpres vocem *Et* prorsus omisit: in non nullis latinis etiam exemplaribus tantùm legatur, *ideoque sanctum*, &c. Iam videat lector candidus, quantum fidei Smiglecio aliis detrahenti & eos convitianti sit adhibendum. Audiat denique doctorem Theol: collegam suum Maldonatum Iesuitam, qui idem nobiscum sentiens: scribit, *aliquando eleganter apud Græcos autores voculam Et redundare, quemadmodum observârunt quidam*, & exemplo ex Synesio, allato plura in f. literis quàm apud prophanos autores reperiri asserit, ratione additâ. *Quòd, quia Hebraicum Ve frequentissimè redundet, hujus imitatione soleant autores sacri contrarium* καὶ, *otiosum ponere. Gen: 22. v. 1. Matt: 9. v. 10. et 28. v. 9.*

Testimoniũ Maldonati supra locum Luc: 1.

Rationibus his tribus absolutis, *inserit* Smiglecius, *quid nos de unione filii Dei cum natura humana sentiamus, & hic iterum me impium, &, quod sentio, summam blasphemiam appellat.* Sed quid hîc pietatis vel etiam civilitatis est, ita in parem debachari? Quid methodi, res diversis in locis scriptas ita in unum coacervare? Quid deniq; rationis, dum primùm ait, me illud Petri non pertimescere: *Hi velut irrationabilia pecora, naturaliter in captionem & in perniciem in his, quæ ignorant, blasphemantes, in corruptione sua peribunt.* Equidem miror, dum

Scribendi modus Smiglecianus.

Ignorantia Smiglecii.

dum a non paucis nostri seculi Pontificiis scriptoribus hunc locum eo sensu allegari audio, quo vix aliquis a re alienior esse potest; & Smiglecium pudere istius stuporis debebat, si cum ratione agere vellet. D. Petrus falsos Prophetas & doctores describens, inter alia commemorat, quòd & post carnem in concupiscentia immunditiæ ambulaturi, & dominationes vel magistratus blasphematuri sint. Interpositis paucis verbis, quibus indignitatem facinoris hujus posterioris exprimit, quòd scilicet tale quid angeli adversus Satanam, propter ejus magistratum, non audeant, iterum utrumq; illud vitium in falsis istis doctoribus, non tantùm ut antea expressurus, verùm etiam perstricturus, hæc verba addit, quibus docet, eos, ea quæ ignorant, blasphemare, & tanquam irrationabilia pecora in corruptione & libidine suâ perire. prius illud ad blasphemiam magistratus, posterius hoc ad istam post carnem in concupiscentia immunditiæ ambulationem sermone quodammodo conciso referens. Quod ex Iuda, cujus epistola hujus Petrinæ quasi compendium quoddam est, rectiùs videre est. Is enim, postquam v. 8. utrumq; istud vitium, nempe studium libidinis & contemtum Magistratus falsis doctoribus attribuisset, & alterius indignitatem v. 9. itidem expressisset, sic ait v. 10. *Hi autem, quæ quidem ignorant, blasphemant* (ad posterius vitium respiciens) *quæcunq; autem naturaliter tanquam irrationalia animalia nôrunt, in his corrumpuntur*, prius illud vitium perstringens, & cùm ejus fœditatem, tùm etiam finem funestum exprimens. Hoc verò totum quid ad nos, vel ad eos, qui aliquid Smiglecii commentis contrarium affirmant? Si dicat nos blasphemare id quod ignoramus, prçterquam, quòd ad sensum alienum verba Apostoli detorquenda ipsi erunt, nonne id affirmat, quod probandum est? Non enim ideò quòd ignoremus, quæ Smiglecius de Filii Dei cum ista natura humana unione somniat, ea reijcimus: sed quia optimè intelligimus, ea nec cum sacris literis, nec cum sana ratione convenire, non possumus ea non reijcere. Adde quòd ea, quæ in sententia Smiglecii reijcimus, non blasphemamus: sed Smiglecius est, qui negationem eorum, quæ ille sentit, blasphemiam appellat, ut ita incautis terrorem verbis incutiat, quem argumentis incutere debebat. Verba verò reliqua Petri & Iudæ, quàm huc nihil faciant, & quomodo adversus Smiglecium & ejus dogmata, imò universam religionem Romanæ Ecclesiæ jure converti possint, nolo nunc prolixiùs explicare. Nemo enim non videt, quomodo utrumq; hoc vitium impuné in ecclesia Romana vigeat.

Sensus verborum Petri.

Vnde is sensus pateat.

Cur sententiam Smiglecii rejiciamus.

Posse aliquid reijici, nec tamen blasphemari.

Deinde, quid item in eo rationis, dum argumentis meis solam suam & ecclesiæ suæ sententiam opponit? Dixerat Smiglecius (quod

hîc suo more non sine dolo dissimulat) Spiritum sanctum univisse carnem humanam personæ filii Dei. Hanc ego insulsam orationem refutaturus, dixi primùm, si Spiritus sanctus univit carnem humanam personæ filii Dei, sequitur tunc jam extitisse Dei filium. Nam quod non existit, cum eo nihil uniri potest. Si tunc extitit filius, sequitur, eum tunc non esse natum ex Maria. Smiglecius quid ad hoc? *Ignorantissimè* primùm ait *hoc & sequentia à me dici:* ipse verò sapiens ita respondet: *Quia ante carnem caro non fuerit,*(filius Dei) *ideò secundùm carnem nasci potuit. Fuit autem secundùm divinitatem, idcircò secundùm divinitatem nasci ex virgine non potuit: ita ut secundùm id, quod ante fuit, non dicatur ex virgine natus, sed secundùm id, quod ante non fuit.* & posita hac nuda sententia, interrogare non dubitavit, *quid hac responsione convenientius?* Ego verò dico, vix aliquid dici potuisse ineptiùs & ad rem minùs faciens. Nam & turpissimè principium petit, dum Christum antea extitisse secundùm divinitatem affirmat, de cujus istâ divinitate nunc potissimùm disputatur; & nodum non solvit. Non enim ostendit, quomodo filius Dei nasci potuerit cùm antea fuerit, cùm esse & nasci adversa fronte pugnent inter se. Phrasis verò ista, Filium Dei natum esse secundùm carnem, nonné prorsus est exotica & barbara, & sacris literis prorsus incognita? Sensus verò illius certè talis est, quem nemo sanæ mentis capere aut recipere potest. Tàm enim verum est, eum qui naturâ Deus est, secundùm carnem nasci posse, quàm verũ est, Deum posse mutari vel etiã mentiri.

Responsiones Smiglecii ineptissimæ indicãtur & refutantur.

Dixeram secundò: si tunc ex Maria filius Dei natus est, quomodo non erũt duo filii Dei, alter scilicet, qui ab æterno fuit, alter quem Maria concepit. Smiglecius iterum sententiam suam nobis narrat, *non futuros duos Dei filios propter unam filii Dei & filii hominis personam, eundem enim filium Dei, qui secundùm divinitatem ab æterno ex Deo natus est, secundùm carnem aßumtam & sibi unitam in tempore ex virgine nasci potuiße.* At hujusmodi responsiones non possunt non contemni ab eo, qui vel minimo judicio præditus est: & solo contemtu refutari merentur. Ratio manifesta est: Si antea fuit filius quàm Maria pareret vel conciperet, & Maria filium Dei concepit & peperit, duos esse filios. Hanc refutare velle, solâ sententiæ stupidæ & omnis rationis expertis, & nusquam in sacris literis expressæ, dictione, quid est aliud, quàm de opprimendo eo cogitare, quem refutare debebas?

Dixeram tertiùm, Christum non futurum verum hominem, si non sit natus persona humana. Smiglecius suo more, valde intolerabili, recenset, quid de hac re sentiant sui Theologi, & semel ait, hominem verum esse humanam naturam, etiamsi ea in aliena persona

subsistat

subsistat: iterum verò concedit, *hominem illum non minùs personam esse, sive suâ propriâ personâ subsistat, sive personâ alienâ.* Sed hæc omnia nec sunt s. literarum principia, nec ex eis deducta pronunciata, nec cum sana denique ratione conveniunt. Quis enim unquam audivit, hominem eum verum esse, qui non sit persona humana? Nonné hac ratione Christus erit imperfectior homo, quàm omnes alii homines sunt aut fuerunt? Singuli enim homines per se subsistunt; solus homo Christus in alio subsistit. Semper autem id, quod per se subsistit, præstantius est eo, quod in alio subsistit. Iam quæ hæc fictio personæ est in homine vero, quæ non sit persona humana? Ipsa rei natura exigit, ut qui homo appellatur, humana sit persona: At nihil est quod cogat, ut is, qui Deus appellatur, sit persona divina, cùm constet, vocem Deus quandoque dignitatem significare: & tamen Christum quia Deus vocatur, personam divinam esse concludit Smiglecius, quia verò homo appellatur, personam eum humanam esse partinacissimè abnegat. Sed tędet me hujus inanissimi laboris, quem in istis opinationibus Smiglecii recensendis insumo.

Homo absq; persona humana nullus datur.

Quarta ratio Smiglecii est, *quòd Christus, si modus conceptionis esset caussa huius appellationis, vocandus fuerit Filius non Dei, sed Spiritus sancti ex quo scilicet conceptus fuit.* Hujus rationis ego nullam vim nec tunc agnovi, nec nunc agnosco, nec de via evadendi vel cogitavi quidem, ut gloriabundns ait Smiglecius, sed satis habeo dicere, argumentum illud Pontificiorum niti falsa hypothesi; quòd scilicet spiritus S. sit persona. Nam si non sit persona spiritus S., quomodo Christus ejus filius dici posset? Smiglecius de Spiritu S. disputationem satis prolixam instituit, &, quæ adversus opinionem, quòd Spiritus S. sit persona, objiciuntur, refutare aggreditur: sed irrito prorsus conatu. Dico ego: Spiritum S. dari, & multis simul dari, & a Deo peti, ideoque non esse personam. Smiglecius ait, *dari subditos à Dominis* &c. *qui tamen sint personæ.* Sed ipsemet statim se refutat, dum ait, me de tali datione loqui, ut persona quæ datur, *in nobis habitet, ut de Spiritu S. legimus, quòd detur in corda vestra.* Illo verò modo dari personam, nullo modo probari potest. Nam quòd ait, *Christum & Patrem mansionem facere apud eos, qui Christi præcepta observant; & Christum habitare per fidem in cordibus fidelium; & Spiritum S. per charitatem diffusam in cordibus nostris habitare,* id quàm sit ineptum, per se patet. Locutiones enim istas esse improprias, quis non videt, cùm certum sit, Christum ex cœlo ad neminem venire, vel habitare in aliquo personaliter, sed id totum fieri per gratiam, quæ vocibus *per fidem* ibidem additis satis explicatur. Potest enim Christus habitare per fidem in corde alicujus, etiamsi ille nunquam de-

Spiritum S. non esse personam.

Christi cum hominibus mansio & habitatio impropria.

cœlo descendat, vel in aliquo habitet personaliter. Meminerit autem lector, quàm audax sit Smiglecius, qui paulò ante dixerat, argumentum nostrum repulsurus: *alioqnin neque filius Dei erit persona*, *quem nobis* a Deo datum *non semel* in scripturis legimus. Legere nos ait non semel, filium Dei datum esse nobis, & tamen nec unum locum attulit, ubi hoc scriptum legamus. Nam quæ ascripsit verba. *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret*, nec docent, id non semel dictum esse, nec docent, id semel dictum esse, nulla enim ibi mentio ejus, cui sit datus filius Dei a Deo. Ipsa etiam res loquitur & loci circumstantiæ testantur, vocem *dandi* ibi accipi absolutè, pro *tradendi* scilicet in mortem, ita ut nemo prorsus sit, cui datus sit Dei filius. Si locum illum adducere velit Smiglecius ex Esaia: *puer natus est nobis, filius datus est nobis*, præterquam quod illud *non semel* uno loco non confirmaturus sit, jam pridem a Pontificiis etiam scriptoribus observatum est, voces istas *nobis* idem valere quòd propter nos. Quemadmodum etiam cùm de Deo dicitur, illi aliquid evenisse, idem valet, quòd Dei causâ, vel in honorem Dei.

Audacia Smigl.

Nusquam legitur Christum nobis datum esse propriè.

Dari, esse in mortem tradi.

Datum esse nobis filium quid sit

Mich: 5. 2.

Non minor & illa est audacia, quòd ait, *Deum seipsum dare nobis*. Hoc enim ita falsum est, ut refutatione non indigeat, & ipse Smiglecius, postquam hoc dixisset, ea verba addit, quæ hæc priora prorsus refutant, dum ait, *eum habitare per gratiam suam in nobis*. Hæc enim contrarium ejus quod affirmat Smiglecius, continent. Nam si personaliter Deus in hominibus maneret, quid opus esset dicere, eum habitare per gratiam? Nam ubi persona Dei est, ibi non potest non esse gratia illius: At non ibi Deum esse personâ, ubi est gratiâ, omnes norunt.

Audacia Smiglecii.

Notetur autem hîc etiam astutia Smiglecii vel potiùs dolus. Nihil enim ad id respondit prorsus, quod ego dixeram, Spiritum S. a Deo peti, unde constet, eum personam non esse. Sicco scilicet pede transiit, quod refutare non potuit.

Smigl: astutè omittit, quod refutare nequit.

Iam cùm dixerit, *personam spiritualem posse simul esse in pluribus locis*, & illud exemplo animæ comprobare nititur, Philosophiam pro suo libitu tractat, vel potiùs ex eo, quod falsò de anima dicitur a philosophis, Theologiæ dogmata cudere non minùs ridiculè quàm ineptè cogitat. Dum verò a me quærit, etiam, *num existimem eundem numero Spiritum S. omnibus dari, aut alium & alium*, & si dicam eundē, hinc colligit, *posse, ut unam rem spiritualem, sic etiam personam simili modo omnibus simul dari*, sin negem, eundem dari omnibus, *Paulo me ait repugnare, qui unum spiritum omnium gratiarum distributorem esse, eumque cum donis dari asserat Rom: 5. v. 5.*, nihil dicit sobrium, nihil rectum

Ineptus Smiglecii discursus.

rectum. Nam non eadem ratio est personæ, quæ rei. Res suo modo hominibus dari potest, quatenus de illa datur, ut immortalitas data est multis & dabitur pluribus, quæ tamen numero una esse jure dici potest. Deinde dici potest, non eundem spiritum dari omnibus, quatenus diversæ sunt spiritus istius in multis operationes. Cùm verò Spiritus S. distribuere dicitur unicuiq;, id figuratè accipi nemo non videt. Spiritum verò sanctum, ut datorem etiam dari nusquam asseritur. Verba enim Pauli, *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum S. qui datus est nobis*, non dicunt, spiritum esse datorem vel personam, cùm non minùs Deus per proprietatem aliquam suam dare possit, quàm per personam. Imò ex eo ipso, quòd spiritus, per quem diffusa est in cordibus nostris charitas, datus est nobis, jure colligitur, eum donum esse, non datorem, quod idem etiam antiquiores ecclesiæ doctores senserunt, ut de Hilario docuit D. Moscorovius.

Alio modo res, alio personas dari.

Quatenus dici queat, non eundē spiritum omnibus dari.

Locus Rom: 5. explicatur.

Præterea dum me vult ex eo, quòd Spiritus S. in omnibus est & ubique, colligere, spiritum S. esse verum Deum & personam, duplici modo errat. Nam Spiritum S. in omnibus esse absolutè nusquam asseritur, nec asseri potest. Omnes enim servarentur propter illum Spiritum, teste Paulo: & etiamsi in omnibus & ubique esset, hinc non sequeretur, eum esse verum Deum eo sensu, ut sit etiam persona. Nonné enim virtus Dei vel potentia ejus in omnibus ubiq; adest, nec tamen ea vel Deus verus est, vel persona divina. Porrò ait spiritum S. esse ubiq; omnium aliorum bonorum operatorem & proinde verum Deum. Sed non directè, quod quæritur, probat. probandum enim erat, spiritum S. esse personam. Concedi autem potest, Spiritum S., ut & alias Dei proprietates, suo modo, Deum esse, nec tamen personas a Deo separatas. Alias enim plures tribus essent personæ divinæ. Quid verò mirum est, si dicatur, Spiritum Dei non esse extra Deum, & in omnibus Dei operibus apparere, siquidem ita in Deo est, ut est spiritus in homine? Ex eo verò, quòd Spiritus Dei in Deo est, ut spiritus hominis in homine, colligere, Spiritum sanctum esse Deum ipsum, & personam a Deo diversam, quod porrò facit Smiglecius, est absq; mente aliquid dicere & semetipsum refutare. Nec enim spiritus hominis ipse homo est, aut persona ab homine distincta, sed ejus pars tantùm, ut ipsemet Smiglecius fatetur. Iam dum iterum dicit, proprietates in Deo non esse accidentia sed substantias per se subsistentes & idem cum substantiâ divinâ, alienam a Theologia rem asserit, & in vocibus ludit. Nam in Dei substantia statuere substantias per se subsistentes, quænam ratio docet aut permittit? cùm substantiæ proprium sit, non inesse in alio; & si ita substantiæ sint per se subsistentes

Spiritum S. non esse in omnibus absolutè.

Rom: 8. 11.

Aliud est, Spiritū sanctum Deum esse, aliud eum personam esse.

Spiritus Dei in Deo est, ut spiritus hominis in homine.

In Dei substantia non esse substantias per se subsistentes.

ſiſtentes Dei proprietates,quomodo non erunt tot in Deo perſonæ, quot ſunt in eo proprietates?

Pater eſt in Chriſto & nobis, & Chriſtus in Patre, impropriè.

Non repugnare autem, perſonam eſſe in perſona, dum per id probat Smiglecius, *quòd Deus in nobis ſit, & pater in filio & filius in patre*, locutiones figuratas cum propriis cum confundere, & incerta pro conceſſis ſumere, dicimus. Nec enim Deus in nobis vel in Chriſto eſt, nec filius in Patre quoad perſonam. Aliàs enim ſequeretur, nos etiam, quoad perſonas eſſe in Deo, cùm non minùs de nobis dicatur, quòd in Deo ſimus, quám de Deo, quod in nobis ſit.

Cùm verò tacitæ occurrens objectioni, quâ jure aſſerere ſolemus, tunc Spiritum ſanctum dari nobis dici poſſe, cùm dona illius nobis dantur, dicit, non tantùm dona nobis donari, ſed etiam ipſum autorem & largitorem donorum, idq; probat loco Rom.5.v.5. iam ad id ſuprà reſponſum eſt & demonſtratum, nihil a Paulo dici, unde cõſtet Spiritum ſanctum tanquam datorem, & proinde tanquam perſonam nobis dari.

Adhuc infirmiter probat, Spiritũ ſanctum non poſſe per proſopopœiam deſcribi, vel, ut nos loquimur, per proſopopœiam illi tribui, quod eſt proprium perſonæ, licet tantùm ſit res, *quia ſcilicet virtus Dei increata non ſit accidens, ſed res per ſe ſubſiſtens, & idem quod Deus*. Nunc enim diſputatur, an Dei virtus ſit res per ſe ſubſiſtens, & docetur, eam non eſſe talem. Nec affirmatur a nobis unquam, virtutem Dei increatam eſſe in Deo accidens. Deus enim nunquam ſine illa fuit, nec eſſe potuit. Nihil autem impedit, quo minùs ex Deo, cujus virtus increata eſt, promanet vel ut Chriſtus loquitur, procedat, talis virtus, quâ homines perpetuò ſanctificantur. Quemadmodum ex ſapientia & immortalitate Dei id promanavit, per quod homines & angeli ſapientes & immortales effecti ſunt, ſarta tecta manente naturali vel increata illa Dei ſapientia & immortalitate.

Spiritum ſanctũ ex Deo promanare.

Spiritum ſanctum perſonam divinã non eſſe, docetur amplius.

Adverſus argumentum, quod ex verbis Chriſti, *Spiritus autem non loquetur a ſemetipſo*, deduco, nempe nullo modo divinam perſonam eſſe poſſe eum, qui non a ſeipſo loquatur, ſimplicem affert explicationem ſuam, & ita rem ſe bene confeciſſe autumat Smiglecius. Sed iſtum diſputandi modum non poſſum non contemnere. Locum explicare concionatoris eſt; & ſi diſputator illud idem faciat, vel officium ſuum non facit, vel ſaltem id minimè curandum eſt. Quanquam explicationem iſtam falſam eſſe facilè oſtendi poteſt ex illis ipſis verbis, cum Chriſtus ait: *Sed quæcunq; audiet loquetur*. Hinc enim conſtat, Spiritum ſanctum poſtea quàm Chriſtus hæc verba protulit, auditurum fuiſſe, quæ locuturus erat. Smiglecius autem in

ſua

ſua explicatione aſſerit, *Spiritum ſanctum cum divina natura omnem ſcientiam accipere, vel potiùs accepiſſe ab æterno.* Novimus Spiritum ſanctum non ita non loqui a ſemetipſo, ut homines non loquuntur a ſemetipſis. Homines enim perſonæ ſunt, at ſpiritum ſanctum perſonam eſſe falſum eſt, vel ſaltem controverſum: ſed id, quod de hominibus dicitur ob aliquam eorum imperfectionem, de ſpiritu ſancto dici non potuiſſe, ſi eſſet perſona, eaq; divina, nimis manifeſtum eſt. Quia verò perſona non eſt ſpiritus ſanctus, per proſopopœiam id de eo dici potuit, ad oſtendendam ſoliditatem & veritatem eorum, quę per iſtum ſpiritum Dei Apoſtolis revelanda erant.

Nihil autem prodeſt ad cauſam Smiglecii juvandam, *quòd Spiritui ſancto non quocunque modo tribuantur eædem actiones, quæ Deo, ſed tanquam diſtincto à Patre & filio.* Quis enim neſcit, aliis etiam rebus, quæ non ſunt perſonæ, tribui poſſe easdem actiones, quæ perſonis tribuuntur, iisque tanquam diſtinctis a perſonis, quarum ſunt, cujus rei exempla non pauca occurrunt in Prophetis & Pſalmis, adeóque in ipſo N. T. ut alibi docuimus. Quanquam verò hîc confitendum eſt, tàm crebram in aliis rebus, quæ perſonæ non ſunt, non occurrere mentionem, atque in ſpiritu ſancto; tamen non ea ratio eſt illius rei, quòd ſpiritus ſanctus perſona ſit, ſed alia longè ad rem accommodatior & conſolationis plenior, quòd ſcilicet hac ratione indicatur, Deum, qui omnia agit ſuo ſpiritu vel virtute, non omnia agere iſto ſpiritu ſancto, ſed ea tantùm, quæ ad ſalutem humani generis pertinent. Ex quo tandem patet, ut Smiglecius cauſam habere videtur, cùm ſpiritum ſanctum perſonam eſſe credit, ſic nos multò juſtiorem cauſam habere, cur perſonam eum eſſe non credamus. Nam quæ pro Smiglecio facere videntur, ea omnia per modos loquendi in ſacris literis ſatis uſitatos, nempe vel per metonymiam, vel proſopopœiam explicari: quæ verò pro noſtra ſententia afferimus, ea nullo loquendi modo explicari vel refutari poſſunt. De quo aliàs plura.

Cur tam crebrà Spiritus S. diſtinctè a Deo fiat mentio.

Argumenta negantia Spiritum ſanctum eſſe perſonam, cur præſtent idem affirmantibus.

Deniq; Smiglecius vocem *ideo*, & ſignum ſignificare ait, & cauſam ſignificare poſſe ſuo ſenſu concedit. Sed utrumque ſine ratione. Nam quo ad prius, *quod iſte admirabilis modus concipiendi ſignum futurum eſſet, quòd is, qui ita concipiendus erat, futurus eſſet Dei filius*, nuda affirmatio eſt, & a Socino refutata antea, per id, quòd virgo ex ſpiritu ſancto purum hominem parere potuerit, vel certè non magis Dei filium, quàm vel Patrem vel ſpiritum ſanctum. Ad quod reſponſum a ſe eſſe ait Smiglecius in Monſtris: At ego ad Monſtra iſta reſponderam viciſſim, & docueram, ſiquidem voluntas Dei in hoc negotio

gotio ostendi nequeat, frustra Smiglecium ad probabilem congruētiam, vel beneplacita Dei (ut facit) provocare, dum ait, *ita decuisse, ut non prima nec tertia, sed secunda persona Trinitatis id munus obiret*, & nunc iterum repetit: *etiamsi aliter id fieri simpliciter potuerit, reipsa tamen virgineum partum ea ratione Deum ornare voluisse*. Qua quidem responsione Smiglecii vix aliquid fœdius dici potest, & quod hominibus a fide Christi alienis eandem exosam magis reddere possit. Quoad posterius verò, causam scilicet, dicit, *a Spiritu S. superveniente in virginem duo futura fuisse, tùm ut sine labe pudoris conciperet, tùm ut illud quod pareret, non esset nisi sanctum & divinum, ac ex consequenti filius Dei*. Ita nudè, quod libuit, asscripsit Smiglecius, judicet igitur, tùm ipsemet tùm alii, an non ista omnia contemnere magno animo possimus, & per istiusmodi scriptiones in eo confirmari, quod cùm non habet, quod respondeat, audacter sua & ecclesiæ suæ placita nobis obtrudat, & nos quodammodo opprimat.

Futiles Smiglecii orationes.

Refutavi hactenus Smiglecii de verbis angeli sententiam, & ejus falsitatem satis superq; ostendi: Nunc antequam ulteriùs progrediar, operæpretium me facturum puto, si ostendam, Iesuitam quendam una mecum Iesuitam Smiglecium refutare in omnibus, quæ hactenus de loco Lucæ dixit. Is est Ioannes Maldonatus, cujus in Evangelia commentarios nuper accepi. Is enim una mecum vocem *vocabitur* explicat per *erit*, per quod prima Smiglecii ratio subvertitur: Is vocem *sanctum* non nomen esse sed adverbium ausus est dicere, & sanctum appellari non propterea, quòd Deus esset, aut quòd, ut homo, peccato careret, sed quia sanctè id est sine viro conceptus sit, per quod secunda Smiglecii ratio refutatur. Is argumentum ex voce *Et* deductum subtiliter quidem & verè deductum affirmat, sed ad locum, de quo agimus, non satis accomodatè. per quod tertia Smiglecii, si non tollitur, saltem vehementer labefactatur. Is causam hîc indicari, ob quam Christus filius Dei vocandus sit, satis disertè aliquoties confitetur, dum, refutaturus eos, qui dicunt, Christum appellandum ab hominibus filium propter miracula, atque divina opera quæ facturus erat, ait, *non eam causam afferre angelum, quamobrem Dei filius vocandus esset, sed quòd Spiritus sanctus superventurus in virginem, eamq; virtus altissimi obumbratura esset*, per quæ otiosus ille Smiglecii discursus de voce *ideoque*, etiam funditus evertitur. Omitto alia non pauca, quæ pro veritate in hac materia ibidem scripsit Maldonatus, certè non contemnenda. Videat jam benevolus lector, tum quomodo conveniat Iesuitæ cum Iesuita; qui tamen, quoties diversam inter

Maldonatus Iesuita Smigleciū refutat.

nostros

nostros non de articulo fidei, sed de loco aliquo scripturæ, sententiam audiunt, satis nobis insultare non possunt. Videat etiam, an non jure id in priori responsione Smiglecio objecerim, eum nulla re superare suos collegas, quàm audaciâ, quam in eo excitârit ingenii felicitas, vel potiùs versutia & persuasio de scientia Logica. Nam si conferas istum Maldonatum cum Smiglecio, quoad scientiam rerum divinarum, miraberis sanè tantam inter eos differentiam, & illius præ hoc tum judicium, tum cādorem. Liberè enim satis semper, non autoritatem Patrum, sed rationes ab illis allatas sequitur, & propterea multa verissima optimè percepit. Smiglecius verò semper crassissimas patrum sententias, imò errores sequitur, &, confisus sophisticationi suæ, ad quam natus esse videtur, ea nobis obtrudere conatur, quæ ipsi etiam ejus collegæ, qui sacris literis intelligendis plus sese dederant, quàm Smiglecius, partim tanquam a re aliena, partim tanquam valde jejuna rejecerunt.

Maldonatus Smiglecio præfertur.

Obiter autem hoc etiam hîc addam, injuriâ stomachari Smiglecium, cum a nostris interdum dicitur, si quis explicationes Patrum antiquorum super loca s. scripturarum plærasq; colligere velit, eum toti mundo magnam ridendi causam præbiturum. Ex solo enim isto Maldonati commentario hoc ita ad oculum patet, ut nihil magis. Allatis enim, nonnunquā satis multis, diversis unius loci explicationibus, dum optimas plærunq; eligit & amplectitur, satis indicat, quid de aliis statuendum sit. Quin imò disertè etiam quandoq; exprimit, dum eas obscuras, ad rem non pertinentes, coactas, mirabiles & aliis his similibus nominibus appellat, & interdum se malle cum uno minore & obscuro rectè sentire, quàm cum magnis & illustribus patribus sententiam, quæ sibi minùs probetur, amplecti. Imò ex autore operis imperfecti, quam de Ariana hæresi suspectum fuisse & Arianizate dicit, plurima adducit, quæ calculo suo comprobat. Quod fortassis nūquam faceret Smiglecius. Is enim omnia, quæ a nobis dicuntur, ob id solum contemnere videtur, quòd a nobis dicantur, quantumvis interdum verissima sint, adeoq; causam ejus minimè lædant.

Explicationes patrum examinare licere.

Super cap: 20. Matth:

Scripturas admittere, Christum secundùm carnem dici Dei Filium, ostenditur.

CAPUT II.

SECUNDUM caput Smiglecius confecit affectatè, quòd scripturæ non admittant Christum secundùm carnem (vel ratione conceptionis

ptionis & nativitatis) dici Filium Dei. Nam si, Christum in scripturis non esse Dei filium secundùm carnem, ostendi potest, quod 1. cap: probandum sumserat, quomodo verum pariter non est, scripturas non admittere, Christum secundùm carnem esse Dei filium. Ita in rebus etiam minimis errores Smiglecii ostendi possent & exagitari: Sed rem videamus. Tentaverat illud idem in Monstris suis Smiglecius, & eosdem locos, quos hîc repetit, ibidem attulerat. Responsum est homini audaculo, quantum satis est ad ipsius inertiam hac in re ostendendam, & vix aliquid præter verba superest, ad quod respondere amplius tenear. Persequar igitur rem brevissimè. Is cui veritas cordi est, si ea, quæ antea a Smiglecio dicta, & a nobis ad ea responsa sunt, expendere voluerit, nihil a nobis desiderabit amplius: Reliquorum verò causâ quis laborem subiret tam molestum?

Repetit locum Rom: 1. in quo affirmatur, *Christum esse filium Dei secundùm spiritum sanctificationis*. Responsum fuit, eum, qui de Christo affirmat, illum esse certam ob causam filium Dei secundùm carnem, non negare, eum esse filium ejusdem Dei ob aliam causam; nec id propositum fuisse Paulo docere, quomodo Christus sit factus ex semine Davidis, sed tantùm ostendere, quis sit filius Dei, & quænam ad eum constituendum requirantur. Quæ responsio sufficit ad Smiglecium repellendum. Addo nunc, ex Pauli verbis colligi posse, Christum esse Dei filium ratione conceptionis. Ait enim, filium Dei qui factus est ex semine Davidis secundùm carnem, esse constitutum Dei filium in virtute secundùm Spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum. Vnde constat, Christum antequam constitueretur Dei filius in virtute, secundùm spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum, fuisse Dei filium. Hoc verò, ut ad alios filiationis modos, sic etiam ad illum, qui ad conceptionem & nativitatem illius spectat, referri posse, nemo sanæ mentis negare potest. Nec quicquam valet, quod Smiglecius antithesin urget. Hæc enim integra est, si de Christo dicatur, eum esse filium Dei, qui factus est ex semine David secundùm carnem, & qui sit constitutus Dei filius secundùm Spiritum sanctificationis, etiamsi modus, quo factus est secundùm carnem, non explicetur.

Christum esse filium Dei ob conceptionem.

Affert secundum locum Hebr: 7., *quòd Christus sit talis Dei filius, qui sit sine patre sine mare, sine genealogia, nec initium dierum nec finem vitæ habens*. Quæ sententia illius falsa est. Nec enim de Christo primùm dicuntur illa verba, sed de Melchisedeco, nec dicitur, filium Dei esse assimilatum Melchisedeco, sed assimilatum esse Melchisedecum Dei filio: Smiglecius autem ita loquitur, ac si hæc de Christo di-

De Melchisedeco dicta ad Christū accommodantur.

ſto dicta ſint, ac poſtea ad Melchiſedecum accomodentur.

Deinde etiamſi ad filium Dei accomodari ſuo modo poſſint, non tamen accomodantur,quatenus is eſt Dei filius,eo ſenſu,de quo nunc agimus, ſed quatenus filius Dei eſt ſacerdos. Non igitur vult ſcriptura, talem eſſe Dei filium, qualis deſcribitur illis verbis, ſine Patre ſine matre, ſed talem eſſe ſacerdotem.

Chriſtus non eſt filius, ſed ſacerdos ſine patre ſine matre.

Hoc autem quid ſit, pereleganter ab eodem autore docetur, dum ibidem ait, Chriſtum ſecundùm ordinem Melchiſedec, & non ſecundùm ordinem Aaron dici ſacerdotem,& ampliùs addit rem hanc illuſtraturus: *In quem hæc dicuntur tribus alterius particeps fuit,de qua nullus attendit altari.*

ỷ 13, 14.

Manifeſtum enim,quòd ex Iuda ortus eſt Dominus noſter, in quam tribum nihil de ſacerdotio Moſes locutus eſt. Et de ſolo ſacerdotio Chriſti ſermonem eſſe in toto illo cap: qui non intelligit, aut non perſuadere ſibi patitur, is deplorandus potiùs eſt,quàm refutandus ampliùs. Qualis eſt Smiglecius, quia contra omnem veritatem & veriſimilitudinem ait: *non niſi uno ex duobus modis a ſe vel a patribus ſuis confictis poſſe eum intelligi, vel quòd filius Dei eiusmodi naturam habeat, ſecundùm quam nullo modo ex parentibus terrenis proceſſerit,hoc eſt ab æterno & in æternum,qualis eſt natura divina,vel quòd utraque Chriſti natura indicetur divina & humana, ſecundùm humanam ſit ſine patre in terris, ſecundùm divinam ſine matre in cœlis*, & hanc autoritate ſuorum patrum ſola probat. Quaſi verò iſti modi certi ſint, quibus nihil falſius. Nam ut non ſemel dicere cogimur, qui ſcripturas adverſus alium urget, cum ita ſe gerere in illis interpretandis oportet, ut nunquam apud adverſarium ſuſpecta jure eſſe poſſit interpretatio.

Qualis eſſe debeat ſcripturæ interpretatio in diſputatione.

vel quaſi iſtis repudiatis non poſſit alius dari, quem antea diſertè expreſſimus & defendimus, Chriſtum ſcilicet in ſacerdotio nec deceſſorem habuiſſe nec ſucceſſorem habiturum,quemadmodum in Melchiſedeci ſacerdotio adumbratum fuit.Hoc autem non paucis verbis idem prorſus ſignificantibus ab autore epiſt: ad Hebr: exprimitur,quia res eſt mira & antea inaudita, more aliorum ſcriptorum ſacrorum,qui Hebraiſmis utentes rem unam eandemq; diverſis verbis explicare ſolent.

Huic explicationi noſtræ leviſſima opponit Smiglecius iterum. Ait enim primùm, *Melchiſedecum abſolutè,ratione originis,dici ſine patre ,etiam nulla ſacerdotii mentione facta , & quæ abſolutè de origine dicuntur, ea non debere ad originem ſacerdotii reſtringi.* Sed quis neſcit, ſæpiſſimè in ſ. literis, ea, quæ abſolutè dicuntur,reſtringenda eſſe ad materiam ſubjectam?

Abſolutè dicta, ſæpe reſtringenda.

Iam verò quis non videt, autorem de Melchiſedeco nihil diſſerere,quatenus fuit homo,ſed omnia referre ad,

ejus

ejus sacerdotium, ut ex cap: 5 & 6. in quibus mentio Christi ad ordinem Melchisedeci sacerdotis constituti, fit mentio, quam rem deinde persequitur, cap: 7. integro. Itaque etiamsi explicatio, quam omnium interpretum audacter, suo more, esse asserit Smiglecius, admittenda esset, quòd ideo sine patre, sine matre dicatur Melchisedecus, quia de illis non scribatur; nihil tamen ea prorsus ad rem faceret, tantùm enim inde sequeretur, de Christo etiam dici, eum sine patre sine matre fuisse, quia ea de illo non scribantur. Quod rursus falsum est, & ipsimet Smiglecio contrarium. Is enim nos vult docere, Christum nec sine patre nec sine matre fuisse: sed, putidâ suorum patrum fabulâ adhibitâ, semel Christum natum esse concedit in cœlis sine matre, iterum in terra sine patre. Quod longè aliud esse ab eo, quod de Melchisedeco dicitur, antea docueram, & res ipsa loquitur. Nam qui semel sine matre, & iterum sine patre nascitur, is matrem habet & patrem. Quàm stultum autem sit, dicere, Christum fuisse natum sine matre in cœlis, quasi scilicet aliquis ea de re vel somniârit unquam, dictum erat antea, ad quod connivet Smiglecius: Quàm falsum etiam sit dicere, Christum esse natum in terra sine patre, ex iis, quæ antea ad monstra respondimus, & nunc iterum responsuri sumus, puto satis superq; constituturum.

Christus quatenus filius & patrem & matrem habet.

Vnde constat porrò, id quod secundum hîc facit Smiglecius, idem esse cum priori. Nihil enim est quod cogat, verba illa posteriora, *neque initium dierum, neque finem vitæ habens*, de alia re intelligi, quàm de sacerdotio. Quòd sicut Melchisedec non habuit sacerdotium a sua familia, quod est initium dierum non habere, ita etiam in neminem alium translatum, sed in ipso solo terminatum fuit, quod est, finem vitæ non habere vel in æternum durare. Per quod etiam sacerdotium Christi adumbratum fuit, ut suprà ex cap: 7. ad Hebr: docuimus, quatenus scilicet & ex ea familia Christus oriundus fuit, ad quã sacerdotium non spectabat, necpost eum alius illi successit ex eadem familia. Aliàs enim scimus, Christi sacerdotium tunc cœpisse, quando a dextris Dei consedit, & finem suo modo habiturum, cùm regnũ patri suo traditurus est. Nec enim sacerdotium sine regno consistere potest.

Christi sacerdotium certo respectu initium & finem non habere.

Tertium etiam, quòd hîc addidit Smig: revera idem est cum priori, nẽpe oppositio initii dierũ & finis vitæ, cùm, non simpliciter ista verba, sed certo respectu accipienda esse, ipsa res testetur, ut antea docuimus. Itaq; verum manet, nihil hîc de Christi persona dici, sed tantùm indicari, quomodo ipsius sacerdotiũ non sit secundùm ordinẽ Aaronis, & tamen verè divinũ. Nec puto opus esse plura hac de re scribere.

Frigidè

Frigidè iterum adducit argumentum antea proſtratum a me, *eadem ratione Chriſtum dici Deum, quâ Dei filium. Quia verò non dicatur Deus ſecundùm carnem, nec filium Dei dici poſse ſecundùm carnem.* Quis enim non videt, licet interdum filius Dei & Deus idem ſint, non tamen ſemper id verum eſſe? Filius enim Dei appellari potuit Chriſtus etiam propter nativitatem ſolam, at Deus non niſi propter potentiam divinam, cùm hæc vox dignitatem non naturam ſignificet, quod etiam in examinatione erroris ex 157 numero 9. breviter indicavimus. Chriſtum autem verum Deum appellatum fuiſſe, quatenus verum ſit cap: 1. docuimus.

Non ſemper idē ſunt, Deum & filium Dei eſſe.

Denique otioſè admodum diſſerit de duplici nativitate, carnali & ſpirituali, ex verbis Chriſti: *Quod ex carne natum eſt, caro eſt: quod ex Spiritu natum eſt, Spiritus eſt.* Nam præter hanc utramque tertiam dari contendimus, quæ eſt, cùm Deus ipſemet ad ſanguinem Mariæ addidit aliam materiam, ex quibus deinde Chriſtus conceptus & natus eſt. Quæ nativitas nec carnalis omninò, nec ſpiritualis propriè eſt, ſed aliquid novum & miraculoſum. Carnalis eatenus dici poteſt, quatenus materia utraque, quæ ad Chriſtum conſtituendum concurrit, fuit res terrenna & carnalis: Spiritualis rurſus dici poteſt, quatenus modus, quo iſtæ terrenæ materiæ concurrerunt, non eſt naturalis, ſed miraculoſus & divinus. Quod in Chriſto veriſſimum eſſe, jam antea docuimus, & paulò poſt iterum docebimus. Nunc tribus verbis purgo me a criminationibus Smiglecii. Cùm dico, Chriſtum Ioan: 3. de eo loqui, quod fit naturaliter, non de omnibus Chriſti verbis id intelligo. alioquin plus quàm ineptus eſſem, qui nativitatem ſpiritualem appellare velim naturalem: ſed de prioribus tantùm. Patet hoc ex ſequentib⁹ meis verbis, quibus oſtendo, non ſequi ex eo, quòd quis caro ſit, eum tantùm ex carne natum eſſe, quod affirmare videbatur Smiglecius, (nullum enim ex loco Ioannis argumentum confecerat, ſed nudè eum appoſuerat) dum non vult admittere, quòd aliquid aliud præter ſanguinem Mariæ ad Chriſti corpus conſtituendum acceſſerit. An verba Chriſti intellexerim vel intelligam, nunc non opus eſt pluribus explicare. Equidem puto vix aliquem eſſe inter eos, qui Theologiæ dant operam vel minimam, qui non intelligat, ex ſpiritu naſci, eſſe regenerari. Regenerationem autem eſſe integram animi & actionum mutationem. Hujus autem mutationis quia cauſa eſt verbum Dei, hoc eſt, promiſſa Evangelica, ideò metaphoricè ſemen ſpirituale id appellari. Sed hoc totum nihil ad rem facere iterum dico. Nunc enim, non de ſpirituali & impropria nativitate Chriſti, ſermo eſt: ſed de carnali & propriâ. Quæ

Triplicem nativitatem dari.

Chriſti nativitas nec carnalis nec ſpiritualis eſt propriè, ſed miraculoſa.

Regenerationis natura & cauſa.

quia modo singulari perfecta est, ideo Christum etiam ob istam nativitatem filium Dei appellari posse contendimus.

Quando locus sit generationi.

Quod objicit amplius, *hac ratione consecuturum, omnia quæ in mundi initio nata sunt ex terra & aqua, productis a Deo seminibus, ex Deo nata esse*, id & futile est, & antea etiam refutatum. Non enim locus est generationi, cùm aliquid ex una materia, vel etiam ex nihilo, ut quidam volunt, creatur: quando verò ad materiam jam existentem, alia divinitus adjicitur materia a Deo, tunc ista actio generatio Dei (quatenus ea in Deum cadit) jure appellari potest.

Addiderat in Monstris etiam Smiglecius de eo, quòd Christus adjuratus a Cajaphâ, non responderit se esse Dei filium natum. quod quàm sit infirmum, ostenderam; Smiglecius autem hîc nullam ejus mentionem facit. Memineris igitur lector, quomodo se in respondendo gerat Smiglecius.

Christum Filium Dei secundùm carnem esse, ampliùs defenditur.

CAPUT III.

Cùm nos Christum filium Dei, secundùm carnem, vel ob conceptionem & nativitatem esse dicimus, propterea quòd Deus in nativitate Christi viri vices suppleverit, æquivocationem hîc latere ait Smiglecius, & tamen ne verbo quidem eam vel indicat vel refutat. Tantùm id quod antea in Monstris prolixè dixerat, prolixiùs repetit & ad nauseam usque, ut antea etiam, tunc demum generationem esse asserit, si ex substantia ejus, qui generat, aliquid ad generationem accedat. Quod ego, in propriissimè sic acceptâ generatione, verum esse iterum dico: interim verum manet, generationem & hâc dici posse, quatenus in Deum ea cadere potest, si ad sanguinem Mariæ addita sit ex parte Dei materia, ex qua, cum sanguine Mariæ juncta, natus sit Christus. Nam si generatio Dei id dici potest, cùm nihil prorsus materiæ accedit, quantò magis ea generatio dici potest, cùm aliquid a Deo creatur, & ad generandum aliquem adjicitur? Vnde patet id, quod pro absurdo objicit Smiglecius, nempe non fore Christum ob hunc modum nativitatis propriissimè Dei filium, prorsus ineptum esse. Nulla enim de causâ Christus propriè (si vox ista accipiatur, ut vulgo solet accipi) Filius Dei dicitur aut dici potest. Cùm propriè Deus nec generet nec generare possit. Quemadmodum nec illi, qui Dei naturæ nunc sunt participes, & olim erunt, generare aut possunt.

Generatio quæ sit propriissima.

Generatio quæ Deo digna dici possit.

Christum nullam ob causam propriè Dei filium esse.

possunt aut poterunt. Nec est hoc, ut ait Smiglecius, chimeras & hircocervos nos in mundum inducere, sed miraculum a Deo nobis revelatum proponere & defendere. Quod quia commento Smiglecii de filio Dei, qui ante nativitatem Christi ex matre extiterit, repugnat, sic denigrare Smiglecius audet.

Christi generatio miraculũ est.

Non everto autem me ipsum, dum dico, Deum non vices patris suppleturum, sed ipsum patrem futurum, si ex sua substantia aliquid ad Christi corpus constituendum contulisset. Nam verba mea tantùm id innuunt, necesse fore, ut Deus humano more consideretur, & aliquid fecisse dicatur, quod de ipso vel cogitare nefas est. Iam cùm dicit porrò Smiglecius, *parum esse, quòd Deus adjecerit in Christi generatione id, quod in generatione ex parte viri adiici solet, & hoc tantùm sufficere ad hominem constituendum, non autem ad filium*, non attendit, illum in Christi persona opponere, quæ minimè erant opponenda, potest enim causa dari, cur is, qui homo est quo ad naturam, filius etiam Dei sit, ob modum, quo homo extitit. Qui modus per obumbrationem istam spiritus sancti satis superque indicatur. Quâ de re suprà dictum est cap. 1., ubi docuimus ob istum modum conceptionis & nativitatis miraculosum, teste angelo, id quod ex Maria natum fuit, vocari vel esse debuisse filium Dei, ideoque ne verbositatem Smiglecii imitari velle videamur, hîc subsistimus, & rem lectoribus considerandam relinquimus.

Vices Patris supplere, & ipsum Patrem esse, differunt.

Christus & homo & filius Dei ob conceptionem suam.

Christum, adoptivum & naturalem Dei Filium appellari posse diverso respectu, ostenditur.

Caput IIII.

Hîc ita se gerit Smiglecius, ut vel ea, quæ nos diximus, non intelligere videatur, vel datâ operâ tenebris involvere veritatem voluerit. Concedimus, Christum naturalem Dei filium dici posse, quatenus natus est Dei filius: Asserimus rursus, eundem adoptivum filium Dei dici posse, quia non semper talis filius Dei fuerit, qualis postea fuit, cùm munus suum obiit, & qualis nunc est, postquam in cœlis regnat. Addimus autem, vocem Adoptivi non propriè tunc accipi, ut natura vocis fert, vel sententia jurisconsultorum. Apud hos enim is adoptivus alicuius filius est, qui ab aliquo pro filio recipitur, & ad jus hæreditatis admittitur: interim nec ex eo natus, nec naturæ illius particeps esse dicitur. Scriptura autem sacra de iis etiam, quos adoptivos appellat, asserit, eos esse ex Deo natos, & divinæ naturæ fore par-

Christus, quatenus naturalis sit Dei filius & adoptivus.

Vox *adoptivus*, aliter in sacris literis accipitur, quàm apud jurisconsultos.

te participes. In hac igitur significatione vocis *Adoptivi*, quam habet in sacris literis, diximus, Christum etiam adoptivum Dei filium dici jure posse.

Ad hæc nihil solidi respondet Smiglecius: vel potiùs ita respondet, ut appareat, eum non intelligere id, quod nos sentimus. Ait enim, *me errare, cùm non intelligam, quid sit propriè adoptivum esse. hunc enim esse propriè adoptivum, qui ex gratia adoptantis est filius & admittitur ad jura filiorum.* Quomodo verò id non intellexi, cùm illud idem scripserim disertissimè, & præterea docuerim, aliter, hoc est, nobiliori sensu accipi istam vocem, quando de fidelibus usurpatur, postquam adoptati sunt? Quoad causam adoptionis, propriè illis vox ista servit: at quoad usum & possessionem adoptionis, vel quoad statum, in quem per adoptionem translati sunt vel transferendi, impropriè eam vocem illis servire, evidenter doceo. Omitto igitur, quę hîc Smiglecius de regeneratione valde otiosè disserit: rejicio etiã, quòd, tanquam re bene confectâ, concludit, nos esse filios Dei non nisi per adoptionem, adductis aliquot s. literarum testimoniis. Quasi scilicet hoc nunc agatur, an per aliud aliquid simus filii Dei, quàm per adoptionem, & non potiùs de significatione vocis Adoptionis inter nos sit disceptatio.

Ægrè porrò tulit Smiglecius, quòd puerile id esse dixeram, Deum nos regenerare per baptismum aquæ. Sed frustrà sanè, nisi baptismum aquæ ad regenerationem pertinere ostendat, quod unum est ex impossibilibus. Affert quidem locos s. literarum, sed duplici defectu. Primùm enim non probat, in locis Ioan: 3. Eph: 5. Marc: 16. de baptismo aquæ sermonem esse. Deinde non ostendit, in iis, in quibus de baptismo aquæ sermonem esse constat, Act: 2. & 22. baptismo aquæ vel soli, vel propriè, regenerationem tribui. Quæ omnia fusiùs explicarem, nisi iam responsum ad ea extare perspectum haberem.

Defectus probationum Smiglecii.

Multò autem ægriùs tulit, quod ad idololatriam inclinationem quandam esse dixeram, si pædobaptismo regeneratio tribuatur. Nam *me & impium appellat, & idololatriæ simile id esse asserit, pueros a regno cœlorum excludere, quorum esse regnum cœlorum ipse Christus asseverârit.* Verba non curo, animi impotentis & humano brachio confidentis indicia: Ineptire dico Smiglecium, qui idolatriæ longè propiùs esse ait, infantes a regno cœlorum arcere. Quid enim cum idololatria conjunctum habet hujusmodi facinus vel sententia? Dum verò etiam probat infantes consecuturos regnum Dei, & proinde regenerari debere asserit, hoc autem per baptismum fieri contendit, nihil sanum, nihil rectum dicit. Nam verba Christi non de infantibus, sed

Smiglecius animi impotentis, & ineptus.

bus, sed de eorum similibus dicta esse, & ipsa res loquitur. non dicit enim, *horum*, sed *talium*, & alii etiam ante nos, hac in re minimè suspecti, observârunt. Adde, quòd, si de infantibus Christi verba intelligenda sint, de talibus ea Christus dixerit, qui procul dubio nondũ erant baptizati nec regenerati. prædobaptismum enim ecclesiæ placitum esse, ipsimet Pontificii confitentur. Vnde contrarium ejus, quod asserit Smiglecius, concludi posse videtur. Nihil in hac re decerno, sed Smigleciũ dico non ostendisse, quod asseruerat. Res hæc judicio Dei relinquenda est tota, quam in verbo suo patefactam nobis esse noluit Christum pro omnib⁹ mortuum esse, de omnibus intelligi potest, qui mortis Christi, & fructus ex ea promanâtis sunt capaces. quemadmodũ etiam alibi dicitur, omni creaturæ Evangelium esse annunciatum, quod tamen nec de feris (ut quosdam ex pontificiis doctoribus sensisse fertur) nec de infantibus intelligi potest, sed tantùm de ea, quæ capax fuit istius annunciationis.

Quorum regnum cælorum esse dicatur.

De infantib: quid sentiendum.

Pro quibus omnibus Christus sit mortuus.

Porrò desperabundi est, ex uno exemplo regulam generalem constituere, & quia unus puer Ioan. Baptista repletus fuit Spiritu sancto, hinc colligere, omnes impleri: plus verò quàm absurdum est, ex tali impletione Spiritus sancti, qualis contigit Ioanni puero, colligere regenerationem spiritualem, cùm, ut ipsa vox docet, regeneratio præsupponat non tantùm generationem naturalem sed etiam corruptionem vitæ & actionum, quæ cùm in infante, antequam nascitur, esse nequeat, nullus etiam regenerationi locus in eo esse potest. Spiritus autem istius impletio ad aliud quid referenda est, quatenus scilicet istiusmodi infans singulari ratione sanctificatus & operi divino destinatus est.

Ex uno exemplo regulam non posse constitui.

Non omnis impletio Ephes: 5. continet regenerationem.

Quid sit impletio Spiritus sancti in Ioanne Baptista.

Narrat deinde Smiglecius, *quòd aliter evangelii annunciatio ad adultos, aliter ad infantes pertineat, & quòd Christus adultis non tantùm pro seipsis, sed etiam pro infantibus evangelium illis annunciari voluit;* sed quia id non aliter quàm ecclesiæ traditione, & eo, quod paulò antè dixerat, confirmat, summo jure pro ingenti fabula & commento censere id possumus, & simul contemnere talem religionem, quæ res ad salutem necessarias, qualis est apud Smiglecium pædobaptismus, tam lubrico fundamento superstruit. Sed quia hæc fusiùs contra Moscorovium se tractasse gloriatur, expectet, quid ad ea sit D. Moscorovius responsurus.

Commenta Smiglecii.

Iterum impietatem pius crepat Smiglecius, quòd dicam, Spiritũ sanctum regenerationem non efficere, sed regeneratis demum dari. Sed ipsemet Theologiæ hac in parte ignarus est, ideoq; ea, quæ non intelligit, ita audacter carpit. Duplex enim potissimùm est Spiritus S.

Quomodo Spiritus sanctus regenerationem efficiat, quatenus non.

significatio. Altera gratiam Dei generalem, altera specialem continet. illa cum evangelii annunciatione connexa est, hæc eam sequitur. Illa est annunciatio vitæ æternæ, quæ sola, adjunctis illius confirmationibus, efficit in nobis regenerationem: hæc est confirmatio perfectissima & sensus vitæ æternæ in cordibus nostris, unde etiam arrhabo & pignus hæreditatis nostræ appellatur; & non nisi illis, qui jam crediderunt & Deo obediunt, adeoq; regenerati sunt, donatur. Iam igitur videat lector benevolus, quænam hîc sit impietas?

Angelos non esse propriè adoptivos Dei filios.

Angeli non nati ex Deo, ut homines.

Quæstionem de angelis, an propriè filii Dei sint adoptivi, iterũ movet, sed causam & occasionem, cur antea mota fuerit, neglexit addere. Sed hoc omisso, dico iterum, nulla ratione docuisse Smiglecium, angelos esse adoptivos Dei filios propriè. Nam quod dicit, *eos esse adoptatos in ipso creationis puncto*, id non est propriè adoptare, sed impropriè; hunc enim existere necesse est, qui propriè adoptatur. Qui verò antequam existit, adoptatur, eum impropriè esse adoptivũ filium, nemo sanæ mentis negaturus unquã est. Simile huic est, quod carpit a me dictum, Angelos ex Deo non natos esse, ut nos homines nascimur. Dicit enim tantùm, *eos, quâ filios Dei, non creatos sed natos ex Deo dicendos esse:* sed quia nullo argumento sententiam suam comprobat, cur eam admittam vel etiam curem? Verum etiam manet, eo sensu non competere angelis, quòd ex Deo nati sint, quo homines. Ad id enim, ut quis ex Deo nascatur, regeneratione opus est, quæ nulla est, ubi non antecessit alia generatio vel potiùs corruptio. Quę omnia de angelis dici non posse, quivis intelligens perspicit. Calumniatur autem me audacter, & frustra ignorantiam objicit, dum ait, *non necesse esse, ut multò antè tempore extiterit is, de quo dici debeat, quòd ex Deo natus sit.* Nam nec de nativitate ex Deo id dixi, sed de adoptione; nec verbis illis unquam usus sum, necesse esse, ut multo antè tempore præexistat, sed tantùm dixi, necesse esse, ut is qui adoptatur, jam existat, propriè loquendo, tunc verò, si is adoptetur, qui nondum est, impropriè illud adoptionem dici, puto constare, quantumvis id obscurare Smiglecius voluerit.

Smiglecius affingit falsa.

Sed nunc iterum, sine omni methodo, carpit, quòd Christum certo respectu adoptivum Dei filium dici posse contendamus, quatenus scilicet non semper ab initio nativitatis talis fuerit, qualis fuit postea: quemadmodum naturalem etiam dici posse concedimus, quatenus semper filius Dei fuit, ab eo tempore, quo existere cœpit, & natus est Dei filius, quod nemini contigit præter illum. Impiè autem hoc a me asseri primùm ideo ait, *quia Scriptura Christum nullibi nec expressè nec tacitè filium Dei adoptivum nominat.* At ego: expressè

omnia

omnia extare,quæ ad religionem pertinent,non necessarium est, teſtibus omnibus pontificiis doctoribus.cur igitur illud urget Smiglecius? Dixerat idem in Monſtris cap. 20. & a nobis reſponſum tulerat. ſed mavult ſemel dicta iterare,quàm reſponſa refutare. Tacitè extare antea docueram, quòd millies legatur, Chriſtum profeciſſe in ſapientiâ, creviſſe in gratia apud Deum, Spiritum ſanctum ſuper eum deſcendiſſe,& in eo manſiſſe,a patre ſuo doctum eſſe,& alia id genus. Hæc enim omnia & ſingula docent, Chriſtum non fuiſſe talem in infantia, qualis poſtea factus eſt, cùm munus ſuum obire cœpit,& maximè,quando hæres omnium conſtitutus eſt & collocatus ad dexteram Dei. Ad hæc nihil reſpondet Smiglecius,ſed,in Monſtris Arianiſmi,ſe falſitatem illorum oſtendiſſe,idq; ex communi patrum interpretatione in quibuſdam, affirmat. Itaq; lectorem eò etiam remitto. Cavillari autem me maluit,quaſi dixerim,*millies ſcriptum eſſe,Chriſtũ creviſſe in ſapientia*,cùm tamen facilè intelligere potuerit,me id non de una iſta re,ſed de aliis etiam,quæ ibidem expreſſi,affirmaſſe.

Non omnia, ad religionem pertinentia, neceſſe eſt expreſsè ſcripta eſſe.

Vnde colligatur Chriſtum fuiſſe adoptivum Dei filium.

Cavillus Smiglecii.

Deinde teſtimonia ſcripturæ affert vel potiùs repetit, ad oſtendendum, Chriſtum non poſſe appellari adoptivum Dei filium. Vnum eſt Hebr: 1.*Cui enim aliquando angelorum dixit, Filius meus es tu, ego hodie genui te?* Ex quo colligit, *Chriſtum dici non poſſe adoptivum filium,quia tali ratione ſit Dei filius,quæ in Angelos non cadat,angeli autem ſint æqué Dei filii per adoptionem* , & deinde argumentum hinc conficit ſatis craſſum & non valdè logicum, ſic enim ait? *Eâ ratione Chriſtus eſt filius Dei, quæ nullo modo in ullum angelum cadit aut cadere poteſt. At ratio filii adoptivi cadit ſuo modo in omnes angelos: ratio verò filii naturalis non cadit ullo modo in angelos: ergo Chriſtus dicitur a Paulo non adoptivus filius ſed naturalis*. Ad quod reſpondeo. Primùm falsò dici angelos eſſe filios Dei adoptivos. ſunt enim creati Dei filii, ut Chriſtus natus eſt Dei filius. Deinde non eſt concedendum, Chriſtum hîc opponi angelis,reſpectu filiationis ſimpliciter:ſed ſtatuendum eſt, opponi eos Chriſto ratione dignitatis, quæ utrisque tanquã filiis Dei a Deo contigit,& non in ſolis verbis,*Filius meus es tu*,Chriſti dignitas iſta, quâ angelos ſuperat, conſiſtit, ſed in ſequentibus etiam,*ego hodie genui te*. Hæc enim verba modum planè ſingularem, quo Chriſtus filius Dei extitit, ſignificant, qui alibi expreſſè etiam indicatur, dùm ad reſurrectionem Chriſti, per quam eum Deus ex mortuo vivum, & ad glorificationem,per quam eum ex mortali immortalem effecit, accõmodantur. Quod utrumque quia angelis, qui etiam

Angeli ſunt creati, non adoptivi Dei filii.

Chriſtus reſpectu dignitatis angelis opponitur.

etiam filii Dei ſunt, non contigit, ideò jure dicit autor iſte divinus, Chriſtum angelis præſtantiorem eſſe effectum, quia excellentius præ illis nomen hæreditaverit. Et hanc ego ignorationis elenchi fallaciam in priori reſponſo appellaveram, quòd Smiglecius ea, quæ de dignitate Chriſti & angelorum, qui omnes ſunt filii Dei, dicta ſunt, ad ſolam eorum filiationem transferat. Nunc alteram non minùs craſſam fallaciam indico, dum ex iis verbis, *Filius meus es tu*, ſolis, differentiam Chriſti ab angelis & præſtantiam colligit, quæ ex omnibus ibidem ex Pſalmo citatis colligenda erat. Ex quo conſtat, quàm vana ſint ea, quæ poſtea diſſerit Smiglecius, quòd talia nomina Chriſto tribuat autor iſte, quæ angelis nullo modo competant. Non enim de nominibus, ſed de rebus ſermo eſt; & per vocem *nominis* dignitatem indicari, manifeſtius eſt quàm ut probatione egeat. Quanquam id ex eo etiam conſtat, quòd in ſequentibus argumentis non nominis tantùm, ſed dignitatum ubique fit mentio. Adoratio enim & ſeſſio ad dexteram Dei, certè non ſunt nomina nuda, ſed dignitates. In tertio autem teſtimonio non ex voce Deus argumentum deducitur, ſed ex eo, quòd thronus illius ſit in ſeculum ſeculi. Miror autem Smiglecium hîc, ubi argumenta autoris, quibus theſin v 4. propoſitam comprobat, recenſet, omiſiſſe argumentum quartum, qui alias ex illo neſcio quid non demonſtrare conatur, Et, *tu domine in initio terram fundaſti* &c. Certè in eo nulla alicujus nominis nudi mentio eſt, ſed actionum talium, quarum ſingulæ ſummam dignitatem ejus, qui eas effecturus eſt, ſignificant, qualis eſt iſta poſterior, quòd Chriſtus ſit deſtructurus hunc mundum aſpectabilem, ut alibi docuimus. Fruſtrà etiam deſudat in oſtendendo per exemplum, etiamſi Chriſtus excellat angelos, tamen dici non potuiſſe, angelos nunquã ita vocari. Iam enim oſtenſum eſt, non in eo conſiſtere Chriſti excellentiam, quòd ille filius ſit, hi verò non. Sed quòd Chriſtus filius ſit, quem Deus certo die genuit, quod nullo unquam tempore de angelis dici potuit aut poteſt.

Per nomen dignitatem intelligi probatur.

Aſtus Smiglecii.

Alterum teſtimonium eſt Gal: 4. *Miſit Deus filium ſuum*, & iterum, *miſit Deus ſpiritum filii ſui in corda noſtra*. Vbi ex eo, quòd Deus Chriſtum filium *ſuum* appellat, colligit, eum non eſſe adoptivum. Sed frigidè. Nec enim primùm aliter loqui Apoſtolus, potuit quicquid tandem de eo ſentiret. Deinde, nonnè concedi poteſt, Chriſtum eſſe naturalem Dei filium, & ita vocem ſummo ei competere jure, vel quia natus eſt Dei filius, vel quia tunc ex mortuis reſuſcitatus & glorificatus erat, quæ omnia nemini hactenus ex omnibus contigẽrunt? Et certè iſta ex Apoſtolorum verbis extorquere myſteria ſcilicet, ni-

Cur Deus Chriſtum filium ſuum appellet.

cet, nimis licentiosum & irreligiosum censeri debet. Quanquam etiam, ob singularitatem & excellentiam aliquid singulari nomine appellari, nihil impedit. Quo sensu solus Deus, sapiens vel immortalis, dicitur.

Illud verò, quod huic responsioni objicit Smiglecius, ne hilum quidem valet. Ait enim: *id valere, cùm de sola præstantia agitur, at non, cùm de rei veritate agitur.* Quasi verò veritas aliquid diversum sit a præstantia, & ea, quæ aliis rebus sunt perfectiora, per vocem veri non describantur, de quo in priori responsione dictum est fusissimè. Illud verò, *quòd communi loquendi modo loquantur scriptores, ideoque per suum filium notari natularem,* ita triviale est, ut ne nominari quidem debuerit. Novimus, a communi loquendi more non esse recedendum, nisi ubi necessitas cogit: sed, hoc in hac materia faciendum esse, nimis evidens est. Cùm enim natura hominum non sit similis naturæ divinæ. est enim specie tantùm una, non numero, quemadmodum, cùm dicitur, aliquem esse hominis filium, intelligitur, eum esse naturalem hominis filium: ita cùm dicitur, aliquem esse Dei filium, nunquam naturalis Dei filius eo sensu dici potest, quo vocem hanc accipit Smiglecius, hoc est, ex essentia Dei natus.

Præstantia & veritas Dei idem sunt quandoq;.

Interdum recedendum a cõmuni vocum significatione.

Iam quòd Smiglecius ait, *totum orbem Christianum ac sapientissimos quosq; ac sanctissimos patres omnibus seculis non tantùm pro re incredibili non habuiße, sed etiam ab Arianis objectas contradictiones, meras ignorantias & fallacias eße, solidissimè docuiße*, plumbeum est argumentum. Nam falsissimum esse, totum orbem Christianum id pro re incredibili non habuisse, vel ex eo ipso constat, quod de Arianis narrat hîc Smiglecius. Hi enim bona pars orbis Christiani olim satis diu fuerunt, & post eos alii non pauci, de quibus ipsimet Pontificii eorum adversarii testantur, *quòd ingenii viribus fuerint valentes, & doctrinæ opibus excellentes, & eloquio præpotentes*, qui in lingua utraq; Græca scilicet & latina, talia ediderint volumina, quibus omnium aliorum sententias refutabant: imò talia aliorum scripta fuisse confitentur, ut nisi id, quod tunc Homousianis erat contrarium, docuissent, inter singularia ecclesiæ lumina numerari possent. Quos certè sapientia non caruisse constat, & quorum scripta si nunc extarent, valdè istorum, quos narrat Smiglecius, patrum sapientia obscura esset. Quanquam ne sic quidem admodum conspicua est in iis controversiis tractandis, in quibus ab aliis & ab ipsa scriptura dissident. Aliàs enim ingenium & eruditionem illorũ non possumus non cõmendare plurimùm. Nec illud quicquam deniq; valet, *quòd ista contradictio, si verè talis eßet, nõ poßet a toto mundo aut non deprehendi aut*

Ad omnes homines falsò provocare Smiglecium.

Vincentius Lirinensis de Photino coævo suo in lib. adversus hereses.

Cur homines interdum errores crassos non videant.

2. Thess. 2.

non intelligi. Nam ubi divina accedunt judicia, ibi homines oportet mendacio credere, teste Apostolo. Ea autem tunc accedunt, cùm homines non habent charitatem veritatis, ut serventur, sed magis delectantur iniquitate. Quod de plærisq; illorum, qui ista dogmata primùm cõfinxere, & de aliis, qui conficta deinde receperunt, ut pace & commodis huj9 seculi fruerentur, jure dici posse, nemo negabit, qui, qualia ab annis mille retrò & ampliùs secula fuerint, ex historiis didicit. Iam videat, qui velit, quomodo Smiglecius docuerit, Christum esse naturalem Dei filium, eo sensu, quem ille voci huic tribuit, nempe ex substantia Dei genitum. Quod addit, quomodo Christus dicatur habere multos fratres, *nempè id vel ad humanam naturam esse referendum, vel ea ratione intelligendum, quâ filius naturalis habet multos fratres adoptivos*, non est, quod moremur. Sunt enim sententiæ nudæ Smiglecii, quæ nec ex scripturis deduci, nec ulla ratione confirmari possunt.

Ex eo, quòd Christus proprius & unigenitus est Dei filius, non colligi, cum esse ex natura vel substantia Dei genitum, ostenditur.

CAPUT V.

Smiglecius eadem repetit.

Hîc lectorem iterum monitum volo, Smiglecium nihil fere, quod antea in Monstris ab ipso dictum, & a me refutatum in priori responsione non fuerit, afferre. Summa rei est: Credimus & confitemur omnes, Iesum esse proprium & unigenitum Dei Filium: negamus autem nos, ex eo consequi, Christum esse ex substantia Dei generatum. Smiglecius, ut dolus lateat, terminos primùm turpiter mutat. Nam ex eo, quòd Christus proprius est Dei filius, colligit, eum non esse adoptivum sed naturalem. Quod certè nihil ad rem facit. Nam & nos concedimus, Christum esse naturalem Dei filium, adeoq; non adoptivum, respectu filiationis, cum qua natus est: adoptivum verò appellari posse contendimus, respectu filiationis, quæ cum tempore ipsi accessit, quatenus scilicet cum illa non est natus. Deinde, fictâ vocabuli *proprii* significatione, sibi & aliis imponit. Iam enim a nostris antea ostensum fuit, vocem *proprii* in sacris literis N. T. nihil aliud, quàm suum, vel suum ipsius, vel aliquid omninò suum significare solere, & ab omnibus interpretibus per vocem *suum* interdum transferri, ut cùm dicitur, *unicuiq; seminum dat proprium corpus*, &c. vel cùm dicitur, *Christum per proprium sanguinem in sancta in-*

Status quæstionis.

Smiglecii vana dicta.

Vox *proprii* quid significet.

1. Cor. 15. 38.
Hebr. 9. 12.

cta ingressum esse; vel cùm dicitur, *sui*, hoc est, non alieni, sed ipsi Iudæi, *non receperunt eum.* Cùm igitur Christus sit filius Dei peculiaris & suus, non autem alienus, jure etiam proprius filius Dei appellari potuit, tùm ratione generationis, tùm ratione similitudinis cum Deo. Ex quo patet, ejusdem valoris esse id, quòd Deus proprius pater Christi appellatur. Hoc enim ideo factum est, quòd singulari modo eum genuerit, quod nos non negamus, sed tantùm inquirendum esse dicimus ex sacris literis, in quo ista singularitas consistat. Quia verò firmiter a nostris demonstratum est, & a me sæpe repetitum, Deum ob substantiæ suæ qualitatem, quòd scilicet numero una sit, ex ea generare non posse. nam nec multiplicari nec dividi (quod omnes fatentur) nec tota communicari cum quoquam potest. Iam enim non esset numero una, (quæ ratio tanti momenti est, ut nunquam dilui possit) necesse est, vocem *proprii* aliter accipi, cùm de Deo dicitur, quòd proprium filium habeat, quàm cùm de hominib^s dicitur, quòd proprios filios habeant. et licet detur filius Dei, & filius Dei proprius: propter rationem tamen modò positam, non dari talem, qui sit ex substantia Dei generatus.

Ioan: 1. 11.

Non an Christu singularis sit Dei filius, sed in quo ista singularitas consistat, quæritur.

Cur voces proprii filii aliter de Deo, aliter de hominibus dicuntur.

Prodidit etiam tandem, verbosum hunc suum potiùs quam nervosum discursum, Smiglecius, dum ait, *omnes eum nomine proprii filii Dei intelligere.* Iam enim misso eo, quòd plurimi antiquitus fuêre, & nos nunc sumus, qui proprium Dei filium confessi sunt & côfitemur, nec tamen generationem de substantia Dei dari, & olim docuerunt & nos nunc docemus, non id attendendum est, quomodo ab omnibus aliqua vox communiter usurpetur, quibus ademta est veritas, sed quid sacræ literæ & sana ratio nobis permittant.

Smiglecius ad homines provocat.

Christum secundùm carnem, hoc est, propter conceptionem miraculosam dici posse proprium Dei filium, quia paulò antè contra cavillationes Smiglecii defensum est, firmum stat, & omnibus veritatis amantibus ad oculum demonstrare potest, quàm verè is sit proprius Dei filius, ad quem gignendum Deus id adjecit, quod aliàs ad filium gignendum pater solet addere. Adjicio hîc, quòd ab hac sententia nô abhorrere etiam Pontificii quidam videantur. Sic enim Franciscus Lucas Brugensis in commentario super Matthæum, qui a Romanæ ecclesiæ doctoribus approbatus, & Alberto & Isabellæ, Archiducib. Austriæ dedicatus est, scribit, *De Spiritu sancto, semper,* ait, *est græcè præpositio* ἐκ *ex: ut non ex se, ita neq;, id quod tu arbitraris, ex alio viro, sed ex Spiritu sancto est.* &c. & paulo post: *Spiritus sanctus in virgine id ipse operatus est, quod in muliere viri semen operatur. Non tamen Pater fuit Christi, quia non suam transfudit naturam, sed naturam a sua diver-*

Christum ꝑpter conceptionê etiam propriumfiliû Dei, dici posse.

Testimoniû Francisci Lucæ Brugêsis de modo conceptionis Christi.

sam produxit. &c. & iterum: *Cùm ergo natum angelus dicit, virginem id egiße in conceptione significat, quod juxta naturæ ordinem, matris est, cùm etiam addit de Spiritu sancto, miraculo id per Spiritum sanctum supple-tum eße, quod patris erat.* &c.

Quæ porrò disputat Smiglecius de proprio filio, quem adoptivo opponit, ea omnia, falsa vocis *proprii* in N. T. significatione, adeoq; crassâ Smiglecii ignorantiâ in rebus divinis, nituntur, qui scilicet eodem prorsus modo filium Dei, proprium dari, existimat, quo datur proprius hominis filius, quo nihil religione, præsertim Christiana, indignius vel cogitari quidem potest. Cum etiam diversum esse ait, peculiarem & proprium filium, eâdem chordâ oberrat. Nam nos, dum proprium idem esse dicimus, quod peculiarem, sensum N. T. sequimur, ut antè dictum est. Notetur autem, quomodo Smiglecius sibi constet: *Hìc ait, peculiarem rationem facere quidem poße, ut aliquis solus dicatur filius, non verò ut dicatur proprius filius.* Paginâ autem sequenti ipsemet docet, *Christum ideò eße proprium filium, quia filius sit peculiaris.* Si peculiaris Dei filius est, quia proprius, quomodo non efficit peculiaritas, ut quis dicatur proprius Dei filius? Ita scilicet fit, dum nimium altercamur, ut veritas amittatur.

In N. T. peculiaris & proprius filius idem sunt.

Smigl: sibi non constat.

Absurda quædam (ut ipse ait) refutaturus, idem prorsus, quod antea, dicit. Primùm vult, *ut propter vocem proprii filii agnoscamus, Christum eße ex substantia Dei generatum:* interim non perpendit, vocem istam de Deo intelligi non posse, ut de hominibus intelligitur. Nam si de angelis, qui sunt spiritus, dici non potest, quòd generent, quomodo de Deo, cujus substantia procul omni dubio angelorum naturâ præstantior est, id affirmare non erubescemus?

Smiglecius eâdem iterat.

Deinde imperitè id dici, ait, Christum esse Dei proprium filium, quia alios omnes longè superet, ob hanc causam, *quòd hoc non sit proprium eße, sed peculiarem.* Quasi verò nunc non controvertatur, an aliquid aliud sit proprius, quàm peculiaris.

Tertium etiam aliquid a me imperitè dici ait, quod revera idem est cum secundo. est enim explicatio. Christum scilicet solum talem fuisse, cùm in terris degeret, & nunc esse Dei filium, quo homines sub N. F. filii Dei esse debent. Respondeo tamen, si solus filius possit appellari, qui peculiaris est, teste Smiglecio, posse etiam proprium appellari, quia proprius in s. literis N. F. aliud nihil significet, quàm peculiarem vel omninò suum. An aliqui filii Dei tales fuerint, quales sub N. F. esse debent, tunc cùm Christus in terris degit, videbimus infrà. Iam cùm absurdum etiam dicit, solum filium Dei Christum appellari ob immortalitatem & divinum imperium, contra mani-

festa s. literarum testimonia, quàm rectè & quàm piè de rebus divinis sentiat, expendat intelligens lector.

Vnigenitum etiam Dei filium Christum esse, nemo negat: sed natum ex divina substantia eum esse, hinc colligi negamus. vox enim unigenitus non eum significat, qui solus sit filius, sed qui est præstantissimus vel charissimus. Quo sensu Isaac & Salomon, quorum uterq; Christi fuit typus, ille Abrahami, hic matris suæ unigenitus appellatur, de quibus tamen constat, quòd fratres ex iisdem parentibus habuerint: imò anima hominis unica appellatur, quod idem est cum voce unigenita, quia scilicet homini sit charissima.

Vnigenitus quid significet.

Smiglecius, cùm non haberet, quod rei tam manifestæ opponeret, sugillare tamen eam & vires ingenii sophistici exercere maluit, quàm eidem cedere. Illud non repeto, quòd ob vocem unigeniti vult credi, Deum generare ex sua substantia: interim non videt, hoc falsum esse, non tantùm ratione a nobis invicta demonstrari, verùm etiam indicato alio sensu vocis unigeniti, atque is est, quem ei tribuit Smiglecius. Nam si vox unigeniti significat charissimum, iam ruit illud, quòd de generatione ex substantia somniat Smiglecius. Hoc nunc examinemus, *quod ex exemplis dictis neget id necessariò elici.* Quorsùm hîc adjecta est vox *necessariò?* Num tacitè fatetur Smiglecius, id probabiliter ex exemplis dictis colligi? Si probabiliter colligitur, vim argumenti sui, aliquo saltem modo, labefactatam esse agnoscat. Sed quid dicit Smiglecius, cur necessariò colligi non possit ista vocis unigeniti significatio, ex exemplis adductis? Idem prorsus quod antea, ne verbo quidem mutato aut addito, *Isaacum* scilicet *dici unigenitum Abrahami, non quomodocunque, sed Saræ respectu, & in ordine ad successionem.* Itaque satis est (quantumvis iactura temporis sit facienda in descriptione ejusdem responsionis) id iterum respondere, quod antea responsum fuit, Smiglecium nihil proficere. Licet enim Ismael nec ex Sara natus fuerit, nec ad successionem pertinuerit: iccirco tamen filius Abrahami esse non desiit. Fuit enim ab eo genitus, & ex substantia illius. Qui verò ab aliquo & ex substantia alicujus gignitur, licet mater nescio qualis sit, semper filius ejus est. Idem etiam de Salomone, quod antea dixerat, repetit, nempe, *cum non absolutè dici unigenitum, sed vel coram matre sua, vel inter filios matris suæ.* Ergo & responsionem meam priorem iterare jure possum, quantumvis id fieri debere doleam, verba scilicet, *coram matre*, nō efficere, quominùs sit absoluta vocis *unigeniti* significatio. Non enim restringunt vocem unigeniti, sed tantùm explicant, cujus fuerit unigenitus, nempe matris: & tamen certum est, eandem matrem ex eodem

Smiglecius seipsum refutat.

Filius alicujus is est, qui ex eo nascitur.

 patre

patre plures concepisse filios, quorum etiam nomina in s. literis citantur expressè.

Smiglecius vera falsis miscet.

Verè & propriè differunt.

Iam cùm probare conatur, *Christum verè, propriè, & absolutè unigenitum dici*, partim vera falsis miscet, partim operam ponit in probando non necessariam. Potest enim verè esse unigenitus, qui non est propriè unigenitus. Cùm non minùs ea vera sint, quæ improprio nomine appellantur, atque ea quæ proprio. Et etiamsi Christus absolutè nominetur vnigenitus, quid hoc juvat Smiglecium, siquidem jam demonstratum est, unigenitum idem valere, quod charissimum, & eos etiam unigenitos appellari, qui fratres, ex iisdem parentibus natos, habuerunt? Quanquam falsum est, Christum alio modo absolutè unigenitum appellari, quàm vel Isaac vel Salomon, in locis allegatis. Tàm enim dicitur unigenitus a patre, vel unigenitus filius, qui est in sinu patris, vel unigenitus filius Dei, ut Isaac Abrahami, vel Salomon matris suæ.

Smiglecius mala fide agit.

Denique non est iterum dissimulandum, quomodo nimis mala fide nobiscum agat Smiglecius, qui pro eo, quod concludendum erat, Christum esse ex substantiâ Dei generatum, satis habet dicere, Christum non esse adoptivum sed naturalem Dei filium. Hæc enim conclusio quàm sit falsa, jam antea docuimus. Christus enim a nobis conceditur esse vel dici posse filius Dei naturalis, quia natus est filius Dei: Adoptivus autem a nobis appellatur non eo sensu, quo ex mente Iurisconsultorum adoptivus accipitur, quod tanquam absurdum falsò nobis objecerat Smiglecius, sed ideò tantùm, quia talis natus non fuerit, qualis postea, cùm munus suum in terris obiit, fuit, & nunc est in cœlis regnans. Quod verissimum esse, & per se constat, & paulò pòst a nobis demonstrabitur iterum fusius.

Absolutè dici, quæ sunt singularia.

Vnde cõstet Christum unigenitum Dei filium nõ esse generatum ex essentia Dei.

Iam & hoc frivolum & antea refutatum est non semel, *Christum non posse absolutè appellari unigenitum a nobis, quia alios etiam fratres habeat ex Deo per adoptionem genitos.* Quis enim nescit, ea etiam absolutè interdum nomine aliquo appellari, quæ sunt singularissima? Præterea falsum est, Christum ita simpliciter unigenitum appellari, ut non extent plærunque aliquæ, non tantùm sermonis circumstantiæ, quod solum postulat Smiglecius, sed etiam indicia & argumenta firmissima id ipsum comprobantia, de quibus scripsimus in priori nostra responsione, ita ut me tædeat ista repetere. Nonné enim unigenitus filius est, qui datus fuit (in mortem scilicet) a Deo? quem Pater sanctificavit & in mundum misit? Hæc verò de eo, qui ex substantia Dei generatus est, dici non posse propriè, manifestius est quàm ut probatione egeat.

Nugari.

Nugari me ait, dum dico, Christum unigenitum appellari, quia sit in sinu patris, hoc est charissimus: ipsemet autem videat, quid faciat, dum dicit, *non dilectionem denotari hac phrasi, sed intimam eius junctionem cum patre, ad secreta cordis ejus pernoscenda.* Nam hujus explicationis Smiglecianæ nulla affertur probatio: At nostra confirmatur similibus locis, in quibus per eandem phrasin summa dilectio necessariò denotatur. Verba verò eadem, *qui est in sinu patris*, esse quandam exegesin præcedentium, *unigenitus filius*, nonné pariter certum est, si constet, & vocem unigenitum, charissimum significare, & phrasi, in sinu alicujus esse, summam dilectionem exprimi. Vbi iterum mecum facientem habeo Iesuitam Moldonatum, qui in commentario super cap: 16. Lucæ, postquam satis ineptas Theophyl: & Augustini sententias recitasset, sic scribit: *credo ego a discumbentibus sumtam fuisse metaphoram, quorum hic erat ordo, ut cui primus quisque esset, in ejus recumberet sinum* Ioan: 13. v 23. *Quia ergo, quod in sinu est, conjunctissimum & charissimum nobis est, & qui amat, tunc maximã capit voluptatem, cùm in sinum ejus, quem amat, recumbit, ut idem indicavit Ioannes, qui cum dixisset, erat, unus ex discipulis eius recumbens in sinu Iesu, quasi explicandi causâ addidit, quem diligebat Iesus, factum est, ut sinus, locus maximæ voluptatis & personæ amatæ conjunctissimus vocaretur. Hinc filius in sinu patris esse dicitur Ioan:* 1. *v.* 18. Hactenus Maldonatus.

In sinu alicujus esse, quid sit.

Deut: 13.6. 2. Reg: 12. 3. Ioan: 13. 23. & 21. 20.

Maldonati testimonium.

Ad id quod dixeram, animam etiam a Davide vocari unicam, quia sit charissima: nihil prorsus similiter respondet, præter id quod antea dictum fuerat, nempe animam vocari unicam, quia deserta sit & adjutorem non habeat. Ergo & meam responsionem asscripsisse satis superque est. Falsam scilicet esse istam explicationem. Non frustra enim interpretes vocem Hebraicam per μονογενῆς converterant, quæ nihil cum deserta commune habet. Deinde ostensum fuit, Davidem loco animæ, unicam ponere. Nam quod semel dixit, *Erue a framea animam meam*, iterum repetit hoc modo, *& de manu canis unicam meam.* Vt igitur per animam non significatur sola & deserta, sed vita, res charissima, sic etiam voce *unica*, non solitudinem aut desertionem sed vitam significari, statuendum est. Quòd verò alibi David Deum orat, ut se adjuvet, quia sit unicus & pauper, id si aliquid valet, tantùm docet, vocem Hebraicam duplicem admittere significationem. Iam verò utra loco alicui conveniat, considerandum relinquitur.

Anima cur unica vocetur.

Vnica & Anima pro eodem ponũtur a Davide.

Tandem cùm dicimus, Christum jure vocatum fuisse unigenitum, quòd pro eo tempore, quo in terris degebat, nemo adhuc talis filius

filius erat, qualem sub N. T. esse oportet, *commentum nostrum id appellat* Smiglecius, & ad refutandum illud hoc potissimùm argumento utitur, *quòd hinc consecuturum sit, Christum desiisse esse unigenitum, postquam homines cœperunt esse filii Dei, secundùm normam* N. T. Sed absurdum in eo verè esse, nunquam ostendet Smiglecius. Licet enim, postquam alii etiam, accedente Christi morte, resurrectione & exaltatione, fidem in Deũ consecuti sunt talẽ, quali eos præditos esse necesse est, qui filii Dei sub N. F. audire volunt, & ita filii Dei tales evaserunt, quales esse oportet sub N. F.: tamen Christus longè alia perfectiori ratione filius Dei unigenitus esse cœpit ab eo tempore, quæ nemini alii competit, præter solum Christum. Nam solus & immortalitatem, qualem Deus habet, & potestatem, summam post Deum, consecutus est. Quemadmodum nihil etiam absurdi in eo est, si dicatur, Christum non solum fore Dominum, tunc cum fideles ipsius unà cum illo immortales evadent, & in solio ejus unà cum illo sedentes regnabunt. hoc enim ipsa verba sacræ scripturæ & salutis nostræ perfectio requirit. Smiglecius absurda ista appellat, quia opinionem ejus de Christo semel cõceptam funditus evertant. Christum autem respectu ejus temporis, quo in terris degebat, Vnigenitum appellatum esse, docent manifestè omnia loca, in quibus Vnigenitus appellatur. Ioannes enim dicit, se unà cum aliis Apostolis contemplatum esse gloriam Christi, gloriam quasi unigeniti a Patre: Deum ita dilexisse mundum, ut filium suum unigenitum daret, nempe in mortem: eundem etiam misisse filium suum unigenitum, quę omnia, ad Christi in terris existentiam pertinere, nemo non videt. Itaque etiam hos locos non urget Smiglecius. Tantùm illud pro se facere credit, quod Ioannes dicit, *Vnigenitus (filius* omisit Smiglecius, aliquoties hunc locum citans) *qui est in sinu Patris, enarravit nobis.* (sic habet Smiglecius, textus autem, isque secundùm vulgatam, habet ante vocem enarravit *ipse*, & non legit vocem *nobis)* Sed ad hoc antea etiam responsum est, potuisse Ioannem Christum ita appellare, respectu ejus temporis, quo nobis (Deum) enarravit, quod nullo verbo Smiglecius refutare conatus est.

Christum temporis ante mortem respectu unigenitum fuisse appellatum.

Ioan: 1. 18.

Ioan. 3. 16.

1. Ioan: 4. 9.

Deinde prolixè iterum probare nititur, *Christo in terris degente* (ad marginem habet neglectim *Christo vivente) multos Dei filios* N. *Testamenti fuisse:* Sed ineptissimè, ut vel hinc agnoscas Doctoris Theologiæ qualem se profitetur Smiglecius, in rebus ad salutem pertinentibus excæcationem & ignorantiam. Docet primùm, *nasci ex Spiritu (sancto,* addidit Smiglecius) *esse Filium Dei: eos esse Filios Dei in* N. *T. qui Spiritu Dei reguntur, qui acceperunt spiritum adoptionis filiorum,*

in quo

in quo clamamus abba Pater, in quorum corda Deus mittit Spiritum filii sui, quod nemo unquam negavit. Interim docere prorſus oblitus eſt tantus ſophiſta, quod, ad rem requiri, non potuit non videre, iſta omnia contigiſſe ante Chriſti reſurrectionem & exaltationem. Sed de hoc paulò poſt. Nunc, quid indignabundus ad reſponſionem meam priorem dicat Smiglecius, expendendum eſt.

Smiglecius ad rem non loquitur.

Dixeram ex eo, quòd Chriſtus ante mortem dixerit, *niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu*, non ſequi, ante mortem ejus aliquem ex aqua & ſpiritu renatum fuiſſe. Nam ante mortem etiam Chriſtus dixit, *niſi quis manducaverit carnem filii hominis, & biberit ſanguinem ejus:* nec tamen ante mortem carnem ejus quiſquam comedit vel ſanguinem ejus bibit, ut verba Chriſti indicant, dum ait: *Hoc vos ſcandalizat, ſi ergo videritis filium hominis aſcendentem, ubi erat antea* (tunc ſcilicet cognoſcetis, quòd) *ſpiritus eſt qui vivificat, caro nihil prodeſt.* Smiglecius primùm, antequam reſpondeat, præfatione utitur, *me errores erroribus cumulare, & (ut ſemel id, quod eſt, ingenuè fateatur) errorum multitudine ſe non fatigare tantùm ſed obruere, pluresq; abſurdos errores eſſe in meis paucis chartis, quàm in multis aliorum hæreticorum libris deprehendere: quòd alii certos quoſdam errores propugnandos ſuſceperint, ego omnes.* Ad quæ ipſius verba ſic reſpondeo. Non mirum eſt, omnia, quæ dicimus, errores videri abſurdos Smiglecio. Accidit enim id ei, quod illi, qui nuper ex denſiſſima ſylva in hominum conſortium prodiit. Hic omnes feros, ſe ſolum cicurem eſſe credit, cùm ipſemet ſolus ſit ferus, reliqui cicures. Non examinavit hactenus Smiglecius ſuam religionem & Theologiam ſecundùm ſacras literas, easque, ut decet, ſolas, ſed potiſſimùm ad Eccleſiæ ſuæ Romanæ placita; itaque omnia habet pro erroribus, quæ Eccleſiæ placitis repugnant, & non poteſt non offendi, cùm audit, alios omnia ad ſolas ſacras literas examinare: Sed fruſtra nunc id Smiglecium offendit. Iam enim, ita & non aliter agendum eſſe in veritate inquirenda, Deus nimis manifeſtè revelavit, nec ulla humana autoritate vel etiam potentia efficietur, ut hic res ſacras inveſtigandi & tractandi modus rejiciatur unquam aut deſinat. Conferat jam eccleſiæ ſuæ confeſſiones & catecheſes Smiglecius cum ſacris literis, & agnoſcet, non ex ſcripturis unquam decidi id, quod credunt Pontificii, ſed ſemper ex ſenſu & conſenſu (ut nunc loqui ſolent pertinaciores) eccleſiæ Romanæ. Sed de hoc nunc plura dicere neceſſe non eſt. De nobis ſciat Smiglecius, nos vel ex eo vehementer in noſtra confeſſione confirmari, quòd non tantùm in uno atque altero, ut vocant, fidei articulo

Cur Smiglecio dicta noſtra errores eſſe videantur.

cum Pontificia religione non conveniat. Hinc enim agnoſcimus, Deum divitias ſapientiæ ſuæ, alto ſuo conſilio, in nos ab omnibus contemtui habitos, effudiſſe, & profectum in myſteriis divinis majorem, quàm antea, cùm paucos tantùm religionis pontificiæ ſententias oppugnaremus, clementer largitum eſſe. De me verò ſeparatim hoc etiam ſciat, me non eum eſſe, qui præ aliis quicquam mihi tribuam, conſcius meæ mihi tenuitatis. Sunt Dei gratiâ non pauci inter noſtros, qui eadem, quę ego ſcribo, me multò rectiùs intelligunt. Iam, ſi ea ſcriptis non prodiderunt, non ideo id factum eſt, quia eadem mecum non ſentiunt, ſed quia occaſionem ea ſcribendi non habuerunt. Cogitet autem, quid futurùm ſit, ſi univerſæ Thelogiæ pontificiæ catecheſis aliqua refutanda proponatur, quod fortaſſe neceſſitas ipſa aliquando a nobis exiget. Nunc ad rem redeo.

In ultima cœna quid factum ſit.

Aſſerit Smiglecius adversùs id, quod ego dixi, *Apoſtolos comediſſe carnem Chriſti & bibiſſe ſanguinem ejus in ultima cœna:* Sed tantùm aſſerit, itaq; nihil effecit. In ultima cœna, panem comediſſe & vinum bibiſſe, legimus Apoſtolos, datum ſibi a Chriſto: At Ioann: 6. de manducatione carnis Chriſti & bibitione ſanguinis ejus ſermo eſt, cui manducationi & bibitioni nullus eſt locus, niſi Chriſti carne in mortem data & ſanguine effuſo. Qua de re alibi plura a nobis ſcripta extant.

Senſus verborum Ioan: 6.

Verba Chriſti, *cùm videritis filium hominis aſcendentē, ubi erat prius*, ita explicat Smiglecius, *nunc vos hoc offendit, multò magis autem vos offendet, cùm in cœlos aſcendero:* & tamen me verba Chriſti non intelligere ait, dum dico, Chriſtum innuere voluiſſe, tunc ceſſaturū ſcandalum, cùm ipſe exaltatus fuerit. Egregiè verò ipſemet ea intelligit, dum Chriſtum introducit reprehendētem eos, qui id non tunc intelligebant, quod intelligere vix potuerant ullo modo. De re enim Chriſtus tunc futura loquitur, quæ ſcilicet mortem illius conſecutura erat, ut ex v. 51. conſtat, ubi ait, *Et panis autem quem ego dabo caro mea eſt, quam ego dabo pro mundi vita*, ut habet textus græcus. Quæ quia tunc intelligi non poterant, docet Chriſtus, iſtud totum quod antea dixerat, & intelligi non poterat, poſtea intellectum iri, cùm in cœlos aſcendit. Quod etiam ex ſequentibus verbis Chriſti apparet, quando dicit, *verba, quæ loquor vobis, ſpiritus ſunt & vita ſunt.*

Patres quosdam nobiſcum in eo facere.

Obiter etiam hìc illud inſero, Smiglecium Patribus ſuis non parcere; dum me verba Chriſti non intelligere ait. Sic enim ea intellexerunt non pauci ex illis, ut teſtatur Maldonatus Ieſuita in commentario ſuper hunc locum. Quod verò *meam me explicationem nihil juvare*, ait,

re ait, *quòd tantùm illi, qui tunc scandalizabantur, carnem Christi non comederint, non verò Apostoli, qui plenè & integrè verbis Christi crediderunt, & postea in cœna ultima ad carnis Christi manducationem admissi sunt*, in eo sanè non attendisse videtur, quid dixerit. Ego enim verba illa eo fine adduco, ut ostendam, id, quod Christus de manducatione carnis & bibitione sanguinis dicebat, tunc re ipsa fieri non potuisse, sed post exaltationem ejus demum, cùm scilicet verba Christi intellecturi essent discipuli ejus. Iam quòd Apostoli verba Christi tunc intellexerint, ut ait Smiglecius, id nulla nititur probatione, nec in scriptura proditum extat; nec iccirco ad cœnam ultimam admissi Apostoli fuerunt, quòd hæc Christi verba intelligerent, sed quod alios admitti valde erat inconveniens.

Inepti̇a Smigl.

Cur Apostoli ad cænam soli admissi.

Iam cùm dicit, *si de manducatione spirituali per fidem Christi verba intelligam, me multò facilius erroris convictum iri*, iterum suam prodit inertiam. Nam etiamsi fidei in Christum tribuatur vita, quæritur tamen perpetuò, an, eo modo & ea perfectione, fidem in Christum aliquis habere potuerit ante Christi exaltationem, quæ verbis hic exprimitur. Falsum autem id esse per se patet, cùm ex Christi verbis constet, manducationem istam carnis Christi & bibitionem sanguinis ejus fieri nec debuisse nec potuisse, antequam Christi caro data fuit pro mundi vita, nempe in mortem.

Christi carnis manducationem ante mortem factam non esse.

Sed nunc absurda iterum recenset doctrinæ meæ Smiglecius, qui absurda suæ doctrinæ defendere, quod debebat, non potest. Dico ex verbis Christi Ioan: 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest intrare in regnum Dei*, non sequi, tunc, cùm Christus istud diceret, aliquem reipsa renatum fuisse ex aqua & spiritu. Christus enim tantùm id dicit, quod facto opus erat ad salutem, non verò quid tunc factum sit, aut revera tunc fieri potuerit: imò sequentia Christi verba contrarium docent, nempè id ante ejus exaltationem difficilimè fieri potuisse, dum ait: *Et sicut Moses exaltavit serpentem in deserto, ita oportet filium hominis exaltari, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam* &c. In his enim verbis Christus satis eleganter & argutè ostendit, tunc demùm intellecturum Nicodemū & omnes alios, in se credendum esse (quod idem est cum illa regeneratione ex aqua & spiritu) postquam exaltatus fuerit.

Ante Christi mortem regenerationem datam non fuisse.

Smiglecius ait, *se satis non posse mirari, me tam parum Christo tribuere, ut ei renovationem & regenerationem spiritualem, ad quam efficiendam de cœlo descenderat, denegandam putem, cùm tamen constet, eum passim & remittere peccata solitum, & omnes credentes in eum vitam æternam habuisse, Ioan: 2. v. 36. quæ sine regeneratione effici non poterant.*

Inepta Smiglecii instantia refelluntur.

Sed Smiglecius vel actu, vel inertia, & rem malè concipit, & ineptè probat. Nec enim ego puto, Christo denegandam regenarationem: ſed dico, non ſequi ex eo, quòd Chriſtus dixit, neminem ſine regeneratione conſecuturum vitam æternam,aliquem tunc revera regeneratum fuiſſe. Nec ex eo,quod Chriſtus peccata remittit,ſequitur, aliquem tunc revera fuiſſe regeneratum. Illis enim, quibus tunc a Chriſto peccata remittebantur, non eo modo remittebantur, ut ſimul vitæ æternæ donatio conſequeretur.Hæc enim ſine fide inChriſtum non datur: At peccata tunc etiam illis remittebantur, de quorum fide in Chriſtum nihil conſtabat, ut exemplum ſanati a Chriſto Ioan: 5. docet. Hic enim neſciebat, quis ſe ſanaſſet. Quomodo verò in eum credere potuit, quem tunc ignorabat? Notandum enim eſt,duplicem eſſe peccatorum remiſſionem.Altera eſt imperfectior, cùm pœnę temporales ab eo,qui peccaverat,auferuntur,quamChriſtus, dùm mortalis erat, impertiit hominibus. Altera perfecta eſt, cùm unà cum temporalibus pœnis æterna etiam, qualis mors eſt, ita adimitur,ut ſimul æterna vita donetur. Hanc Chriſtus priùs nemini nec donavit nec donare potuit, quàm ipſemet immortalis & omnium Dominus fieret.

Duplex peccatorum remiſſio.

Meminerit etiam lector, Smiglecium nimis liberaliter loqui, dum dicit,Chriſtū *paſſim* peccata remittere ſolitum.Quod enim tantùm ſemel atq; iterum factum legitur, paſſim factum fuiſſe non niſi hyperbolicè dicitur. Omnes autem credentes in eum vitam æternā habuiſſe, tunc cùm Chriſtus in terris eſſet, ex loco Ioan: 3. v. 36.non probatur. Ibi enim tantùm, quid fidem in Chriſtum conſecuturum ſit, docetur: non exprimitur autem, quando fides iſta in Chriſtum perfectè cœperit.

Smiglecii in pronunciando audacia.

Sed, *Apoſtolos ſaltem tales filios Dei fuiſſe, quales ſub* N.T. *eſſe debent, negari non poſſe*, contendit Smiglecius. Cur verò? *Quia*, ait, *Chriſtus eos mundos pronunciavit, & non de hoc mundo, & amicos ſuos.* Sed iſta omnia infirma eſſe ad probandum id, quod in quæſtione eſt, facilè eſt oſtendere. Nam & is mundus,& non de hoc mundo eſſe,adeoq; amicus Chriſti,dici poteſt, qui non eſt ſimilis aliorum improborum, qui Chriſtum ſpernunt; & qui Chriſto adhæret, ejusque dicta vera eſſe credit,etiamſi regeneratus nondum ſit,&fidem inChriſto non collocet,ut in ipſo Deo,quæ eſt iſta regeneratio,de qua nunc diſputamus. Quæ omnia ante fusè dixeramus in reſponſione priori: ſed Smiglecius, otioſus rerum iterator,ita nos iterare ſemel accuratè dicta adigit. Nam quænàm hæc eſt regeneratio, ſi quis credat, Ieſum regnum

Apoſtolos ante Chriſti mortem non fuiſſe perfectos Dei filios.

Mundum eſſe & regeneratum, differre.

regnum Iſraëlis terrenum inſtauraturum, quæ opinio usq; ad Chriſti aſcenſionem in Apoſtolis hærebat?

Repetit iterum, ſuo ſed nimis turpi more, *omnes, qui Chriſti tempore credebant in Chriſtum, habuiſſe (in ſe) vitam æternam Ioan: 3.v.36.* Sed vix illud dicere deſierat, & ab omnibus credentibus ad Apoſtolos tranſierat. Quid igitur iſtud valeat? Ad locum jam reſpondimus. additionem ad verba ſcripturæ (in ſe) digito tantùm oſtendimus. Nam iſtiusmodi licentia Smiglecius non ſemel utitur, ut ſcilicet, per additiones effecturum ſe, credat, quod verbis ſcripturæ efficere nequit: ſed non inveniet cæcos, quos cæcus Doctor ſeducat.

Licentia Smiglecii.

Iterum addit aliud, *Chriſtum apertè pronunciare, hanc eſſe vitam æternam, ut cognoſcant patrem ſolum verum Deum, & quem miſit Ieſum Chriſtum.* Sed iterum non probat, hoc ante Chriſti exaltationem perfectè fieri potuiſſe: Contrarium autem ex ipſis Chriſti verbis patet. Is enim patrem ſuum orat, ut ſe glorificet, ut & filius ipſum glorificet. Hanc autem glorificationem patris a Chriſto profecturam in eo fore declarat, ſi iis, quos pater ei dederat, det vitam æternam. Hanc rurſus dari non poſſe, niſi prius cognoſcant tum patrem tum Ieſum Chriſtum. Vnde conſtat, poſt Chriſti demum glorificationem iſta omnia perfectè fieri debuiſſe. Apparet igitur, neminem ante Chriſti exaltationem eo modo fuiſſe Dei filium, quo eſſe debent ſub novo Teſtamento.

Cognitionem Patris & Chriſti perfectam, nō dari ante Chriſti exaltationem.

Quod cùm ego clariſſimis ſacrarum literarum teſtimoniis comprobaſſem, quibus affirmatur, Deum nos regeneraſſe ad ſpem vivam per reſurrectionem Ieſu Chriſti, & eundem Deum ex mortuis reſuſcitaſſe Chriſtum, & dediſſe ei gloriam, ut fides & ſpes noſtra in Deo ſit, Smiglecius iterum inſultat, ſed iterum valdè ineptè. Nam dicit, *me aut concedere, Apoſtolos ante exaltationem Chriſti habuiſſe veram fidem in Chriſtum, aut negare.* Iam verò audivit, me id negaſſe, ſi de perfecta fide, qualis in filiis Dei ſub novo Teſtameto requiritur, intelligatur. Quod verò probat, eos tali fide fuiſſe præditos ante Chriſti exaltationem, in eo ſe valdè prodit, quam ſit rudis rerum divinarum. Aliud enim eſt, verè cognoviſſe, quòd Chriſtus a patre exiverit, vel credere, quòd Deus eum miſerit, quod Ioan. 17. (Smiglecius habet 18.) de Apoſtolis dicitur, & aliud eſt, fidem talem habere, qualem eos habere neceſſe eſt, qui filii Dei tales eſſe volunt, quales ſub N. T. eſſe debent. Nam a patre exiviſſe Chriſtum, pars tantùm eſt, eaq; minima fidei in Chriſtum: ut & miſſum eſſe a Deo. Hoc de de omnibus Prophetis & Moſe etiam antea credebant fideles. Nunc verò id parum eſſe vel hinc conſtat, quòd non ſecus in Chriſtum nos credere oporteat, quoad na-

Vnde conſtet, neminem ante Chriſti exaltationem perfectè Dei filium fuiſſe.

Cognoviſſe, Chriſtum a Patre exiviſſe vel miſſum eſſe, & perfectam in Chriſtum fidem habere, differunt.

Fidei in Christũ, cum fide in Deum convenientia.

ad naturam & substantiam fidei, atq; in ipsum Deum. Cujus porrò fidei necessarium adjunctum est cultus isq; divinus, qui in adoratione & invocatione potissimùm consistit, quæ omnia Christo ante exaltationem illius tribui non potuisse, nec tributa fuisse perfectè, nimis est manifestum, & antea a nobis in refutatione duorum de erroribus Arianorum librorum demonstratum est.

Smiglecius seipsum refutat.

Porrò, cùm dicit Smiglecius, *non opus fuiße tunc, ad fidem Apostolorum excitandam, Christi resurrectione, quia nondum eßet facta*, ridiculum se etiam præbet. Nam si nondum fuit facta exaltatio, & sine ea tamen fides in Christum perfecta non datur, quis non videt, Apostolos etiam fide in Christum perfecta, ante ejus exaltationem, non fuisse præditos? Non negatur, Apostolos filios Dei fuisse ante Christi exaltationem, quod sine causa probat Smiglecius: sed an tales fuerint filii Dei, quales sub N.T. esse debent, perpetuò quæritur. Nec etiam in eo quæstio est; quod otiosè pro se tuendo affert Smiglecius, an possint filii Dei alii aliis plus nosse mysteriorum. Hoc enim & hodie fieri videmus, & semper factum esse novimus: sed, an filii Dei tales, quales sub N.T. esse debent, ii sint, qni nondum credunt, nec credere possunt, natura rei & divina voluntate sic ferente, Iesum ex mortuis resuscitatum & dextera Dei exaltatum esse, hoc in quæstione versatur. Fuerunt Apostoli tales filii Dei, quales tunc esse poterant perfectissimi: sed non tales esse debebant, qui sub N. T. Flii Dei vocandi erant, quales tunc erant Apostoli.

Smiglecius otiosa dicit.

Refugium Smiglecii parum tutum.

Iam, cùm ad fidem explicitam & implicitam confugit Smiglecius, &, *eos, qui Christi temporibus fuerunt, fide pares eße ait, iis, qui post exaltatum eum vivunt*, ipsemet satis causæ suæ infirmitatem prodit. Nam hîc de fide sermo est, ob quam Deus ex gratia sua nos servat. Talis autem non est ista fidēs implicita. Quanquam implicita ista fides pro commento humano censenda prorsus est, cujus is finis est, ut sub eo latére omnes ignorantiæ & errores possint. Essentia fidei, quæ filium Dei sub N.F. facit, est credere in Iesum Christum, hoc est, eum pro rege suo cœlesti agnoscere, spem suam in eo totam collocare, ab eo totum pendere, eundem propter divinam majestatem & potentiam adorare & invocare, & ejus doctrinam pro unica vivendi norma habere. Hæc omnia, quia, non nisi ex parte, in omnibus illis esse potuerunt ante Christi exaltationem, non nisi ex parte etiam illos fide in Christum præditos, adeoque ex parte tantùm tales filios Dei, quales sub N.T. esse debent, fuisse, dici potest.

Fides qualis sit, quæ aliquem filium Dei sub N.F. efficiat.

Verum est, spiritum sanctum efficere filios Dei, quod iterum, suo more, otiosè asserit Smiglecius, quales sub N.T. debent esse: sed hoc

hoc ipsum refellit Smiglecium. *Nondum enim erat Spiritus sanctus*, ait D.Ioan: *quia Iesus nondum erat glorificatus*. Quæ verò de spiritu sancto, *quo Ioannes in utero repletus, quo Elizabeth, Zacharias & Simon præditus fuit*, addit Smiglecius, ea, quàm sint infirma & ad rem non pertinentia, antea dictum fuerat prolixè. Nunc enim sermo est de spiritu sancto, qui sub N. F. datus fuit: Elizabeth autem, Zacharias & Simeon proculdubio mortui jam erant, cùm Christus, in terris degens, Evangelium & regenerationem annunciaret. Ioannis autem, præterquam quod alius generis spiritus ille fuit, quo repletus erat in utero, non a Christo certè, quod hîc requiritur, datus erat ille spiritus, sed a Deo, ad illum sanctificandum. Vnde constat, quàm sit frigida responsio Smiglecii, vel potiùs explicatio verborum Christi, quæ extant Ioannis 7. 38. *quòd scilicet ibi sit sermo de plenitudine Spiritus sancti & visibili ejusdem effusione*. Nam in loco Ioannis, non tantùm de ista effusione copiosa & visibili spiritus sancti. (si modò de eâ sermo est) differitur, sed de spiritu, quem non soli Apostoli vel pauci eorum socii, sed credentes generatim accepturi erant, quibus Deus non copiam illam spiritus, sed pro libitu suo mensuram istius spiritus largitus est. Iam, quòd ante glorificationem Christi legimus, Christum, insufflando in Apostolos, dixisse: *Accipite Spiritum sanctum*, id ita intelligendum esse, ut analogia religionis Christianæ fert, nemo non intelligit. Nempe vel Christum indicare voluisse, quomodo brevi pòst dandus esset spiritus sanctus. Nam non tunc, sed brevi pòst eos misit, ut ipse a Patre missus erat, & non tunc, sed brevi pòst effectus ille spiritus sancti in eis apparuit, de quo Christus ibidem differit, nempe remissio vel retentio peccatorum, cujus ante exaltationem, ne umbra quidem in Apostolis, sese exeruit: vel si tamen, datum illis aliquid fuisse tunc reipsa, quis contendat, dicendum est, illud non fuisse tamen illum spiritum, quem credentibus in se Christus promiserat, sed aliquid ab eo diversum & certè humilius.

Instantiæ Smiglecii repelluntur

Non omnis spiritus Dei idem est.

Ioan: B. spiritu S. repletus in utero fuit non a Christo, sed a Deo.

De quali Spiritu Christus Ioan: 7. loquatur.

De quali Ioan: 20. sermo sit.

Objicit Smiglecius; *hac ratione tres spiritus S. eosque dignitate inæquales statui, idque pro summo absurdo venditat*. Sed valdè ineptè. Quis enim non intelligit, unam quidem esse virtutem Dei, ex qua omnia manant effecta, effecta verò non tantùm triplicia, sed valdè multiplicia statui posse. Certè alia effecta spirit⁹ S. in prophetis V.T., alia in Ioanne Baptista, alia in Christo, alia in Apostolis, alia in prophetis N. F., alia in Evangelistis, alia in doctoribus & pastoribus, alia in populo Christi, & rursus alia in illis, qui tempore Apostolorum vivebant, alia in iis, qui nunc vivunt, imò & tunc & nunc in singulis alia apparuerunt & apparent: & tamen unus est spiritus ex, quo ista o-

Multiplex spiritus quatenus dici possit.

mnia, licet tam diversa, emanant. Itaque frustra locum illum ex 1. Cor. 12. allegat Smiglecius. Ibi enim tantùm dicitur, unum & eundē spiritum esse, a quo dona varia proficiscantur: interim non negatur, alium & alium esse Spiritum, respectu aliorum & aliorum effectorū.

Spiritum qui datus est die Pentecostes, differre a spiritu, qui est arrhabo hæreditatis.

Ignorantiam autem in hoc mysterio suam non minimam prodit Smiglecius iterum, dum inter spiritum, qui datus est in die Pentecostes, & inter eum, qui pignus est nostræ hæreditatis, nullum discrimen agnoscit, cùm certum sit, spiritum illum, qui datus est in die Pentecostes, visibilem fuisse, adeoque ad tempus tantùm durantem: qui verò pignus est nostræ hæreditatis, is & invisibilis est, & perpetuò durans, hoc est, qui omnibus seculis, a Christi exaltatione, credentibus datus fuit, & etiamnùm datur. Spiritus ille visibilis & ad tempus durans, dabatur etiam illis, qui nondum fidei suæ constantiam Deo probaverant, in eum finem, ut per eum in fide sua confirmarentur; interim fieri potuit, ut tales essent homines parum pii, teste Christo, qui ait, multos sibi dicturos in illo die, Domine Domine, nonnè nomine tuo dæmonia ejecimus, & multas virtutes fecimus, se autem responsurum, quòd eos non noverit, quia fuerint operantes iniquitatem: At hic invisibilis & perpetuò durans, non datur, nisi iis, qui iam fidem suam Deo benè probârunt, & auxilio isto divino, quod ultimum, sic præstantissimum est, egent. Et quanquam negari non potest, Apostolis, vel fortassè etiam aliis quibusdam, tunc, cùm datus est illis spiritus visibilis, datum etiam fuisse pignus hæreditatis: tamen dici non debet, vi istius spiritus visibilis, datum esse pignus hæreditatis: sed simul & semel ob munus ipsorum arduū, vel aliā ob causam datum esse spiritū visibilē & invisibilē statuendum prorsus est; estq; aliquid extraordinariū in illis agnoscendū. Quemadmodum etiam hodie fieri posset, ut Deus alicui, ob certas causas, post ejus ad Christum conversionem statim daret spiritum, qui est pignus hæreditatis, extraordinariè scilicet, quem tamen Deus nemini, generatim loquendo, dare solet, nisi qui jam eo dignus est, idque tunc tantùm, quādo illo opus habet. Nam, (ut hęc etiam ad rem tanti momenti rectiùs intelligendam addam) qui ad Christum accedunt, & ei adhærent, possunt aliunde spem vitæ æternæ concipere, quam ex isto spiritu, qui est pignus hæreditatis nostræ, nempe ex auditione verbi divini, in quo ea nobis perpetuò proponitur, quæ fidei talis causa sunt ordinaria, nempe Christi (ut alia taceam) mors, resurrectio & exaltatio. cum hac fide perpetuò eos vivere necesse est: At alteram illam spem vitæ æternæ, nempe firmissimam & certissimam, quæ gustum secum affert vitæ æternæ, non necesse est semper eum habere,

Spiritum aspectabilem & inaspectabilem, simul dari potuisse & posse.

Præter Spiritum, qui est pignus hæreditatis, aliunde posse concipi spē vitæ æternæ.

habere, qui Christi est: sed satis est, tunc eum dari, cùm quis constanti sua pietate id quodammodo meritus est, & cùm in præsenti aliquo & intolerabili alioquin periculo constitutus est, vel alia de causa opus illo habet. Hæc hactenus quasi obiter.

Finit hoc caput Smiglecius repetitione commenti sui, *omnes homines ab orbe condito eadem ratione Dei filios, & eadem fide justificatos fuisse*. Sed quia, hoc in sequenti libro se tractaturum, promittit, non opus est hîc prolixè id refutare. Dicam, quod res est, brevissimè. Eadem fide justificamur omnes, si naturam fidei spectes & substantiam illius: Sed quæ sit natura fidei & substantia illius, dispiciendum est. Nos eam esse dicimus, ut quis confidat, Deo hoc est, sub spe promissiorum illius, præcepta illius servet, qualiacunque sint promissa & præcepta. Ad hanc naturam fidei & substantiam illius, putat Smiglecius pertinere fidem in Christum, si non explicitam, saltem implicitam: Sed graviter errat. In universo enim cap: 11. ad Heb: ubi nubes testium recensetur, qui Deo confisi sunt, & ob fidem Deo accepti fuêre, nulla fidei in Christum nec aperta nec tacita fit mentio. Iam quod Paulus ait, se eundem spiritum cum Davide habere, id non absolutè, sed secundùm quid accipiendum esse, nempe de naturâ fidei, ipse locus comprobat. Mox enim addit, ut David, quia credidit, loquebatur, sic se etiam loqui, quia credebat. Verba autem Pauli Rom: 5. 12, 18. ad homines N. F. tantùm pertinere, res ipsa loquitur, & a nobis priori responsione demonstratum fuerat, & infrà iterum demonstrabitur. Infirmum etiam est, ut antea docui, ex eo, quod eandem gratiam sint consecuturi omnes, omnes eadem ratione fuisse Dei filios. Nam quis non videt, posse Deum imparem fidem pari compensare gratia? Sed hæc iterare nimis est molestum.

Quatenus eadem fide omnes justificentur.

Quæ sit natura fidei.

Ad naturam fidei fidem in Christū non pertinere.

2. Cor: 4. 13.

Christum nunquam asseruisse, se esse ita naturalem Dei Filium, quòd sit ex substantia Dei generatus, docetur.

Caput VI.

Fatemur omnes, Christum, qui est filius Davidis secundùm carnem, esse Dominum ejusdem, secundùm verba Davidis Psal: 110. *Dixit Dominus Domino meo*. Quæstio iam est, quomodo sit Dominus Davidis, si filius ejus est; vel quomodo ista debeant conciliari, si Dominus est, quomodo filius? Smiglecius cum suis credit, Christum Dominum esse Davidis, quia præter naturam humanam, divinam

Status quæstionis.

tunc Christus habuerit: Nos ideo, quia, præter naturam humanam, divinam etiam habiturus esset potestatem, quâ servaturus est olim ipsum Davidem, ut alios omnes cum fide vera mortuos. Smiglecius suam sententiam nullo argumento solido probat, nec probabit unquam: nostram etiam, quæ per se manifesta est & facillima ad intelligendum, nulla ratione falsam esse, ostendere potest. Tantùm enim id repetit, quod antea refutatum a nobis est, *filium alicujus fieri accidentaria ratione Dominum sui patris, nec impossibile esse, nec ita repugnans, ut eo solo nomine non possit dici filius ejus, quia Dominus ejus est. Quot enim filii*, ait, *Domini suorum parentum sunt & fuerunt?* Dico igitur iterum, Christum non agere de re repugnante, sed de re difficili ad intelligendum, quâ volebat eos, qui ipsum capere in sermone, quæstione proposita, quæ habetur v. 26, volebant, pudefacere quodammodo, significans, se multò rectiùs objicere posse quæstiones difficiles, quàm illi poterant. Dico porrò, quod Smiglecius nulla ratione refutare potest, inauditum ab omni hominum memoria fuisse, filium esse Dominum patris sui, post mortem patris. Itaque impossibile tunc fuisse, ut illud divinarent Pharisæi de Dom: Iesu, quem illi seductorem esse credebant. Nam etiamsi eum Christum esse credidissent, tamen illud divinare non potuissent. Nec enim, Apostolos etiam tunc id intellexisse, dici potest, cùm usque ad ipsam Christi ascensionem in cœlum, regnum terrenum Christi somniarent. Ad id verò, ut Dominus sit Davidis Christus, regno illius cœlesti & divino omnino opus est.

Christus Dominus Davidis, non ob naturam sed potestatem divinam.

Christum Matth: 22. nõ rem impossibilem sed difficilem proponere.

Quomodo Christus Dominus Davidis esset, neminem intelligere potuisse, cùm Christus mortalis esset.

Iam cùm ulterius dicit Smiglecius, quod antea etiam in monstris dixerat, & a nobis sufficienter refutatum est in priori responsione, *Si potentiâ tantùm accidentaria ad id sufficeret, non ursisset Christus illam consequentiam, si Dominus, quomodo filius ejus, sine ulla enim controversia filius, potentiâ a Deo obtentâ, potest esse Dominus sui patris, neque in hoc ullam apparentem vim haberet argumentum Christi, neq; Pharisæi ullam in respondendo difficultatem invenissent, facillima enim & cuique obvia esset responsio, Dominum Davidis esse posse filium ejus, potentiâ in Davidem a Deo illi communicatâ*, in eo ineptè se gerit. Fingit enim id, quod de potentiâ Christi in Davidem hodie nos scimus, cognitum etiam tunc fuisse Pharisæis, cùm tamen, nemo omnium tum temporis, de tali & tanta Christi potestate, ne somniârit quidem. Vnde constat, Christum valdè argutè quæsiivisse ex adversariis, & eos nulla ratione potuisse sese ex ista difficultate expedire, quia tunc nondum id revelatum erat, quod ad quæstionem illam decidendâ requirebatur, & non nisi ab ipso Christo sciri poterat, quem tunc Pharisæi repudiabant.

Ineptit Smiglecius.

Ignoran-

Ignorantiam mihi objicit Smiglecius, *quòd personam humanam in Christo supponam, & nesciam distinguere personam a natura, ratione cujus distinctionis Dei virtute fieri possit, ut duæ naturæ in una persona subsistant.* At ego istam sapientiam nemini invideo, quâ docetur, hominem esse posse sine persona humana. Nam qui persona humana non est, is nec homo est: & dum negatur, Christum esse humanam personam, negatur, eum esse verum hominem, & tantùm non negatur, eum esse Christum. Ratione autem distinctionis personę & naturæ, Dei virtute, fieri posse, ut duæ naturæ in una persona subsistant, tam falsum est, quàm quod falsissimum. Et verè duo bruta & ἄλογα sunt dogmata religionis Pontificiæ. Vnum: Vnam naturam tribus personis esse cõmunem: Alterum, Duas naturas in una personâ subsistere, quæ nec in sacris literis expressa sunt, (unde, ad salutem necessaria non esse constat) nec ex sacris literis deduci possunt, nec deniq; cum sana ratione quicquam commune habent, unde nec ad salutem utilia esse, apparet, nec, quicquã veri in iis esse, ad oculum videre est.

Homo non est absq; persona humana.

Ingentes duo Pontificiorum errores.

Porrò nostram sententiam refutaturus, primùm invehitur in me, qui dicam, mortuos non esse, & *impiam hanc opinionem* apppellat: Sed quàm justè, expendat intelligens lector. De rebus enim divinis cum scriptura loqui, tutissimum est. Quod verò de vita animarum disserit, hoc instar fabulæ est, quam cur tantopere defendat Smiglecius, non nescimus. Rueret scilicet dimidium religionis Pontificiæ, & cessarent omnes ejus reditus, si ista sententia rueret. Spiritum hominis ad Deum redire, testatur sacra scriptura: At eum vivere vitâ, ut ait Smiglecius, spirituum, & vel aliquid intelligere vel voluptate frui, hoc extra & contra scripturam dicitur. Nam si ita viverent animæ, non posset dici ullo modo, mortuos non esse. essent enim quoad partem sui potissimam. Quod verò de parte hominis eaq; potiori verũ esset, negari de homine toto nullo modo simpliciter posset.

Spiritum hominis post mortem nihil sentire.

Deinde ait, *id, quod dicimus de causa, cur Christus sit Dominus Davidis, non nisi fingendo dici posse.* Sed quis non videt, rem hanc esse ita obviam, ut nemo sanæ mentis eam rejicere possit? Expende autem iterum, lector, quid dicat Smiglecius ampliùs: *Quis enim credat*, ait, *talem sensum vel Christum obtrusisse Pharisæis, vel Phariseos de potestate resuscitandi, quæ Christo conveniret, tunc aliquid cogitasse, & propter eam summam in respondendo difficultatem sensisse*, & addit: *Vt enim aliud non dicam, evolvantur omnium Rabinorum scripta, & apparebit, nulli unquam venisse in mentem talem verborum Psalmi expositionem: tantùm abest, ut Pharisæi eam tanquam certam & communiter receptam tunc secuti fuerint.* Quid est ineptire, si hoc non est? Nec enim nos dicimus,

Ineptit graviter Smiglecius.

mus, Christum hunc sensum obtrusisse Pharisæis. Nullum enim sensum patefecit, sed tantùm duo, ad conciliandum difficilia, & tunc, præsertim incredulis, ad intelligendum impossibilia, proposuit, ut eos, qui multùm sibi sapere videbantur, confunderet. Nec etiam dicimus, Pharisæos tunc de tali sensu cogitasse, vel, quod multò ineptiùs est, sententiam talem tunc fuisse communiter receptam. Affirmamus enim, hoc tum temporis nemini fuisse cognitum.

Tertiò ait, *me mihi contradicere:* Sed contradictionem istam vel non expressit, vel valdè obscurè. Apertè etiam me cavillatur, & ex cavillatione nectit suam contradictionem. Dicit enim, *me aßerere, Pharisæos tunc talem potestatem in Christo nullo modo agnoviße.* Verbis his nunquam sum usus: Sentio autem, eos tunc talem Christi potentiam ignorasse, & scire non potuisse. Iam ergo dum infert Smiglecius: *Atqui si non agnoverunt, neq; crediderunt talem potestatem in Christo, quomodo ex eo præcipuè capite ullam difficultatem in respondendo sensissent*, ambiguitas verborum errorem tegit. Nam si dicatur, Pharisæos tunc Christi talem potentiam ignorasse, imò nec scire potuisse, parumné constat, summam eis objectam fuisse difficultatem in respôdendo, & ita pudefactos eos a Christo fuisse, quod scilicet ad quæstionem propositam, quæ verissima erat, nihil respondere nossent. Itaque seipsum valdè intricavit Smiglecius, dum, me mihi contradicere, finxit. Nam ut & illud examinem, *Cùm enim alicui objicitur, quod ille nullo modo verum eße existimat, nullam in respondendo habet difficultatem, sed sine ullo negotio negãdo omni difficultate se liberat*, nonné hîc etiam ineptit Smiglecius? Christus enim quæstionem suam ita direxerat, ut non possent verum id esse negare, quod ab eis quærebat. Confessi erant, Christum esse filium Davidis. Christus docet ex sacris literis, Davidem in spiritu Christum appellasse dominum suum. Itaque aut semel confessa, quæ & ipsa in sacris literis extabant, revocanda fuissent: aut Davidis verbis fides deroganda, si, falsum id esse, dicere voluissent. Non credebant igitur Pharisæi, verum non esse quod objiciebatur: sed quomodo id, quod verum esse necesse erat, conciliarent, non inveniebant.

Smiglecius valdè ineptire pergit.

Quomodo Christus constrinxerit adversarios.

Per quæ ad quartum etiam, quod addit Smiglecius, responsum est. Credit enim Smiglecius, Christum in verbis suis, *si Dominus, quomodo filius*, argumentari, & dicere velle, non potest id fieri, &, repugnantiam in illis Christi verbis contineri, iterum affirmat. Quæ omnia falsa esse, partim jam demonstratum est, partim iterum demonstratur. Nam argumentum, propriè sic dictum, nullum est, nisi quis dicat, Christum id negasse, quod dixerant Pharisæi, quod dici non potest

Christum in loco Matthæi non argumentari.

potest, nisi contradicatur scripturæ. Unde etiam alibi legimus, Christum ita communiter ab hominibus salutatum fuisse, quòd esset filius Davidis. Et vox *quomodo*, quærentis est non negantis, ut alii etiam observarunt. Deinde prorsus falsum esse quis non videt, Christum repugnantiam hîc aliquam indicare? Vera enim repugnantia nunquam conciliari potest. Adde, quòd verum esse necesse erat, tàm id quod Pharisæi dixerant, quàm quod Christus objicit. Utrumq; enim verbo Dei nititur. Quomodo ergo repugnantia in eo esse poterat? Restat igitur statuere, Christum nec argumentari, nec repugnantiam indicare, sed tantùm interrogare, quomodo ista duo consistere possint, quòd Christus, qui post Davidem natus fuit, vocetur Davidis filius, & tamen idem sit ejus Dominus. Quæ, ut tunc ante Christi exaltationem conciliari non poterant, ita nunc, postquam Deus Christum exaltavit, adeò obvia sunt, ut nemo ea non intelligat.

Vocis *Quomodò* significatio.

Repugnantiam veram non posse conciliari.

Christum & Pharisæos non dixisse repugnantia.

Perfunctoriè & quasi fugiens, iterum ex eo, quòd Christo dictũ sit, *sede à dextris meis*, colligit naturam in Christo divinam, *quia nihil, quod extra Deum sit, par Deo esse possit.* Sed hæc omnia antea diluta sunt plùs quàm centies. Prorsus & absolutè par nihil Deo esse potest. Essent enim duo dii: sed par, certo respectu, aliquid Deo esse posse, qui negat, is, Deum omnipotentem esse, negat. Omnia enim, quę non implicant contradictionem, possibilia sunt Deo. Iam verò aliquid, quod est extra Deum, par & æquale esse Deo in re certa, hoc est, in negotio salutis, non tantùm nullam implicat contradictionem, sed & summam Dei gloriam, & perfectissimam humani generis continet consolationem.

Par aliquid Deo dari, sed non absolutè.

Frigidissimè etiam ex verbis: *ex utero ante luciferum genui te*, eandem naturam divinam colligit. Sed quia prolixè ad istum locũ, quem hîc tantùm recitat Smiglecius, antea responsum est, & ostensum, nec verba ita ex Hebraico legi; & licet ita legerentur, nihil tamen ad rem facerent, missum nunc illum facio. Quanquam infrà idem locus iterum tractandus nobis erit.

De loco Psal: 110.

Alterum inseruit argumentum Smiglecius, quòd Christus talem se Dei filium prædicârit, qui esset unum cum Patre. Sed quia de hoc in libro priori fusissimè scripsimus, eò lectorem remittimus. Smiglecium autem non possum non mirari, qui ista ἀταξίᾳ ita quodammodo delectetur, ut confusionis nullus sit finis.

Repetitio Smiglecii castigatur

Tertium argumentum facit, quæstionem Caiaphæ, an Christus esset filius Dei benedicti. Hoc quàm ineptum sit, & antea diximus, & nunc iterum indicamus. Si enim antea Smiglecius ex eo, quòd Christus proprius & unigenitus filius Dei appellatur, & quòd natu-

Ex vocibus *Filii Dei* non probari naturam divinam

ralis appellari posse conceditur, id probare non potuit, quomodo id ex eo evincet, ubi tantùm simpliciter filius Dei appellatur, idq; ita, ut constet, verba filii Dei amplius non extendi, nec plura continere, quàm vocem Christus, ut a nostris, & a meipso etiam antea firmiter demonstratum fuit.

Non cessat tamen urgere suas opiniones & commenta Smiglecius. Ait enim, *non esse dubium, Caiapham interrogasse de filio Dei naturali*, cùm tamen id dubium esset maximè. Nam nec Christus talem se Dei filium unquam appellârat, nec talem Dei filium vel somniârunt Iudæi.

At habet rationem Smiglecius, dum ait: *Hoc enim illi tanquam blasphemum objiciebatur passim, quòd, homo cùm esset, faceret seipsum Deum, & patrem suum diceret Deũ, æqualem se faciens Deo.* Primùm audacter, imo falsò dicitur, Christo hoc *passim* objectum fuisse. Tantùm enim semel id legitur in N. T. Deinde non constat, an respectu hujus filiationis, de qua alibi sermo est, Christum Caiphas interrogârit. Denique falsum est, *Christum, cùm concessit & probavit, se filium Dei esse, adeoque Deum, docuisse, se esse filium Dei ex substantia illius genitum.* Nam is, qui se æqualem Deo facere putabatur, vel etiam suo modo faciebat, ibidem addit, filium a seipso nihil posse facere, quod de filio Dei naturali, qualem fingit Smiglecius, dici non posse, ipsemet non negabit; & is, cui objiciebatur, quòd, homo cùm esset, faceret se Deum, aliud nihil respondit, quàm se propter sanctificationem & missionem in mundum filium Dei esse. Quod iterum de filio Dei, qualem somniat Smiglecius, dici non posse, alibi demonstratum est fusissimè & validissimè. Potest enim sanctificari & in mundum mitti is etiam, qui non est ex substantia Dei genitus.

Licentiosa Smiglecii oratio.

Filium Dei vel Deum esse, & ex substantia Dei genitum esse, differunt.

Iterat etiam hoc Smiglecius, ad quod operæ pretium est respondere breviter, *Quia Christus fassus sit, se esse naturalem, hoc est, de substantiâ Dei genitum filium, minimè dubitandum, id esse posse, quicquid humana, id est, stulta ratio in contrarium suggerat.* Hîc enim tacitè dicere videtur Smiglecius, credendum esse aliquid, quod rationi humanæ sit contrarium. Quod tamen falsissimum esse, jam omnes magis sobrii Theologi confitentur; & ipse Smiglecius, in suo de divinitate filii Dei & spiritus S. libro falsum esse prolixè demonstrare voluit. Certum autem est, quicquid rationi contrarium est, id nec in s. literis scriptum extare, nec ex illis colligi posse. Deinde verò accusat nos tacitè, quasi scripturæ nolimus credere, quæ aliquid asserit, ob id solùm, quod rationi humanæ contrarium sit. Quo nihil dici potest in nos iniquius. Nam, quicquid scriptura dicit, vel quicquid legitimè ex illa

Smiglecius sibi contrarius.

In S. literis nihil esse rationi contrarium.

illa deduci poteſt, hoc totum non credimus eſſe veriſſimum, licet omnem noſtram rationem ſuperet: (nihil enim rationi contrarium eſt, aut eſſe poteſt, in ſcripturâ) Et quia ſcriptura nuſquam dicit, Chriſtum eſſe filium Dei ex ſubſtantia illius genitum, nec ex ea id deduci poteſt. ſemper enim inſtantiis, legitimis illegitimas eſſe conſecutiones adverſariorum, quas nectunt, docere poſſumus, nihil eſt, quod nos cogat, ut tale dogma vel ad ſalutem neceſſarium, vel ad eandem utile, adeoque verum eſſe credamus.

Quicquid ſcriptura dicit, id eſſe credendum, licet rationem ſuperet.

Vrget iterum, quòd Iudæi coram Pilato dixerant: *Nos legem habemus, & ſecundùm legem debet mori, quia filium Dei ſe fecit.* Sed quia nihil prorſus affert, quo probet, Iudæos legem aliquam talem habuiſſe, qualem jactabant; nec etiam oſtendit, cur non ſit admittendus alter locus, quem adduxerat Socinus, & ego antea defenderam, nolo, actum agendo, tempus terere. Hoc tantùm addo, Smiglecium valdè ineptire, dùm ait, *Chriſtum non fuiſſe promiſſum viribus corporis robuſtum & inſuperabilem.* Quaſi ſcilicet de ſola Chriſti perſona agatur, cùm infirmitatis ejus ſit mentio, & non potiùs de munere illius, & præcipuè regio, cujus reſpectu dicitur infirmus, quia nulla humana potentia erat ſtipatus, & tamen pro rege agnoſci voluit & debuit. Quæ verò de potentia Chriſti in terris diſſerit, ea nihil ad rem faciunt. Quæ enim Phariſæi de Chriſto dicebāt, *omnes in eum credituros, ſi ita dimittatur, & totum mundum poſt eum abiiſſe*, præterquam quod hyperbolica ſunt, nonnulla, ſaltem alia de cauſa, fieri poterāt, quàm ob Chriſti potentiam, nempe ob quandam virtutem doctrinæ illius & miraculorum, quæ ad illam confirmandam tunc edebantur.

Smiglecius idē dicit.

Cujus rei reſpectu Chriſtus dicatur infirmus.

Tandem, cùm non blaſphemum id, ſed falſum tantùm fuiſſe dicit Smiglecius, quod ex loco Deute: 18. a nobis colligitur, advertere debuit, nullam in accuſatione Iudæorum blaſphemiæ mentionem fieri, ſed tantùm ejus, quòd filium Dei ſe fecerit, quod rectius falſum, quàm blaſphemum dici poteſt. Veriſimile enim prorſus eſt, Iudæos ex præcepto, de falſo Propheta interimendo, occaſionem ſumſiſſe, interficiendi etiam eum, qui ſe ſummum illum Prophetam venditaret, nec tamen eſſe illis videretur.

Chriſtum

Christum, etiamsi sit splendor gloriæ, & expressa imago substantiæ Dei, tamen non esse ita naturalem Dei Filium, ut ex substantia Dei genitus sit, docetur.

CAPUT VII.

ABUSUS tempore & otio Smiglecius, repetitione nuda eorum, quæ antea semel ab illo dicta, & a me refutata fuerant, me etiam, invitum planè, otio abuti cogit, ut scilicet breviter indicem, quàm ineptè locum Heb: 1., ad demonstrationem nativitatis Christi ex substantia Dei, adhibeat. Negatur, ex voce splendoris jure colligi, Christum ita esse coæternum Deo, ut splendor est luci, vel ea ratione ex Deo manare, ut splendor ex luce. Metaphoricè enim hoc de Christo dici potest, & proinde certo tantùm respectu, qui scilicet sit possibilis, nostræ saluti utilis, & alicubi in scriptura expressus. Quæ omnia de isto sensu, quem his verbis affingit Smiglecius, dici non posse, nimis manifestum est. Preterea ita abutitur Smiglecius hac voce splendoris, ac si scriptum sit, Christum esse splendorem Dei, & ita omnia dici posse de Christo, respectu Dei, quæ dici possunt de splendore, respectu lucis. At falsum esse, quod assumit Smiglecius, Christum scilicet splendorem Dei esse appellatum, jam antea disertè docueram, & nunc iterum urgeo. Vnde constat vanitas istarum deductionum Smiglecii, quas ex voce splendoris nectit. Nam Christus non splendor Dei, sed splendor qualitatis & attributi divini, nempe gloriæ illius, appellatur.

Christum impropriè splendorem gloriæ Dei appellari.

Christum nō appellari splendorē Dei, sed gloriæ illius.

Iam cùm dicit Smiglecius, *Christum appellari splendorem gloriæ Dei, idque absolutè, & hinc colligit, ut gloria Patris totam Dei naturam complectitur, sic etiam splendorem gloriæ Dei, totam Dei naturam comprehendere*, videat ipsemet primùm, quàm remotæ sint istæ & obscuræ conjecturæ. Deinde verò animadvertat, quàm ineptè, sub voce gloriæ Dei, naturam etiam Dei intelligat, ob hoc solum, quòd gloriæ Dei absolutè fiat mentio. Quis enim nescit, ad subjectam materiam verba absolutè posita plærunque, ne dicam semper, esse referenda? Et licet gloria divina in natura etiam illius consistat, tamen, cùm de ea gloria Dei sermo est, quæ ad nos & nostram salutem spectat, eam non indicari, vel hinc constat, quòd splendor naturæ divinæ nullus detur. Vt enim ipse Deus, sic natura ejus inaspectabilis est; nec eo opus sit hominibus ad salutem. Sufficit enim cognitio divinæ voluntatis. Hanc autem gloriam Dei appellari posse, tùm quia per eam id innotuit,

Gloriam Dei non includere necessariò naturam ejus.

Splendorem divinæ naturæ non dari.

notuit, quod gloriæ divinæ causa est, tum quia glorioso modo revelata, nemo non videt.

Cur divina voluntas gloria Dei appelletur.

Agnoscit Smiglecius, in similitudinibus non esse attendenda omnia, quæ de simili dici possunt: nec tamen vult agnoscere, se errare, qui omnia, quæ de luce, qui Deus est, dicuntur, dici etiam vult de Christo. At dicit, *hoc valere in similitudinibus, quæ certo respectu adhibentur, non absolutè*. Ego verò interrogo, quid illud sit, quod absolutè adhibeantur? Si enim absolutè id fieri dicat eò, quòd nihil aliud addatur, unde constet similitudinis limitatio, certè, id vanum esse, infinita similitudinum exempla ostendunt. Nonné enim absolutè sal terræ, lux mundi, appellantur Christi fideles? nec tamen ita absolutè eos appellari, his metaphoricis vocibus, ut nulla sit adhibenda limitatio, quisquam sanæ mentis affirmaturus est.

Quando similitudo absolutè adhibeatur.

Quanquam satis est indicata limitatio hujus vocis splendoris, dum primùm non Dei, sed gloriæ Dei splendor Christus dicitur. Deinde, quòd de eo filio, per quem Deus ultimis diebus nobis locutus est, quem omnium hæredem constituit, per quem etiam secula fecit, demum dicitur, eum esse splendorem gloriæ Dei. Hinc enim colligi potest, Christo perfectè istud tum demum competere cœpisse, postquam a mortuis resuscitatus, & omnium Dominus, adeoq; ipsius æternæ salutis administrator & procurator constitutus fuit, de quo aliàs, Deo volente.

Vocem Splendoris certo respectu Heb. 1. accipiendum.

Miror autem, Smiglecium me omnium interpretum, & præcipuè suorum patrum, autoritate subinde premere. Nunc enim disputatur inter nos, & rationibus aguntur omnia, & una ratio omnibus præstat autoritatibus; degenerisque est animi indicium, ob id solum aliquid approbare, quia alii id approbent, nisi rationes simul teneas, quare id alii approbârint. Hinc non possum non laudare illos, qui, ex ipsis Iesuitis, multas Patrum suorum explicationes repudiant, & eas tantùm sequuntur, quas maximè probabiles esse ipsimet judicant, quod facit suprà dictus Ioannes Maldonatus in suis commentariis. Et hic quidem disputandi modus tanto est repudiatione dignior, quod nullo modo probari possit, omnes interpretes locum hunc ita absolutè accepisse, ut eum accipit Smiglecius, nisi quis omnes interpretes se vidisse doceat, quod unum est ex impossibilibus. Verisimile autem est, tot fuisse vel plures, quorum scripta interierunt, quàm quorum scripta extant.

Ad hominum autoritatem frustra provocari, & cur.

Iam quod alteram similitudinem attinet, ejus tota vis in voce ὑποστάσεως sita est. Hanc Smiglecius vertit substantiæ, ut habeat, quo se in desperata causa soletur: Sed vitiosam, vel saltem ambiguam & insuffici-

Quid vox *hypostasis* significet.

sufficientem esse hujus vocis interpretationem, tum alii interpretes, quorum eruditio, vulgati interpretis, quem vocant, eruditioni, si non præferenda est, saltem comparari cum illa jure potest, docent, tum ipsa adversariorũ de voce hypostasis sententia. Tres enim alioquin hypostases in una Dei substantia subsistere credunt. Unde constat, ὑπόστασιν a substantia differre. Iam si modus etiam loquendi sacrarum literarum attendatur, apparebit, aliam voci isti subesse significationem, quam antea etiam indicavi, ut scilicet hypostasis alicujus rei dicatur, quando res quàm perfectissimè exprimitur. Quo sensu interdum hypostasis, pro fide perfectissima, quæ est Christiana, & hypostasis gloriationis, pro solida & audaci gloriatione accipitur. Quæ omnia ita sunt manifesta, ut a nemine negari possint. Itaque corruat necesse est sententia Smiglecii, quæ imaginem substantiæ, hoc est, naturæ divinæ nobis obtrudit, cujus nullam dari imaginem, nimis certum est.

Respondet hîc Smiglecius, *non dari imaginem Dei ab homine vel alio quopiam factam: sed dari imaginem, quam Deus ipse exprimat*, & hîc, extra Theologiam vagans, dicit, *Deum, cùm seipsum perfectè comprehendit, posse ex consequenti seipsum, qualis & quantus est, exprimere.* At hæc sophismata sunt otiosa, de quibus, etiamsi tandem vera essent, vel cogitasse sacros scriptores, nedum ea scripsisse, non nisi desperatio asserere suadet. Quomodo enim homines rudes & plebei, quales erant plærique Hebræi, ista intellexissent, quæ hodie inter multa millena hominum, vix unus & alter, non dicam intelligit (ipsimet enim tandem dicunt, hæc fide esse comprehendenda) sed intelligere se somniat, reipsa verò, quid sentiat, nec mente assequi, nec linguâ effari potest. ut vel hoc ipso, qualis sit Pontificiorum Doctorum, in sacris literis explicandis, scientia, unusquisq; perspicere possit. Iam cùm istud totum humani cerebri commentum sit, quod de tali intellectu Dei disserit Smiglecius, ut alibi a nobis ostensum est, expende, benevole lector, quantum Smiglecianis explicationibus tribuendum sit.

Autores divinos ad captum hominum simplicium scripsisse.

Porrò cùm dico, imaginem substantiæ divinæ nobis ad salutem non esse necessariam, Christum verò imaginem hypostasis divinæ appellari nostri causâ vel respectu, ait Smiglecius, *etiamsi nobis non sit necessaria, tamen in seipsâ talem esse.* Hoc verò, quam vanum sit, jam indicavimus. Ait iterum, *necessariam nobis esse talem imaginem.* Sed graviter errat. Nam quæ ad salutem necessaria sunt, ea, in sacris literis expressa extare, necesse est. Christum verò talem imaginem esse Dei, qualem eum fingit Smiglecius, nec uspiam scriptum est, nec scribi potuit,

Imaginẽ substantiæ divinæ nõ esse ad salutem necessariam.

potuit. Vix enim aliquis ista intellexisset. Ait tertiò, *Paulum loqui de naturali Dei imagine, idque vocem χαρακτὴρ denotare & talem imaginem omnes interpretes hoc loco intelligere.* Sed neque vox χαρακτὴρ naturalem imaginem significat; & omnium interpretum consensu argumentum partim infirmum, partim falsum est, ut ante docuimus. Itaque nihil dixit Smiglecius, quod approbatione dignum sit. Iterum autem miror hominis ingenium, qui, mentione facta omnium interpretum, ita in nos debachatur, dum ait, *præter istos vespertiliones, qui lucem omnibus conspicuam cernere nunquam possunt, & quod omnes vident, ipsi soli non vident.* Ad quæ multa regeri possent, nisi modestia contrarium suaderet. Meminerit autem Smiglecius, nos ex istiusmodi convitiis colligere, non habuisse eum, quod directè responderet, & per ea in veritate etiam confirmari. Deus semper idem est, qui tam nostri misereri, & mysteria suæ voluntatis nobis aperire potuit, quàm aliis: & qui ad certos homines quasi alligat divinarum rerum scientiam, is in ipsum Deum injurius esse, & sine ratione res divinas tractare, jure dici potest.

Supercilium & fastus Smiglecii indicatur.

Ejusdem valoris est, quòd, cùm ego dico, Christum imaginem Dei appellari respectu nostri, priusquam ad locum 2. Cor: 4. respondeat, id pro ratione affert, *quòd id nulli hactenus visum sit, præterquam mihi soli & meis asseclis.* Rationibus certemus, non autoritatibus, nisi nos victos esse, hac ratione prodere velimus, & rationes non numeremus, sed ponderemus. Iam cùm ad locum 2. Cor: 4. respondet Smiglecius, aliud nihil facit, quàm sententiam suam super verba, *qui est imago Dei* (omissa voce, invisibilis, quæ in græcis quibusdam codicibus habetur) nudam recitat, eamque talem, quæ crassam principii petitionem continet, dum ait: *Christum tantum esse, ut sit ipsius Dei viva imago, & ex consequenti, omnem divinam sapientiam & perfectionem in se naturaliter contineat.* Quasi verò vox imaginis quantitatem exprimat, & non potiùs similitudinem, ut ipsa vox & res exigit; & quasi omnis divina sapientia & perfectio naturaliter ab aliquo possit possideri. Hac enim ratione tacitè sumitur, omnia naturalia Dei attributa, adeoque ipsam Dei naturam cum alio communicari posse, quod ipsum nunc in controversia versatur, & a Smiglecio, per hoc ipsum, quod Christus est imago gloriæ Dei, vel Dei, probandum susceptum est. Itaque cùm ne uno verbo docuerit Smiglecius, locum 2. Cor: 4. de tali imagine agere, qualem ipse intelligit; nec etiam id, quod ego de istius loci sensu dixeram, refutet, tutò quivis illum admittere & in eo acquiescere potest. Quis enim non videt, Paulum, postquam dixisset, Evangelium suum, si etiam sit opertum, in iis, qui pereunt, esse o-

Ad homines provocare in religione, est, desperationem prodere.

Imaginem non quantitatem sed similitudinē exprimere.

Sensus loci 2. Cor: 4. eruitur.

esse opertum, in quibus Deus hujus seculi, hoc est, Diabolus excæcavit mentes infidelium, ut non splendeat eis illuminatio Evangelii gloriæ Christi, ut hæc omnia, quæ in Evangelio glorioso Christi continentur, verissima esse ostenderet, addidisse hæc verba, *qui est imago Dei invisibilis*, hoc est, cujus Christi Evangelium gloriosum ita Deum inaspectabilem revelat, ac si illum oculis intueremur, atque ita Christum imaginem Dei inaspectabilis nostri respectu dici. Nam planè eodem sensu alibi etiam Christus ita appellatur Col: 1. v. 15., ubi postquam Paulus dixisset, nos in Christo habere redemtionem, remissionem peccatorum, statim ea verba addit, *qui est imago Dei invisibilis*, ostensurus scilicet, ea, quæ ante dixerat, nos in Christo habere, quantumvis maxima, esse nihilominus verissima, quia Christus nobis Deum, quatenus scilicet videri potest, videndum præbuerit, & non secus nos illius Evangelio confidere posse, atque ipsi Deo, si eum videremus.

Cur Christus imago Dei appelletur.

Nihil porrò proficit Smiglecius, cùm per vocem Dei, voluntatem illius, per substantiam autem, istius voluntatis perfectionem intelligi tantùm negat. In promtu enim sunt plurima s. literarum loca, quæ disertè docent, per cognitionem Dei, & potissimùm & plærunque intelligendam esse cognitionem voluntatis ejus: & cavillus est dicere, vocem *Deus* non significare voluntatem Dei. Non significat, si vocem ipsam & literam spectes: significat autem, si usum illius in sacris literis spectes.

Per vocem Dei, voluntatem illius, per substantiam autem, voluntatis ipsius perfectionē intelligi.
1. Reg: 2. 12.
Esa: 1. 3.
Ierem: 2 8.
& 31. 34.
Ioan: 8. 55.
& 10. 14.
& 17. 25.

Non possum autem non digito monstrare Smiglecii inertiam in s. literis explicandis. Nam cùm ego doceo, hypostasin alicujus rei significare rei istius perfectionem & soliditatem, exemplis adductis ad eam rem accomodatis, quibus per initium hypostasis, fides nostra Christiana ob perfectionem suam appellatur, & hypostasis gloriationis, pro ipsa, vel magna gloriatione accipitur, nihil ille ad ista respondens, quæ per se satis manifesta & vera esse videntur, tantùm suas addit explicationes, easque ita jejunas, ut nullo modo approbari queant. Nam in loco Hebr: 1. v. 14. vulgatam secutus, per initium hypostasis intelligit substantiam ejus (nempe Christi) cùm tamen nec vox *ejus* in textu græco habeatur, nec, ut addatur, ullo modo necesse sit. Valdè enim eleganter per vocem hypostasis, vel initium hypostasis, fides Christiana intelligi potest, ut antè docuimus. Quæ verò Paulus scribit de hypostasi gloriationis, ea de constantia & subsistentia Corinthiorum interpretatur. Cùm nimis manifestum sit, Paulum de suæ gloriationis hypostasi agere. Sed ista nunc non examino amplius. Iam enim dixi non semel, Smiglecium in sophismatis conficiendis mul-

Ignorantia Smiglecii in sacris literis exponendis.

dis multis aliis collegis suis præstare: at in explicandis s. literis similem illis esse, & a quibusdam longè superari.

Iactat iterum catholicam omnium seculorum expositionem de naturali imagine substantiæ divinæ: Hinc agnosce, lector, infirmitatem sententiæ Smiglecianæ. Nam quod jactat & falsum est, & si verum esset, infirmum prorsus esset, ut antea docuimus.

Vana ad homines provocatio.

Præstabat autem, Smiglecium ad argumenta respondere, quàm vel Catholicam omnium seculorum explicationem jactare, vel pueriles nugas adversario objicere. Dicimus, Hebr. 1. Christum appellari imaginem hypostasis Dei, non patris. Deus autem, secundùm illos, non tantùm pater est, sed etiam Filius, & Spiritus sanctus. Vnde constat, eos non probare posse ex hoc loco, Christum esse ex substantia patris generatum, quod probare debent. Smiglecius, & antea dixerat, & nunc iterum tantùm hoc dicit, *Deum, qui filium habet, esse patrem. Cùm igitur is Deus, cujus substantiæ fit mentio, sit is, qui locutus est nobis in filio, consequens esse, hunc Deum esse patrem, quippe qui filium habeat.* Sed istud totum antea dilutum fuerat, & ostensum, tùm adversarios ipsos, per vocem Dei, præsertim cum articulo positam, totam suam Trinitatem intelligendam esse, asserere, tum falsò ex eo, quòd de Deo, qui per filium locutus sit, sermo est, colligi, Deum illum esse patrē. Potuit enim per filium alius etiam loqui, ex mente adversariorum, qui non esset pater.

Duo porrò argumenta jactat Smiglecius, quibus se probasse ait, Christum non dici imaginem ratione doctrinæ: Sed quia ad utrumq; bis in responsione priori respondi, quid opus est actum una cum Smiglecio agere? Summa est, locutiones esse improprias, ideoq; non necesse esse, ut omnes similitudinis partes æquè exprimantur. Christum, imaginem hypostasis Dei, dici, quatenus in eo expressa est perfecta Dei voluntas; eum, qui eam in illo expressit, Deum esse, quamquam hoc nihil ad rem faciat, sed ex accidente sit totum. Addo nunc, Christum tantùm imaginem Dei dici, quatenus ipse nobis Deū expressit: quomodo verò vel in quo eum expresserit, id non tam ex his vocibus, quàm aliunde colligendum esse. Deinde, aliis istud encomium non competere dictum etiam fuit, quia, quæ præstantissimo modo alicui cōveniunt, ea illi soli competere, jure dici possint. Hoc sensu Christus unus magister, & fundamentū, præter quod aliud poni nequeat, appellatur, cùm tamen & alii præter eum sint magistri & fundamentū, nempe Apostoli. Idem repetitionis vitium in sequentibus etiam apparet. Nam ut rectissimè a Statorio dictum fuerat, necesse esse, ut Christus sit visibilis, si imago Dei sit: ita ineptissimè a Smiglecio assertum fuit, dari e-

C. 24. *Smiglecius actū agit.*

Christ⁹ est imago Dei, non ob modum, quo Deum nobis expressit, sed tantùm eo, quòd Deum nobis expressit.

Cur Christus solus imago Dei dicatur.

 dari e-

dari etiam imagines invisibiles. Quis enim non videt, Statorium loqui de imagine, quæ sit talis nostri respectu. Iam quid ex imagine invisibili rei invisibilis commodi ad nos rediret? Addideram etiam, vocem visibilis a Statorio accipi censendam esse, pro eo quod cognosci possit, sive oculis sive animo, ut hinc appareret, quàm ineptè hîc animarum & angelorum mentionem fecisset Smiglecius, quasi scilicet & illi sint imagines Dei, licet invisibiles. Iam cùm Smiglecius, quod antea dixerat de anima & angelis, defendere cogitat ampliùs, rudem & ridiculum se nimis prodit. Nam de angelis ne verbum quidem addit, unde constet, eos esse Dei imaginem. Vnde apparet, aquam ei hæsisse. De anima autem tantùm docet, hominem creatum esse ad imaginem Dei. Quasi sana ratio non dictet, ista duo differre, esse imaginem alicuj⁹, & conditum esse ad ejusdem imaginem. Ait, *hominē creatum eße ad imaginem Dei, non respectu corporis, ergo animæ:* sed calvè. Cùm enim, hominem ad imaginem Dei creatum esse, dicitur, necesse est, considerari totam hominis substantiam. Anima autem non est tota hominis substantia: imò absq; suo corpore quasi nihil, quatenus nihil sentit, nihil agit, nedum ut sit imago Dei, ut asserit Smiglecius.

Nec angelos nec animam non esse imaginem Dei.

Sed habet argumentum pro se quod nunc quartò asscribo: *Constitiße id hactenus toti mundo.* Ego verò id & falsum vel saltem incertum, vel, si certum etiam sit, infirmum esse, quartò rescribo. Imaginem Dei in potestate, quam homini super omnia a se creata concessit, consistere, negare non potuit. Cur igitur aliud de ista imagine fingit? Errat autem, dum animam iterum primariam in homine Dei imaginem constituit. Licet enim sine anima intelligente & ratione imago illa consistere nequeat: falsò tamen ipsa, imago, eaq; primaria, esse dicitur. Nam & sine corpore imago illa esse nequit, nec tamen corpus ipsa imago dici meretur.

Smiglecius ad hominum autoritatem quartò recurrit.

Illud etiam non repeto nec exagito ampliùs, (tædet enim me nimium hujus laboris, & tædebit, ut puto, magis lectorem) quod de visione essentiæ Dei in hac vita per fidem & in altera disserit. Et quantumvis indignetur Smiglecius, quòd dicam, non esse vel possibilem vel necessariam in hac vita essentiæ Dei visionem: id tamen semper verissimum manebit. Nam, quòd ait ex Paulo, *nos nunc videre per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem,* non attendit, id de aliis rebus, quàm de essentia Dei intelligi posse & debere, nempe de mysteriis ad cognoscendum Deum pertinentibus, ut verba ipsa præcedentia comprobant, in quibus de imperfecta rerum scientia agitur, & quæ his opponuntur. Præterea aliud est, credere essentiam Dei hoc est, De-

Quid Paulus 1. Cor: 13. dicat.

est, Deum esse,& aliud est, id, de quo nobis sermo est. Nam & ante Christum credebant homines Deum esse,& tamen Christus demum imago hypostasis Dei dicitur. Credere Deum esse, & nosse ejus voluntatem, differunt.

Miror etiam, Smiglecium, *hoc multò magis intolerandum esse*, dicere, quod addo, an in altera vita visibilis sit futura essentia Dei, inter Theologos non definitum esse,& ad id, quod semel dixerat, comprobandum afferre loca Matt.5.8. & 1. Ioh.3. 2. (Smiglecius habet. 1. Cor. 3.2.) Illũ nescire, quod affirmo de Theologis, credere vix possum. Iam si scit, frustra me accusat, Testis est ejus, quod dico, inter alios, Beccanus Iesuita, in libro suo, *de Deo & attributis ejus*, non ita pridem edito. Vnde quam benè Iesuitæ cum Iesuita conveniat, iterum atq; iterũ videre potest, cui veritas cordi est. Testimonia a Smiglecio allata examinare non est necesse. Nihil enim definio in hac re tam difficili: sed Smiglecium cum istis doctoribus, qui diversum ab eo sentiunt, quosque illa testimonia non ignorasse, plusquam verisimile est, committo. Quæstionem de visione essentiæ Dei in vita futura difficilem esse.

Christum dixisse, *qui videt me, videt & patrem meum*, propter unitatẽ naturæ, quàm sit falsum, dici vix potest. Ibidẽ enim Christus, se explicans, verba & miracula sua allegat, ob quæ se in patre & patrem in se esse, & ita se viso patrem videri affirmat. Iam dum illud idem c. 10. 38. comprobat, actũ agit. Iam enim antea, in prioribus libris refutandis contrarium satis fusè docuimus. Prodit autem iterum suam in Theologia ignorantiam, dum, Deum videre, negat esse cognoscere ejus voluntatẽ, cùm tamẽ ipsa res loquatur, nullo alio sensu istam phrasin accipi posse. Quid enim aliud est, ut ante etiam docuimus, *Qui malefacit Deum non vidit*, vel ut nunc hoc addam, *qui peccat, non vidit eum, nec cognovit eum*, quàm eum, qui malefacit vel peccat, non cognovisse Dei voluntatem. Nec enim fieri potest, ut is Deo non obediat, qui revera cognovit, quanta merces eos, qui non peccant, hoc est, in peccato non hærent, maneat. Hoc autem est cognoscere Dei voluntatem. Quod secus se habet in cognitione essentiæ Dei, qualem hìc statuit Smiglecius. Nec enim ista cognitio, quòd Deus essentiam divinam habeat, efficere perfectè potest, ut homo non peccet. Ex quo cõstat, falsum esse, quod ait Smiglecius, *primum quod de patre cognoscendum est, esse ipsius naturam divinam*, primũ, inquam, ad efficiendum in nobis fidem & comparandam salutem, vel respectu nostri. Nec quicquam huc faciunt verba Christi: *Hæc est vita æterna, ut cognoscant, te solum verum Deum.* Ibi enim non de cognitione ejus, quod Deus sit, agitur; nec exprimitur, quid in Deo cognosci debeat, sed tantùm is describitur & extollitur, qui cognosci debet, hoc est, pater. Deum videre, esse cognoscere ejus voluntatem. *Error Smiglecii* Sensus loci Ioan. 17. explicatur.

ter. Describitur autem & extollitur per ista verba, *solum verum Deum*, hoc est, qui solus est perfectissimo modo Deus. De quo plura scripsimus in refutatione libelli Smigleciani: *Verbum caro factum*. Et sanè ipsa res loquitur. Nam de Deo, qui pater est, noverant Iudæi omnes, quòd solus esset verus Deus, nec tamen vitam æternam habere poterant. *Venit enim filius Dei*, ut idem Ioannes ait, *& dedit nobis mentem, ut agnosceremus illum verum Deum*, quod non nisi de cognitione voluntatis divinæ intelligendum esse, ipsa luce clarius est.

1. Ioan: 5. 20.

Sed nunc iterum novam pugnam movet Smiglecius. Nam dum dico, nullibi in scriptura legi, quòd beati nunc aliquid videant, nisi in schola Pontificia, & consequenter, Christum non esse imaginem beatorum, quod satis ridiculè affirmat Smiglecius, non tantum errorem, sed etiam atheismum mihi audaculus objectare non dubitat, *qui animas hominum una cùm corpore perire, & ante resurrectionem non esse, asseram*. Sed calumniatur me, suo more, Smigleci[us]. Nusquam enim dixi, animas perire & non esse, ante resurrectionem. Credo enim, eas ad Deum redire, qui eas dedit. Quod autem nego, est, animas post istum ad Deum reditum, & apud eum existentiam, aliquid vel agere vel aliqua frui voluptate. Hanc enim non animæ, sed homini promissam esse, sacræ testantur literæ. Anima autem pars tantùm hominis est, & sine corpore nihil agere potest.

Non animæ soli, sed homini promissa Dei serviunt.

Sed habet locum scripturæ Smiglecius, quo probare nititur, animas justorum, solutas corpore, Deum in cœlo videre. Age igitur expendamus illum. Is est. 2. Cor. 5. ubi Paulus sic ait: *Confidentes igitur & scientes, quoniam dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino (per fidem enim ambulamus & non per speciem) confidimus autem & probamus magis peregrinari a corpore, & præsentes esse ad dominum*. Sed hîc duas committit fallacias. Prior est, quòd, quæ Paulus de se toto loquitur, ea ille ad animas tantùm refert. Altera est, quòd, quæ Paulus indefinitè, non expresso tempore istius apud Dominum præsentiæ & habitationis, dicit, ea Smiglecius ad tempus, quod statim mortem consequitur, restringit. Nec quicquam valet, quod ait: *Tunc nos non peregrinaturos a corpore, sed corpora resumturos*. Paulum enim per corpus intelligere mortale hoc corpus, nimis manifestum est ex v. 1. hujus capitis, ubi ait, *postquam terrestris nostra domus habitaculi dissolvetur, ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam æternam, in cœlis*. In resurrectione autem non hæc corpora nos resumturos, sed alia accepturos, alibi a nobis contra ipsum Smiglecium demonstratum est.

Locus 2. Cor. 5. explicatur

In refutatione duorum de erroribus Arianorum librorum.

Sed, quid amplius ex his verbis doceat, Smiglecius attendamus

Non po-

Non potest dici, ait, *nos cupere post resurrectionem demum præsentes esse apud Dominum. Quorsum enim vellemus in eum finem peregrinari a corpore, si postquam a corpore peregrinati fuerimus, id consequi non possemus: imò nullo modo tunc ambularemus ad dominum, nec per fidem, nec per speciem, quia simpliciter non essemus.* Sed non expendit Smiglecius, Paulum jure dicere potuisse, se malle ex corpore peregrinari, & præsentem esse, vel habitatum ire ad Dominum, duplici de caussa. Primùm enim, per istam ex corpore peregrinationem, liber erat futurus ab isto afflictionum onere, ob quas v.2. dixerat, se in hoc tabernaculo ingemiscere, cupiens habitatione sua, quæ ex cælis sit, super indui, hoc est, cupiens non mori, sed ex vivo mortali, immortalem fieri, quod iis fidelibus, quos Christus vivos reperiet, continget. Deinde, per istam ex corpore peregrinationem, vel ea interveniente, certus erat futurus de sua salute. Omnes enim qui in hoc seculo adhuc vivunt, perire possunt: at qui officio suo ad finem usque vitæ functi sunt, jam extra istam aleam positi sunt, & licèt nondum reipsa apud Dominnm habitent, tamen perinde est, ac si jam habitarent, ob rei immutabilitatem. Itaque videre potest Smiglecius, quare præstet ex corpore peregrinari, quàm in corpore habitare, licèt in corpore habitans, per fidem ambulet. Addo quòd Pauli verba hoc in loco de re loquuntur, quæ tunc prorsus erat impossibilis, quantumvis desiderabilis. Mox enim addit: *Ideo contendimus, sive præsentes, (vel incolentes,) sive migrantes, ut ei bene placeamus.* Verba autem, *sive præsentes, sive migrantes*, ita intelligenda esse, sive in corpore hoc maneamus ad Christi adventum, (quod est impossibile) sive ante moriamur, quàm Christus venturus est, vel hinc constat, quòd nullus locus erit, post migrationem ex hac vita, studio Deo sese probandi, & sensus est: Mallem quidem, si per me staret, statim mori, & ita apud Dominum habitare, hoc est, ex mortali immortalis fieri: (hoc enim verba superindui, non expoliari sed supervestiri, quibus ante usus fuerat v: 2. & 4. indicant) sed quia hoc fieri non potest, ad omnia sum paratus, & studeo, ut Domino me probem, quomodocunque tandem vivere & mori mihi continget.

Cur Paulus cupierit ex corpore peregrinari.

Post mortem demum homines extra metum perditionis perfectè esse.

Sensus loci 2. Cor. 5.

Porrò, dum tam ægrè fert de schola Pontificia hoc dici, quòd in ea impune dicatur, omnia quantumvis erronea, *& pistrinum nobis Racoviense, imò haram immundam*, objicit, dico ego, Smiglecium esse impatientem nimis & fastuosum, adeoque, quid dicat, non expendentem. Nonné enim erroribus obnoxia est schola Pontificia? Nonné errores istius scholæ annotârunt, qui magis sunt sobrii, recentiores Ecclesiæ Pontificiæ Doctores, & præsertim Iesuitæ, collegæ Smiglecii?

Smiglecius impatiens veræ castigationis.

glecii? Quid verò opus erat cum tanto ſcōmate opponere Racoviam, cùm id una nobiscum ii dicant, & rationibus invictis hactenus demonſtrent, qui nulla re cedunt Pontificiis, imò in multis eosdem ſuperant? Quanquam nihil impedit, quominus etiam e Racovia id prodeat, quod & ſcholam Pontificiam & alios omnes erudire, & ad veritatis cognitionem deducere poſſit. Ad nullam enim hominum ſocietatem Deus ſua dona alligavit, & quandoque eligit ea, quæ non ſunt, ut ea, quæ ſunt, pudefaciat & aboleat, ne quis in carne glorietur, ſed ut, qui gloriatur, in Domino glorietur. Quod de confeſſione noſtra, quam, inter alia loca, in oppido etiam Racovia Deus prædicari voluit, an dici poſſit, poſterior ætas rectiùs fortaſſe, quàm noſtra, judicabit.

Dei dona ad loca non eſſe alligata.

Quæ verò occaſione hujus ſui convitii effutiit Smiglecius, ea ipſa multis modis pontificiam prodūt ſcholam, & Smiglecii in quidvis pronunciando licentiā, ne dicam levitatē. Cùm enim Apoſtolica extent ſcripta, parum eſt inveſtigare, quid uſquam ad ab hinc ipſorum Apoſtolorum tempora alii de ſcriptis eorum ſenſerint. Potuerunt enim non tantum illi, qui poſt Apoſtolos, ſed qui, ipſis adhuc ſuperſtitibus, vixerunt, ſenſum alienum illis attribuere: ſed neceſſe eſt, ſola Apoſtolica ſcripta pro norma fidei habere, & ſenſum illorum ex illis ipſis petere, ut alibi a nobis diſputatum fuit. Quid verò omnes fideles de ſcriptis Apoſtolicis ſenſerint, qui aſſerere non dubitat, is hoc ipſo ſe omnibus jure ridendum propinat. Nam poſt tempora Apoſtolorum usq; ad quartum ſeculum, quid factum revera ſit, non conſtat exactè, ne dum ut de omnium fidelium ſenſu ſacrarum literarum aliquid compertum habere poſſimus. Quòd verò nemini, privato judicio, ex ſcripturis colligere liceat, quod non ſit cum communi fidelium, hoc eſt, Pontificiorum doctrina conſentiens, id & falſum eſt. ipſimet enim recentiſſimi ſcriptores multa talia ſcripſerunt, & ex ſcripturis collegerunt, quæ fatentur a nemine ſcripta, & ab omnium ſententiis diſſidere, quod nuper ex Maldonato Ieſuita comprobavimus; aut, ſi verum ſit, ſervitutis in religione intolerandę indicium eſt. Quid enim? Núm ſecula iſta priora poſterioribus omnia eripuerunt, ut præter illa nihil his ſapere liceat? Certè id nec ratio ſana, nec ſacræ literæ aut permittunt aut ſuadent. Ego verò credo, noſtra ſecula tales viros produxiſſe, qui cum omnibus, qui unquam fuere, viris doctis, jure comparari ſaltem poſſunt, ut quàm modeſtiſſimè loquar.

Senſum ſcriptorum Apoſtolicorum ex ſcriptis ipſorum petendū.

Licere ex ſcriptura colligere, quod ab aliorum ſententia diſſerat.

Sed jam, ad rem redeundo, jure dictum a noſtris eſſe iterum oſtendo, Chriſtum naturalem filium Dei dici poſſe, quia natus ſit Dei filius,

filius, idque cap: primo superiori demonstratum est fusè, ita ut nulla opus sit hîc vel repetitione vel defensione. Smiglecius enim, præter ea, quæ antea dixerat, nihil prorsus dicit. Novam æquivocationem nobis objicit: ipsummet verò eâdem laborare, antea docuimus. Potest scilicet id, cum quo quis nascitur, diverso respectu appellari & naturale & gratuitum, & ita potest aliquis diverso respectu & naturalis & adoptivus appellari filius. Quatenus unà cum illius existentia aliquid ipsi datum est, naturale: quatenus datum vel donatum est, gratuitum dici potest, ut in angelis videmus. Illi enim, quia ab ipsa creatione filii Dei fuerunt, creati filii: quia tamen idipsum, quod creati sunt, ex gratia Dei profectū fuit, ex gratia tales esse dici debet.

Naturale & gratuitum aliquid dici posse, diverso respectu.

Sed, hoc misso, videamus, quid de primo homine Smiglecius dicat. Cùm ego dico, veterem & fœtidam fabulam esse, statuere, hominem primùm in sua creatione tam sanctitatem, quàm alia dona supernaturalia habuisse, primùm mihi autoritatem patrum jam quintò in uno capite opponit Smiglecius. Sed istud argumentum illos obligat, qui, præter autoritatem Apostolicam, in religione aliam approbant. Nam & ego, dum audio, contra doctrinam Apostolicam aliquid dici a nescio quo, jure illud cogitare possum, Sus Minervam, quod de me dicit Smiglecius, idq; tantò rectiùs, quantò inferiores sunt me Patres, collati cum Apostolis. Apostoli enim patrum & nostri sunt magistri & fundamentum: Patres verò unà nobiscum, discipuli sunt Apostolorum & super eos ædificati. Rationes prome, Smigleci, si hodie aliquid efficere velis, vel tuas vel istorum patrum, aliàs nihil proficis.

Smiglecius humanam autoritatem quintò objicit.

Ait igitur, *nullam rationem eße, cur, cùm de angelis sentiam, eos in sanctitate & donis supernaturalibus creatos eße, id homini primo negem.* Sed hoc novum est, Smigleci, ab eo, qui aliquid neget, argumenta petere: tu potiùs, quod sentis, proba. Sic igitur procedit: *Quemadmodum ad Deum, cujus opera perfecta sunt, pertinebat angelos in optimo statu condere, eisque divina sua & supernaturalia dona communicare, ita & de hominis creatione idem existimare, par est.* Sed quid hîc a Smiglecio dicitur, quòd non sit partim falsum, partim admodum infirmum & futile? Falsum est, opera Dei esse perfecta, scilicet omnia. Ad multa enim multum accedere potest. Iam si non omnia, sed quædam sint perfecta, quid hoc ad propositum? Inquirendum enim erit, an opus creationis primi hominis opus Dei perfectum fuerit necné, & ita principium petetur. Falsum est, idq; duplici de caussa, ad Deum pertinuisse, angelos in optimo statu condere. Nam, qui in optimo statu conditi sunt, illi nec peccare nec perire possunt, quod bonæ angelo-

Non omnia opera Dei fuisse perfecta absolutè.

Ad Deum non pertinuisse, angelos in optimo statu condere.

rum parti accidiſſe legimus. Ad Deum autem pertinuiſſe ita facere, falſum ſimul & inſulſum, imò quodammodo blaſphemum eſt, quaſi ſcilicet Deus teneatur omnia talia facere, qualis ipſe eſt. Futile autem eſt,tum argumentum tum ipſa concluſio. Quid enim cogit,quo minùs Deus alio modo creârit homines, quàm angelos? Hos cum donis naturalibus, ut pote ſibi in natura quodammodo ſimiles: illos verò absque illis donis, ut pote in natura ſibi prorſus diſſimiles,& ſimiles non futuros, priusquam ſuam fidem Deo probarent. Iam cùm aliquid certi definiendum eſt, quomodo non futile cenſendum eſt, ſi quis dicat, *ita exiſtimare,par eſſe?* Ita ſcilicet,cùm tantopere ſe & ſuos jactat Smiglecius, quod conſtanter affirmaret, non habuit.

Aliter angelos, aliter homines creatos eſſe.

Et ſanè, quæ pro argumentis affert,produnt rei vanitatem. Ait, *hominem conditum eſſe rectum, virtute veſtitum & inexterminabilem.* Sed quod ad primum locum attinet, quis non videt, quantum differant,rectum eſſe conditum,& conditum cùm ſanctitate & aliis donis ſupernaturalibus? Nam & is rectus eſſe dici poteſt, qui ſimplex eſt & expers omnis mali. Et,hunc ſenſum eſſe iſtorum verborum,ſequentia,quæ his opponuntur, indicant, quæ ſic habent: *& ipſe ſe infinitis miſcuit quæſtionibus*,vel,ut Vatablus ea tranſtulit: *ipſi etiam plures jam facti, cogitationes vanas perſecuti ſunt.* Vt igitur hæc verba poſteriora aſtutiam & calliditatem,ſic priora ſimplicitatem & infantilem quandam innocentiam ſignificant. Qui verò ſimplex & innocens tantùm eſt, is, nec ſanctitate nec donis ſuper naturalibus præditus eſſe, dici poteſt, ut in infantibus videre eſt, quos ſimplices & expertes mali vel innocentes,jure appellamus:at ſanctos,quoad mores ſcilicet,nemo jure appellare poteſt, cùm hæc ſanctitas non niſi actionibus comparetur.

Rectum & cũ ſanctitate conditum eſſe,differunt.

Rectus eſt,qui eſt innocens.

Alter locus, præterquam quod ex Apocrypho libro ſumtus, adeoque ad dogma in religione confirmandum prorſus inſufficiens eſt, nihil etiam ad rem propoſitam facit. Conſtat enim verba illa, *Et veſtivit eos fortitudine* (ſi textus græcus inſpiciatur) aliud nihil eſſe, quàm quòd Deus, ut ibidem dicitur, dederit hominibus poteſtatem eorum, quæ in terra ſunt, quod idem etiam prolixis verbis deinceps repetitur, dum ait, *& ad imaginem ſuam fecit illos,poſuit timorem illius in omni carne, ut dominaretur beſtiis & volatilibus.* Hoc verò quid cum ſanctitate & donis ſuper naturalibus, qualia hic intelligimus, commune habet. cùm nihil vetet, quominùs & ille, qui nulla ſanctitate, nullis donis ſupernaturalibus præditus eſt, aliis rebus creatis præficiatur,ut hodie tales rerum potiri videmus terreſtrium.Ad hoc enim præſtandum ſola ratio ſufficit, quæ non eſt ex numero donorum ſupernaturalium.

Locus Eccleſ: explicatur.

Ad poteſtatem ſuper creata, non neceſſe eſſe ſanctitate, ſed ratione.

Tertius locus, qui similiter ex Apocrypho adductus, & in vulgata versione, per vocem, inexterminabilem, conversus est, ex græco converti potest, *in integritate*, vel *incorruptione*: Et ut alia huc pertinentia omittam, de quibus a nostris alibi accuratè & fusè disputatum est, tantundem valent & ita reddi possunt, *ad integritatem*, vel *ad immortalitatem*, quod etiam Vatablus vidit. Quantum verò differant, creatum esse ad immortalitatem, & creatum esse immortalem, nemo sapiens non intelligit. Non immortalē enim eum esse prę supponitur, qui ad immortalitatem creatur. Vnde constat, nullum hic donum supernaturale, quod Adamo in ipsa creatione contigerit, indicari.

Aliud est creatū esse ad immortalitatem, & creatū esse immortalem.

Sed audiamus alia Smiglecii argumenta, quibus fabulam, veterem a me & fœtidam appellatam, defendit. *Producit igitur originalem iustitiam, eamque in primo homine fuiße*, probat, *eo quòd cum ambo nudi eßent, non erubescerent, deinde verò post peccatum agnoverint, se nudos eße*. Ridiculus sanè est Smiglecius, vel potius a Deo excęcatus, qui tali ratione, istius sententiæ, de sanctitate & donis supernaturalibus primo homini in creatione donatis, patrocinium agat. Quid enim cognitio nuditatis cum justitia habet commune? cum justitia in actionibus versetur, non verò in cognitione vel θεωρίᾳ? Porrò quænám est ista magna sapientia, agnoscere, se nudum esse? Nonné hinc manifestè colligitur Adamum, ante peccatum, instar infantis vel pueri fuisse, qui, quid esset nudum esse, ex seipso, antequam de fructus arboris scientiæ boni & mali comederet, scire non potuerit? Porrò quid est, quod ait Smiglecius, *non habuiße primos parentem carnem rebellem, sed subiectam rationi dono iustitiæ originalis*, cùm contrarium prorsus testentur sacræ literæ? Nam qui carnem habet subjectam rationi, is non peccat, cùm peccati nulla alia causa sit, quàm rebellio carnis adversus spiritum. Primi autem parentes peccârunt idque in re ad servandum longè facillima. Vnde apparet, carnem non tantùm rebellem fuisse rationi, sed etiam eandem vicisse.

Ex cognitione malè infertur sanctitas.

Primorum parentum carnem rebellem fuisse spiritui.

Quæ deinceps de gloria & honore, quo Deus hominem in creatione exornavit, disserit, in iis nimis latè evagatur. Gloria enim & honor ille, quo Deus hominem coronavit, ibidem expressa sunt, quòd scilicet eum constituerit super omnia opera sua. Quod verò Angelis non inferior fuerit homo, nisi modicum, hoc ipsum Smiglecium refutat. Nam non inferior, quantumvis paululum, sed par Angelis fuisset homo, si immortalis creatus fuisset. Iam quid sit illud, quòd homo non inferior fuerit Angelis, nisi modicùm, quamvis dicere non tenear, dicam tamen. Angeli creati sunt immortales, vel cū immor-

In quo gloria Adami fuerit.

Cur homo dicatur, paulò minor Angelis.

immortalitate, sed tali, in qua & labi, adeoque perire, vel saltem conspectu Dei privari potuerunt, ut exemplum Diaboli & angelorum ejus ostendit: Homines creati sunt mortales vel cum mortalitate, sed tali, quam immortalitas consecutura erat, si Deo obedirent, eaque talis, qualis non fuit data Angelis in creatione, sed qualis est ipsius creatoris & Christi. Creatum verò esse cum tali immortalitate, quam mors vel rejectio a facie Dei cõsequi potest: & creatum esse cum tali mortalitate, quam ex decreto divino immortalitas, eaque talis quæ nulli mutationi obnoxia est, non multum sanè a se distare, quivis non oscitans rerum æstimator, per se videre potest. Quanquam verba ista, *paulò minus*, de tempore etiam intelligi possunt, quo homo præ Angelis minutus fuit, ut autor epistolæ ad Hebræos docet, qui ea per βραχύ τι bis expressit. Vnde tamen videre est, magnam quidẽ fuisse hominis præstantiam, quatenus eum Deus ratione præ aliis omnibus creaturis donavit, & dominum operum suorum constituit: at, sanctitatem illi in creatione donatam, vel dona supernaturalia concessa fuisse, non nisi imperitè affirmari.

Nihil absurdi in eo esse, si Christus dicatur Filius Dei propter similitudinem cum Deo, ostenditur.

CAPUT VIII.

IMPONIT hîc iterum Smiglecius, ut solet, verborum ambiguitate, quam in priori nostra responsione fusè deteximus. Nos enim & naturalem filium Dei Christum esse confitemur, quia nunquam non fuit filius Dei ab eo tempore, quo existere cepit; adoptivum verò etiã appellari posse credimus, quia non semper talis fuerit, qualis postea factus est, quem Metaphoricum appellare libuit Smiglecio, ut verbis, quod reipsa præstari nequit, efficeret, hoc est, veritatem divinam exosam redderet. Sed frustra. Cùm enim Christus filius Dei talis esse nequeat, qualem eum esse credit Smiglecius, nempe generatus ex substantia Dei, necesse est, eum per similitudinem cum Deo potissimùm Dei filium esse. Creatura enim, ob nullam aliam causam, filius Dei appellari meretur, nisi ob similitudinem cum Deo, quæ quantò major est, tantò etiam perfectior filius aliquis Dei est. Smigleci⁹, verbositate mecum pugnaturus, primùm ait, *falsum inprimis me aßerere, nuspiam in scripturis legi, Christum eße filium Dei metaphoricum, aut de substantia Dei non genitum.* Quæ verba delirantis esse videntur. Nec enim nos Christum metaphoricum Dei filium appellamus:

Christum ob similitudinem cum Deo, Dei filium esse necessariò.

Smiglecius deliria scribit.

pellamus: sed Smiglecius est, qui eum sic appellandum esse censet, siquidem id, quod nos de caussis filiationis ejus affirmamus, verum sit. Non necesse est igitur, ut asseramus, Christum uspiam filium Dei appellari metaphoricum: sed satis est, ostendisse, causas, ob quas Christum filium Dei esse concedimus, s. literis consentaneas esse. Multò magis autem delirat, dum ait, *me falsum asserere, nuspiam in scripturis legi, Christum de substantia Dei non genitum*. Ergo etiam de nugis istis vel cogitavit spiritus, cuius instinctu conscriptæ sunt sacræ literę, ut scribere opus esset, filium Dei non esse genitum ex substantia Dei? Pudeat istius pronunciati Smiglecium.

An Christ⁹, propter similitudinem cum Deo, filius Dei dicatur, videbimus paulò infrà. Nunc dico, falsò ex eo, si sit propter similitudinem Dei filius, Christus, colligere Smiglecium, *eum non fore verum & proprium Dei filium*, ob causam paulò ante expositam & centies alibi repetitam, quòd scilicet ex substantia Dei filium generari unum sit ex impossibilibus. Hoc igitur potiùs agat Smiglecius, ut vel in scripturis vel ex scripturis ostendat, Deum ex substantia sua filium genuisse, & nos ideo Christum filium Dei verum appellari posse, & proprium appellatum esse, facilè credemus. Hoc quamdiu non facit, frustra est, ex eo, quòd Christus verus filius Dei appellari potest, & proprius Dei filius est, colligere, eum esse ex substantia Dei genitum; & porrò restat, ut eo modo Christus sit verus ac proprius Dei filius, quo verus & proprius filius aliquis esse pôtest ejus, qui nòn ex substantia generat vel generare potest. Is autem est potissimùm, quòd simillimus Deo effectus est. Hoc enim modo & non alio Deus generare potest & generat.

Eum, qui ob similitudinem cum Deo, Dei filius est, verum & proprium Dei filium esse posse.

Iam, quæ de nostra ex Deo generatione disserit Smiglecius, ea vel prorsus sunt impertinentia. quis enim nescit, nostram spiritualem generationem, esse non propriam, hoc est, non ex natura Dei, sed, ut ille ait, metaphoricam, ut ea de re discursum instituerit Smiglecius? vel certe causam Smiglecii evertunt. Vt enim Deus alios homines generat filios spiritualiter: sic etiam Christum eum genuisse certum est, spiritualiter, non verò naturaliter, vel ex substantia sua. De hac enim generatione nihil testantur sacræ literæ. Quanquam tanta est, inter generationem nostri & Christi spiritualem differentia, ut meritò Christus nobis omnibus præponi & quodammodo etiam opponi possit. In nobis enim omnib⁹ ad regenerationē spiritualem requiritur mentis & voluntatis reformatio: In Christo verò neutrum horum necessarium erat. Ab ipsa enim ineunte ætate, plenum vel repletum eum fuisse legimus spiritu & sapientia, ideoque non reformatione aut

Differentia inter Christi & nostrā spiritualem generationem.

one aut renovatione, sed sola istorum omnium unctione & incremento opus habuit.

Quæ porrò, chordâ eâdem oberrans, iterat hîc Smigleci⁹ de eo, *quòd verus filius is tantùm sit, qui ex substantia patris est genitus*, nolo ampliùs refutare. Dico autem nimis iterum ineptire Smiglecium, dum *me nec scripturæ testimonio, nec ulla verisimilitudine inferre posse*, ait, *nos fideles esse veros Dei filios*. Nonné enim & consecutio & testimonium est, si fideles dicantur, non ex sanguinibus nec ex voluntate viri, aut voluntate carnis, sed ex Deo nati? Vt enim natum esse ex homine, est, esse verum hominis filium: ita natum esse ex Deo, erit, esse verum Dei filium? Iam quòd alio modo homo ex homine generatur, alio homo ex Deo, id ex accidente est, & non potest efficere, quominùs generatio sit vera.

Fideles esse veros Dei filios.

Porrò aut non intellexit Smiglecius, quomodo & cur ego negem, fideles esse adoptivos propriè, aut dolo mecum agit, ut veritatem supprimat. Ego enim dico, nos ideo impropriè adoptivos esse, quia ex Deo dicimur nati, & naturæ divinæ participes sumus futuri, quod de propriè adoptivis nusquam dicitur. Vnde constat, quàm vel dolosè dictum sit a Smiglecio, *nihil nobis de esse, quod ad propriam adoptionis rationem spectet*. Nam etiamsi nihil nobis desit, si plùs in nobis sit, quàm in illis, qui proprie adoptivi filii dicuntur, nonné pariter, impropriè vocem illam de nobis prædicari, dici potest, & multò magis, quàm si aliquid nobis, quod ad adoptionem pertinet, desit? Alibi hunc errorem a se confutatum esse, ait: Sed quia locum non indicavit, ipse negligentiæ accusandis est, ego verò excusationem mereor, quòd ad ea non respondeam.

Cur homines sint impropriè adoptivi Dei filii.

Iam cùm *falsum esse ait, nos futuros Deo similes in natura*, prodit iterum, quantum profecerit in vera Theologia. Nonné enim disertè Petrus ait, *nobis donata esse promissa maxima & pretiosa, ut per ea efficiamur participes divinæ naturæ?* Quod etiamsi explicare ampliùs quis nequeat, satis superque est ad id, quod falsum esse ait Smiglecius, demonstrandum. Frivolum verò est, quod ait, *nos in vita futura habituros corpora, Deum vero corpus non habere*. Vox enim corpus, cùm de spirituali corpore prædicatur, pro substantia tantum accipitur, quo sensu etiam angeli corpora habere, dici potest, & ipse Christus habere dicitur, etiamsi constet, eum factum esse spiritum vivificantem, de quo infrà plura. Iam & illud leviùs est, quàm ut rem tantam conficere possit, quod Paulus ait, *hoc corpus induturũ immortalitatem*. Quis enim non videt, verba illa impropriè accipienda esse, ut scilicet id indutio appelletur, quando, loco corporis mortalis, dabitur im-

Fideles similes Deo futuros natura in futura vita.
2. Pet: 1, 4.

Vocem *corporis*, substantiam significare.

Induere immortalitatem, est, loco mortalis, fieri immortalem.

tur immortale. Qua de re extat Ecclesiarum nostrarum liber satis prolixus non ita pridem in lucem editus: *De statu primi hominis ante lapsum.* Est autem, quod nobis gratulemur, fateri tandem Smiglecium, *Christum appellari posse solum, verum & proprium Dei filium, propter excellentiam.* Nam quòd addit, *illum tamen propterea non fore verum filium, sed singulari quadam ratione adoptivum*, hoc est, verbis rem obscurare velle. Ideo enim Christus verus est filius Dei, quia singulari, vel singularissima ratione est adoptivus (impropriè & ex sensu scripturæ voce hac accepta) Dei filius. Reliqua non persequor. Sunt enim antè a nobis tractata omnia, quomodo scilicet Christus, simili nobiscum modo, certo respectu, & dissimili genitus sit, & quòd ex substantia Dei nemo generari possit. Illud nunc addo, injuriâ Smiglecium, ad obtinendum, quod asserit, Christum scilicet appellari in sacris literis verum Dei filium, tantoperè extollere vulgatam versionem, & eam omnibus græcis codicibus anteferre. Quidvis enim potiùs de quavis versione statuendum est, quàm aliquid adversùs consensum omnium exemplarium græcorum admittendum.

Smiglecius ipsemet se refutat.

Injuriâ vulgatam versionem omnibus Græcis exemplaribus opponi.

Christum ob similitudinem cum Deo, Filium Dei dici, ampliùs ostenditur.

CAPUT IX.

PRIMUM eandem recinit Smigle:, quàm modo cecinerat, cantilenam, *quòd non possit Christ[9] verus esse Dei fili[9], si ob similitudinem cùm Deo esset Dei filius:* Sed istud jam refutatum est. Deinde prolixè docere nititur, *nos ob solam charitatem filios Dei appellari, ideoq; falsas esse causas, quas nos filiationis Christi enumeremus quatuor, sanctitatem, potestatem, sapientiam & immortalitatem.* Sed hîc hæret Smiglecius, & errores atq; fallacias crassas effutit. Primùm enim falsum est, homines ob solam charitatem Dei filios appellari, nec id ullo testimonio comprobare Smiglecius potuit. Nec enim ex eo, quòd is, qui charitate præditus est, filius Dei est, sequitur, ob id solum eum talem esse. Pacifici filii Dei, teste Christo, vocabuntur, hoc est, erunt: nec tamen ob id solum, quod pacifici sint, ut ibidem exprimitur, dum multa alia ab iis exiguntur, qui ad istam filiationem divinam, vel salutem æternam (quod idem est) aspirant. Imò, contra hoc audax & Theologo indignum pronunciatum, rectiùs dici potest, solam fidem efficere Dei filios, in hac vita. Quia scilicet fides sit causa charitatis necessaria. De

Non ob solã charitatem homines esse Dei filios. Matth: 5. 9.

Solam fidem efficere Dei filios.

charitate autem id dicitur, per modum loquendi figuratum, quia scilicet charitas illa, qualem nempe Christus præcipit, non detur absq; fide, & effectum sit fidei. Expendat, qui velit, cur isti, qui cap: 11. ad Hebræos recensentur, sancti appellentur, adeoq; filii Dei appellari possint. Certè præter fidem, cujus in singulis ferè versiculis fit mentio, inveniet nihil.

In sanctitate cotineri charitatē.

Deinde nonne prorsus otiosum est totum, quod hîc differitur? cùm inter ista quatuor, quæ a nobis enumerantur, unum sit, quod non tantùm charitati æquipollet, sed longè eandem superat, nempe sanctitas. In sanctitate enim contineri charitatem, ut speciem in genere, quis nescit? Iam si ob charitatem aliquis filius Dei dici potest, poterit etiam, & multò magis ob sanctitatem; & sic apparet error crassus Smiglecii, qui, ob sanctitatem aliquem filium Dei appellari posse, negat. Denique extra oleas vagatur Smiglecius, dum de eo disserit, quod nos Dei filios constituat. Nunc enim de eo disputatur, cur Christus Dei filius sit. Non est autem necesse, nos ob easdem causas prorsus, esse filios Dei, ob quas Christus est filius Dei. Nos enim homines, ut hanc rem disertè pandam, filii Dei sumus, hîc ob fidem in Christum, & olim futuri sumus ob immortalitatem & hæreditatem regni cælestis. Et hæc duo duplicem etiam filiorum Dei essentiam constituunt. Christus verò præter fidem in Deum, in qua sanctitas illius etiam consistebat, filius Dei fuit ob sapientiam & potestatem merè divinam, & nunc est, non tantùm ob immortalitatem, sed etiam ob supremam post Deum in omnia potentiam. De quo antea etiam dictum est.

Cur homines sint Dei filii.

Cur Christus sit Dei filius.

Error crassus Smiglecii.

Graviter autem hîc iterum impingit in Theologiam Smiglecius, *cùm fidem etiam & spem sine charitate nihil esse*, pronunciare non veretur, quo vix aliquid rudius dici potest, cùm, ut suprà indicatum fuit, charitas sine fide nulla esse possit, & omnis charitatis causa sit efficiens fides & spes. Et certè Paulo ipsi adversatur Smiglecius, qui disertè ait, nunc, hoc est, in hoc seculo, durante Christi religione, manere fidem, spem, charitatem, hæc tria. Majorem autem charitatem ibidem appellat, non ratione virtutis, quam ad justificationem nostri conferat; sed ratione durationis, quòd scilicet in æternum duratura sit, cessante fide & spe, ut hac ratione eam tantò rectiùs commendet.

In Christi religione tam necessariò requiri fidem & spem, ut charitatem. Cur major sit charitas fide & spe.

Iam quòd eo nititur Smiglecius, quòd Paulus in initio capitis *omnis* fidei mentionem facit, &, eam sine charitate nihil prodesse, affirmat, nondum intelligit Theologiæ Doctor, vocem *omnis* interdum pro integra vel tota usurpari, ut πᾶσα πίστις sit idem quod ὅλη,

Vocem omnis, integrum vel totum significare aliquando.

&non

& non significet ibi omnis generis fidem, sed unius generis perfectissimam fidem. Hoc modo dicitur omnis creatura simul parturire & simul ingemiscere, quia omnes quotquot sunt Christiani, gemant, & vellent se liberari a jugo afflictionum. Hoc modo omnis Ierosolyma turbata esse dicitur cum Herode, & omnis Iudæa exivisse ad Ioannem Baptistam, hoc est universa, quanquam & hoc ipsum hyperbolicè dictum est.

Rom: 8. 22.

Matth: 2. 3. & 3. 5.

Iam, cùm ea refutare aggreditur, quæ nos de causis filiationis dicimus, non considerat, se frustra facere omnia. Si enim, ex mente Smiglecii, sola charitas facit filium Dei, quantò magis filium Dei efficiet sanctitas, quæ plùs est quàm charitas, eaq; iuncta cum divina sapientia, potentia & natura? Nos verò, in enumerandis causis filiationis Christi, primam semper facimus ipsius sanctitatem, quam Smiglecius ne verbo quidem meminit: tantùm in eo desudat, ut ostendat, nec propter sapientiam, nec propter potentiam, nec propter immortalitatem filium Dei aliquem esse posse. Quem dolum hîc iterum detego, ut agnoscat lector, quid Smiglecio disputanti adversùs nos propositum sit, nempe studium non veritatis, sed victoriæ. Affirmamus igitur, Christum filium Dei fuisse, propter summam sanctitatem, & sic unum ex illis quatuor, quæ, causas filiationis divinæ in Christo, negat esse Smiglecius, causam filiationis ejus esse ab ipso Smiglecio obtinuimus. Iam quis dubitat, Christum etiam filium Dei fuisse propter sapientiam, quæ in illo fuit planè divinam, quâ & futura prævidere & animos hominum perspicere poterat? Quæ enim major similitudo inter Deum & creaturam esse potest atq; ea est? et hac in re Christus, neminem habuit aut habet sibi similem. De potentia verò antè ostenderam, quòd ex ea viri insignes Christum Dei filium esse agnoverint, & Christus ex ea cognosci pro filio Dei voluerit. Nunc addo, quòd D. Petrus ait, Deum demonstrasse (est enim in græco vox ἀποδεδειγμένον) Iesum inter Iudæos virtutibus & prodigiis & signis, quòd scilicet esset suus filius.

Dolus Smiglecii ingens.

Christus filius Dei ob sapientiam,

& potentiam.

Act: 2. 22.

Nec est, quòd dicat Smiglecius, hæc data fuisse filio Dei, non verò constituere Dei filium. Considerandũ enim est, ut antea diximus, Christum fuisse quidem Dei filium semper, sed non semper eodem modo; &, ut modus conceptionis & nativitatis filium Dei eum efficiebant, sic etiam eundem filium Dei constitutum fuisse in virtute, hoc est, potenter, per spiritum sanctificationis, ex resurrectione mortuorum: imò tunc a Deo genitum fuisse, testatur & Paulus, & autor epistolæ ad Hebræos. Et ut Christum immortalitas filium Dei constituit, sic etiã nos ista immortalitas revera & perfectè Dei filios cõstitu-

Christus semper Dei filius fuit, sed nõ semper eodem modo.

et olim. Nunc filii Dei ſumus ob fidem & ſpem: at in Chriſti adventu futuri ſumus filii Dei ob ipſam immortalitatem & gloriam divinam, quæ nos manet; & ita illis, quos nunc filios Dei facit fides, iterum alio modo filios Dei efficiet immortalitas. Supponit quidem immortalitas futura filios, ſed non perfectos: perfectos autem efficiet ipſa beata immortalitas. Quod etiam clariſſimis ſacrarum literarum teſtimoniis comprobavimus antea. Ioannes enim diſertè ait, eis qui Chriſtum recipiunt, in nomen ejus credunt, & ex Deo nati ſunt, datam eſſe poteſtatem ut fierent Dei filii: Paulus ait, ſe expectare adoptionem filiorum, redemtionem corporis, quæ non niſi in reſurrectione continget: Chriſtus denique eos filios Dei fore aſſerit, qui ſunt futuri filii, hoc eſt, digni vel participes reſurrectionis. Quæ teſtimonia ſanè ita clara ſunt & firma, ut nullis ſophiſticationibus eludi queant.

Per immortalitatem homines filios Dei conſtitui.

Parat quidem Smiglecius longam ad primum locum reſponſionem, & docere nititur, quomodo ii, qui Chriſtum recipiunt, in nomen ejus credunt & ex Deo nati ſunt, filii Dei fieri poſſint: Sed in digna ſunt, quæ recenſeantur, nedum quæ refutentur. Quod tamen facerem, niſi pro nobis contra Smiglecium faceret, quem ſupra nominavi, Ieſuita Maldonatus. Is enim ea, de quibus hîc Smiglecius diſſerit, quòd ſcilicet Ioannes loquatur de effectu fidei, & quòd homo non per ſolam fidem filius Dei fiat, niſi charitas accedat, licèt veriſſima eſſe cenſeat (falſa autem eſſe antea docuimus) tamen nodum non ſolvi, cõfitetur, quomodo filii Dei fieri poſſunt, qui ex Deo nati ſunt, (verba enim non ex ſanguinibus &c. ſed ex Deo nati ſunt, una nobiſcum pro attributo ſubiecti, ut res ipſa exigit, accipit) & tandem ita rem decidit; *quod filii Dei vocentur ii, qui filiorum fruuntur hæreditate, qui in cœlo quaſi in Dei domo ſunt*, & ad id confirmandũ eundem locum Rom: 8. 23, affert, quem nos attulimus, & addit: *Itaque perinde eſt ac ſi dixiſſet, dedit eis poteſtatem heredes Dei & cohæredes Chriſti fieri.* Et hac ratione nihil difficultatis in hoc loco manere aſſerit. Et iterum, rem eandem iterans, dicit, *quòd iis, qui verè erant filii Dei, quique non ex ſanguinibus* &c. *ſed ex Deo nati erant, poteſtatem dederit, ut hæredes quoque illius fierent, quod eſt, alio ſenſu filios Dei fieri.*

Senſus verborum Ioan: 1.

Autoritas Maldonati Ieſuitæ.

Sed iam monendus mihi eſt Smiglecius. Is enim, cùm pudere eũ deberet, primũm, quòd fidem abſolutè ſic dictam ſine operibus mortuam eſſe dicit, cùm opera ſint effectum fidei ſalvificæ, Iacobus autem de fide, impropriè vel vulgariter ſic dicta, loquatur. Deinde quòd omnem fidem a Paulo nominatam, negat ad ſolam miraculoſam fidem reſtringendã, quòd antea etiam verum eſſe docui, me Pelagianiſmi accuſat, dum dico, hominem naturaliter poteſtatem vel facultatem

Smiglecius monetur.

tem

tem habere credendi, postquam ei annunciatur Evangelium, & non necesse esse, ut detur ei potestas ad credendum, sed tantùm occasio. Vnde constet, hîc apud Ioannem, non esse sermonem de modo filiationis, qui datur in hac vita, ea occasione multa disserit, *quòd nemo ad Christum venire possit, nisi datum ei sit a patre, vel, nisi pater eum trahat.* Hac enim in re iterum suam prodit ignorantiam. Istud enim, cùm dicitur, nisi sit datum illi a, vel ex patre meo, ita explicat, ac si interna illustratione opus sit, præter externam annunciationem sine omni ratione. Cùm potiùs per ista verba indicetur id, quod in homine requiritur, nempe ut sit probus & sanabilis. His enim a patre datum est, ut credant. Per tractionem etiam intelligit aliud quid, quàm ipsam Evangelii annunciationem, cùm ipsa Evangelii & promissorum illius annunciatio, sit vera Dei tractio. Quæ quidem ad credendum necessaria est: fidem tamen sola in homine non efficit. Potest enim homo Deo sese trahenti resistere. Hinc Christus non dicit omnem, eum credere, quem pater trahat, sed neminem credere, nisi pater eum trahat; & postquam ista verba dixisset, & ex propheta confirmasset, sic ait: *omnis igitur qui audit & didicit, ad me venit,* satis innuens, solam tractionem ad fidem in se non sufficere, sine hominis assensu & voluntate, quæ per illud discere intelligitur. Qua de re consulat iterum collegam suum Maldonatum Smiglecius, ut agnoscat quàm insulsè de plerisque sacrarum literarum locis sentiat.

Quid sit, datum esse aliquid ex Patre.

Quid sit tractio Patris.

Eandem ignorantiam sapiunt & reliqua, dum credit, *Deum eos non trahere, a quibus abscondere dicitur mysteria sua.* Trahit enim eos omnino, & ideo quod trahenti Deo reluctentur, mysteria Dei ab illis absconduntur. Maior verò ruditas in eo est, quòd, quæ de excæcatis & obduratis scriptura dicit, ea ad omnes refert, quib: Evangeliũ annũciatur, cùm tamen plurimi sint, qui non excæcati sunt aut obdurati, cùm illis Evangelium annunciatur: Imò rarissimè hoc fieri censendũ est. Nam aliàs frustra illis Evãgelium annunciaretur, & frustra accusarentur, quòd Evangelium non recipiant. Vt igitur de excæcatis & obduratis ob peccata illorum verum est, eos non posse, sine singulari gratia, ad Deum converti: ita eos, qui excæcati & obdurati non sunt, posse, data illis ad credendum occasione, credere, nemo sanę mentis negabit.

Non omnes, quibus Evangelium annunciatur, esse excæcatos.

Erit autem nihilominùs fides Dei donum, quia meriti non eramus, ut nobis occasio ad credendum daretur, sed totum illud ex Dei benignitate promanavit. Nec negatur hac ratione, adoptionem filiorum & admissionem ad hęreditatẽ æternam, esse singulare Dei bene-

Fides cur Dei donum sit.

Beneficii natura quæ.

ficium. Beneficii enim magnitudo aliunde pendet, etiamsi homo naturaliter possit illud admittere, nempe quòd cùm posset ei non offerri, oblatum sit, & plærumque hominibus perditis & omni suppliciorum genere dignis, & quòd absq; ulla comparatione superet nostram erga Deum obedientiam, adeò ut etiamsi omnia, quæ nobis præcepta sunt fecerimus, dicere tamen debeamus, nos esse servos inutiles. Ex quo puto constare, nihil a nobis in hoc negotio dici, quòd verissimum non sit, imò idem nobiscum Pontificios etiam sentire, ut ex commentario Maldonati Iesuitæ, super verba Ioan: 6. *Nemo ad me venit, nisi pater eum traxerit*, manifestum est.

Locus Rom: 8. iterum explicatur

De reliquis porrò duobus locis, Rom: 8. & Luc 20. nihil dicit Smigle:, præter ea, quæ antea semel dixerat in Monstris a se confictis, & quæ a nobis in priore responsione refutata sunt, ideoque non est, quod hîc diu immoremur. Res manifesta est, Paulum dicere, se, qui erat Dei filius, expectare unà cum aliis adoptionem filiorum, quam esse ait redemtionem corporis nostri. Quis igitur non videt, redemtionem corporis nostri, hoc est, immortalitatem, futuram ipsam essentiam adoptionis filiorum Dei, ut nunc essentia filiorum Dei in hoc seculo est fides in Christum? Smiglecius huic sententiæ tantùm suam opponit, & quia antea sint appellati, vel etiam sint Dei filii fideles, colligit, *immortalitatem tantum esse effectum vel fructum adoptionis*. Sed errat. Nec enim ex eo, quòd nunc sumus filii Dei, sequitur, nos non posse iterum fieri Dei filios. Potest enim is, qui est filius reipsa, sed imperfectus, filius fieri perfectus, ut suprà docuimus, adhibita etiam Iesuitæ Maldonati autoritate, qui idem nobiscum sentit. Nec ex eo, quòd effectus sit immortalitas adoptionis, rectè concluditur, eam non pertinere ad essentiam adoptionis. Diverso enim respectu potest esse effectum & caussa. Effectum est, quatenus ob adoptionem, quæ in hac vita datur, donabitur. Causa est, quatenus novam quandam in filiis Dei essentiam inducet, & alio prorsus modo filios eos Dei efficiet, quàm antea vel fuerunt vel esse potuerunt.

Potest filius Dei, fieri Dei filius.

Idem effectum esse potest & causa diverso respectu.

Revelari, interdũ significare rei existentiam.

Infirmum autem & illud est, quod ex voce *Revelari* colligit Smius. Hæc enim interdum, non rei quæ antea fuerit, exhibitionem, sed quæ antea nunquam fuit existẽtiam significat. Quo sensu Paulus ait, hominem illum peccati & filium perditionis revelatum iri suo tempore, hoc est, extiturum. Nec enim ante existere potuit, quàm illud, quod tunc retinebat, e medio tolleretur. Et ipse Paulus loco revelationis, quâ bis utitur, tandem adventum istius exlegis meminit.

2. Thess: 2. 3, 6.

Nec firmius illud est, quòd ait, *nos non secundùm carnem sed secundùm spiritum filios Dei esse, immortalitatem autem ad corpora spectare.*

Scriptura

Scriptura enim testatur, nos homines, quanti quãti scilicet sumus, fore immortales, &, cùm de corporis redemtione vel corporũ resuscitatione agit, non carnem vel unam partem hominis intelligit, sed per vocem corporis integrum hominem exprimit. Quod testimoniis sacrarum literarum manifestis antea ostenderam. Nam Rom: 12. jubemur corpora nostra sistere hostiam Deo acceptam. Certùm autem est, ad cultum divinum sub Novo fœdere, maximè spiritum nostrum requiri. Paulus etiam 1. Cor: 6. promiscuè, nos, & corpora nostra accipit, dum ait, Deum nos & corpora nostra resuscitaturum, alibi verò affirmat, hæc nostra corpora, quæ sunt ex carne & sanguine, regnum Dei hæreditare non posse. Ad hoc Smiglecius nescio quomodo obmutuerit. Sic enim, nescio an dormitans, an victus a veritate, scribit. *Quid ita? quia ita Smalcio placet, ubi aliquando legit in scriptura corpus totum hominem significare? Nam quod citat in margine Rom:* 12. 1. *&* 1. *Cor:* 6. 4. *falsum est, his in locis nomine corporis partem hominis non intelligi.* Viden', benevole lector, quomodo se gerat Smiglecius? Non ideo, quia mihi ita placeat, assero, corpus nonnunquam totum hominem significare, sed rationes affero ex ipsis sacris literis, &, ubi illud legerim, ad oculum ostendo. Itaq; nihil aliud ad rationes alterius respondere, quàm falsum id esse, quod asseritur, est, tacitè ex arena cedere, & victas manus dare.

Totum hominem immortalem evasurum.

Corpus significare totum hominis substantiam.

Smiglecius dormitat.

Sed jam ad alia progrediamur. *Ruditatem meam magnam appellat iterum, quòd tam adoptionem quàm justificationem in hac vita imperfectam, in futura verò perfectam fore aßero.* Quanta verò subtilitas, vel rerum divinarum scientia, in eo sit, quòd ipse ad id respondet, judicet alii. *Perfectam* primùm *eße* ait, *adoptionis eßentiam in hoc seculo, quia eßentia adoptionis non consistat in actuali hæreditatis consecutione, sed in jure perfecto ad hæreditatem*, idq; rursus comprobat, dum ait, *filium eße perfectè, antequam reipsa adeat hæreditatem paternam.* Ego verò nego, essentiam adoptionis consistere in solo jure, quantumvis perfecto, ad hæreditatem. Potest enim aliquis jus habere ad hæreditatem perfectam, nec tamen hæres evadere. Quomodo verò is perfectè filius est, qui non est hæres? Vnde constat etiam, quàm sit ab omni ratione alienum, filium perfectè eum esse, qui nondum adiit hæreditatem paternam. Certè Paulus, filium, quamdiu non est heres reipsa, nihil a servo differre satis eleganter & argutè, ut solet, disserit. Est igitur duplex essentia adoptionis nostræ pro ratione duplicis vitę, in quàm cadit ista nostra adoptio. Essentia adoptionis nostræ in hac vita est, fides in Christum: Essentia ejusdem adoptionis in altera vita, erit Immortalitas; & hoc innuitur per ista loca sacræ scripturæ, in quibus filii Dei

Essentiam adoptionis nostræ esse duplicem.

Gal: 4. 1.

lii Dei nunc esse dicimur,& tamen expectare revelationem filiorum Dei,vel adoptionem, fideles dicuntur.

Ruditatem non minorem vocat,quòd aßero,justificationem in hac vita eße imperfectam, in altera fore perfectam. Ego verò miror Theologiæ Smigl: insignē ignorantiam, dum ista non admittit.Sed videamus argumentum. *Interrogat me, ubi aliquando legerim, nos justificari in cœlo, & gloriam cælestem eße justitiam, vel justificationem nostram?* Verba captiosa non curo. Nec enim ita loquor,nos justificari in cœlo , sed justificationem,dico,fore perfectam in futura vita. Hoc autem probo ex ipsa voce justitiæ,vel justificationis. Quid enim aliud est justificari,quàm pro justo haberi,vel ita tractari ut justum ? Pro justo rursus haberi &tractari ut justum,quid aliud est in negotio religionis,quàm a morte absolvi & vitam æternam consequi? Cùm igitur a morte nemo absolvatur reipsa, nec vitam consequatur æternam, aut consequi possit,ante Christi adventum , qui futuræ vitæ initium est , parumnè constat,justificationem nostram in Christi adventu demum fore perfectam? Adde quòd Paulus disertè affirmat: *Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi , ita per obedientiam unius justi constituentur multi,* constituentur, inquam,quod nō nisi de Christi adventu intelligi posse,vel hinc constat,quòd,hanc constitutionē justorum, ponit loco justificationis vitæ, nempe æternæ, de qua antea locutus fuerat. Iustificatio autem vitæ aliud nihil est, quàm justificatio,quæ in vita,nempe æterna,consistit,ita ut loquendi more Hebraico, genitivus additus substantivo sit istius substantiæ explicatio.

Justificationē in vita futura perficiendam.

Rom: 5. 19.

Nihil autem juvat Smiglecium , quòd Paulus distinguit inter justificationem & glorificationem. Est enim distinctio illa quasi rhetorica,dum unum & idem diversis verbis describitur.Quanquam si res ipsa inspiciatur penitiùs,causa subest maximi momenti,quare Paulus ita locutus sit , & duabus locutionibus unam rem latiùs expresserit. Nam in hac vita certum est , eum, qui ad Christum accedit , priùs de absolutione a peccatis, & reatu illorum certum reddi , quàm de ista incomparabili gloria,quæ eam consecutura,& quæ quasi auctuarium quoddam istius absolutionis est. Respectu verò futuræ vitæ , pariter certum & manifestum est,justificationem (naturâ vocis & non usurpatione illius inspecta) solam a pœnis peccatorum liberationem cōtinere: glorificationem autem novum quodammodo beneficium censeri posse. Hoc rhetorico loquendi modo , Paulus alibi etiam distinguit, in asserenda nostræ fidei & salutis certitudine , Christi mortem ab ejus resurrectione ; & rursus mortem non tantùm a resurrectione, sed etiam ab exaltatione & cura quam nostri gerit. Cùm tamen ali-

Distinctiones esse quasdam rhetoricas.

Rom: 8.

Cur justificatio& glorificatio distinguuntur.

Rom: 4. 24.

Rom: 8. 34.

men alibi jam soli morti, jam soli resurrectioni vel exaltationi, totum id tribuat, quod eis distinctim in locis citatis tribuit.

Porrò & illud valdè infirmum est, dum *ex eo, quòd nunc sumus filii Dei, colligit, justificationem non fore perfectam in altera vita*. Nam præter ea, quæ antea diximus, ipsemet Ioannes, qui dicit, nos nunc esse filios Dei, ait, nondum apparuisse, hoc est, nondum extitisse, quid futuri simus, de essentia nostri loquens, ut vox ipsa *Quid* indicat, alioqui non quid, sed quales futuri sumus, dicturus. Illud autem prorsus imperitè vel saltem captiosè dictum est, *nos nunc non spe sed reipsa filios Dei ex Deo natos*. Sumus enim non spe, sed reipsa filii Dei, si id, quod filios Dei in hac vita constituit, expendamus, nempè fidem in Christum. Hanc enim reipsa in nobis esse necesse est, qui filii Dei audire volumus sub N.T.: Rursus sumus non reipsa, sed spe, si id, quod filios Dei in futura vita constituit, expendamus, nempe immortalitatem. Hæc enim in nobis esse non potest ante Christi adventum, ut disertè testantur plurima N.T. testimonia. Vnde constat, quàm miserabilis sit Theologia Smiglecii, quæ *majorem gratiam, quàm ea sit, in quam ex hac vita decedimus, nos non habituros in vita futura, asserat*. Quod dum eo probat, quod *gloria illa cœlestis corona & fructus* justitiæ *appellatur*, eam scripturæ intelligentiam iterum prodit, quam non possum non contemnere, quantumvis sibi præ omnibus sapere videatur Smiglecius. Admodum enim obvium est, per coronam vel fructum justitiæ intelligere coronam vel fructum, quæ verè est justitia vel justificatio, Hebraismo suprà judicato. Quo sensu etiam alibi eadem gloria cœlestis, appellatur corona vitæ & spes justitiæ, hoc est, corona, quæ in vita æterna consistit, & id quod speratur nempe justificatio. Atq; hæc paulo fusiùs dicere libuit, ut Smiglecius ipse & alii agnoscant, quàm justè in exagitandis iis, quæ ex sacra scriptura Smiglecius disserit, immorari possimus, nisi temporis aliqua esset habenda ratio.

Filios Dei justificatum iri perfectè in altera vita

Fideles quatenus & reipsa & spe nũc sint Dei filii.

Quid sit corona & fructus justitiæ.

Apoc: 2. 10. Gal: 5. 5.

De tertio loco ait Smiglecius, *se idem dicere, quod de secundo*. Ergo ex eo, quod ad defensionem secundi loci a nobis modò dictum est, petatur id, quòd nudis Smiglecii assertionibus opponatur. Omnis vis in eo posita est, quod ait, *Christum probare, fideles filios Dei ex resurrectione esse, non tanquam ex causa sed tanquam ex effectu*. Hoc verò quia suprà dilutum est, & ostensum, resurrectionem, diverso respectu, & effectum & causam esse filiationis nostræ, causam, quatenus novam fidelibus indet essentiam, & effectum, quatenus sine priori adoptionis essentia nemini dabitur, non est, quòd hîc moremur amplius.

Resurrectio & causa & effectus filiationis.

Expendamus autem porrò, quid nobis de sanctitate tandem mysteriorum pandat Smiglecius. Ambagibus primùm vel cuniculis utitur.

Ambages Smiglecii.

tur. Nam cùm docendum illi esset, hanc non esse causam filiationis vel adoptionis filiorum tàm in Christo, quàm in nobis, quod est in controversia, docere nititur, sanctitatem esse duplicem actualem & habitualem. Ego verò, statim huic malo occurrens, &, quid de ista distinctione futili sentiendum sit, in præsentiarum aliis ad iudicandum relicto, dico, nimis ineptè eam ad propositum Smiglecii accommodari. Vtut enim concedamus, habitus virtutum in illis esse, qui eas non exerant actu: nihil tamen hoc facit ad probandum, in infantibus etiam virtutes esse actu. De adultis enim fortasse ideo dici posset, habitum virtutis in illis esse, cùm dormiunt, comedunt, vel aliud quid simile agunt. quia actus etiam virtutum in illis tunc sunt, & esse possunt, cùm pleraq; ista faciunt: At, in eo habitum esse virtutis, in quo nullus istius actus nec est, nec esse potest, prorsus est insolens & ineptùm, dicere. Suffossi ergo sunt isti cuniculi, quibus tacitè, Christum infantem sanctitate etiam, habitu scilicet, præditum fuisse, docere volebat; & verum manet, infantes aptos quidem esse ad sanctitatem & alios aliis magis, in nullo tamen reipsa sanctitatem, quæ in actionibus consistit, de qua nobis sermo est, reperiri posse.

In quo habitus virtutis esse dici possit.

Deinde in iisdem ambagibus hærens, *non quamvis sanctitatem, sed solùm sanctitatem fidei vivæ & per charitatem operantis sufficere ad constituendos filios Dei*, astutè quidem, sed otiosè & valdè ruditer disserit. Quis enim non intelligit, per sanctitatem, ita nudè positam, intelligi totum illud, quod ad sanctitatem pertinet, & sanctitatem pro genere omnium aliarum virtutum poni? Quo sensu ipsa sacra scriptura ista voce utitur, cùm dicit, sine sanctitate ista neminem visurum Dominum.

Otiosè sanctitas a Smiglecio distinguitur.

Illud nunc nō refuto ampliùs, quòd fidem & spem ita a charitate separat, ut alia dona externa vel etiam opera bona. Hoc enim ante a me factum est. Tanquam ulcus autem & maculam turpem religionis Pontificiæ ostento id omnib:, quibus veritas divina cordi & curæ est.

Ignorantia Smiglecii crassa.

Tertiò demum ad rem accedit, dum ait, *nobis non Christo convenire per fidem & charitatem filios Dei fieri*. Cur vero? *Fides enim* ait, *per quam efficimur filii Dei, est fides in Christum. In Christo autem non est talis fides in seipsum, neque ulla omnino fides, non enim per fidem ambulabat, sed per speciem. videbat enim clarè Deum, ut non semel scriptura testatur.* En habes verba Smiglecii, quorum errores & fallacias, nescio an satis explicaturus sim. Primùm, cur hic Smiglecius semel fidem cum charitate iungit, & iterum solam fidem ponit, quæ nos constituat filios Dei, qui antea negavit aliquoties, fidem & spem sine charitate nos filios Dei cōstituere? Sensit scilicet, se in angustias cōjectum, si loco fidei &

Smiglecius inconstans.

dei & spei semper charitatem posuisset. Nam si sola charitas,(ut sentit Smiglecius) faciat Dei filium, sequetur, Christum etiam filium Dei antea non fuisse, quàm charitate illa præditus esset. Hac autem quia præditus nec fuit nec esse potuit, antequam effectus, & illos, quos ex Paulo hîc commemorat Smiglecius, quòd scilicet charitas patiens sit, benigna sit, nihil agat perperam, omnia credat, omnia speret, omnia sustineat, & alios quorum alibi fit mentio, expressit, non expressit autem, antequam ad justam ætatem perveniret, necessariò hinc efficitur, Christum etiam, licet ob conceptionem & nativitatē filius Dei fuerit, filium Dei tamen verè non fuisse, nisi quando consecuta est ista charitas. Sed isti agendi modi fallaces & dolosi non possunt non detegi tandem.

Premitur Smiglecius.

Deinde verum est quidem, nos per fidem in Christum filios Dei constitui: sed non minùs per fidem in ipsum Deum. Omnis enim fides tandem terminatur in Deo, & qui in Christum credit, teste Christo, non in Christū credit, sed in eum, qui illum misit. Itaque, etiamsi Christus non per fidem in seipsum cōstitutus sit Dei filius, constitutus est tamen filius Dei per fidem in ipsum Deum. Et sanè novum hoc est & nimis audax dogma, affirmare, in Christo nullam omnino fuisse fidem; et talia fingere eos necesse est, qui filium Dei ante eum, qui ex spiritu S. conceptus est, confinxerunt. Quid enim? nonné, ut ex multis aliqua adducam, autor epistolæ ad Hebræos verba adducit s. scripturæ, in quibus dicitur, *Ego ero fidens in eum*, & iisdem verbis id docere nititur, quod nos affirmamus, nempe Christum, quia ex uno sit nobiscum, non erubescere, propter illam causam, fratres nos vocare; hoc est filium Dei esse, non secus ac nos sumus, licèt modo vel modis multò excellentioribus quàm nos. Idem verò auctor nonné disertè ait, Iesum esse ducem & consummatorem fidei? Quomodo verò dux fidei esse potuit, si ipse nullam omnino fidem habuit? Certè hæc verba ita hanc rem comprobant, ut vix ulla magis. Nec est, quòd fortasse dicat aliquis, Christum ducem esse fidei, quia modum fidei nos docuerit. Disertè enim idem autor vult nos respicere Iesum, quemadmodum nubem istam testium de qua c. 11. egerat. Hanc autem ita vult nos respicere, ut eo modo, quo ipsi Deo confisi sunt, nos etiam Deo confidamus. Ex quo sequitur, nos etiam ita debere Christum respicere, ut eodem modo, quo ipse Deo confidit, nos etiam confidere annitamur. Parum enim hodie est, imitari fidem eorum, qui olim Deo confisi sunt sub N. F. ad salutem consequendam, cùm plura a nobis fides in Christum requirat, quam ea quibus illi sancti erant prædití.

Non solùm per fidem in Christum, sed etiam in Deū filios Dei constitui.

Christum in Deū credidisse, cùm in terris esset. Heb: 2, 18.

Christus cur dux fidei.

Parum est ad salutem, hodie imitari fidem illorum, qui ante Christū fuerunt.

 Hinc con-

Hinc constat tertiò, quàm ab omni vero alienum sit, quod ait Smiglecius, *Christum nō per fidem ambulasse, sed per speciem, dum in terris degeret.* Sic enim accipio Verbum *Est* in verbis Smiglecii, dum ait: *In Christo verò non est talis fides in seipsum.* aliàs captionis & ineptiæ iterum accusandus esset Smiglecius. Ratio verò, quâ istud falsum pronunciatum nititur, *Videbat enim clarè Deum, ut non semel scriptura testatur*, si de visione illa naturali, quam in Christo somniat Smiglecius, intelligat, fabulosa: si de ea, quæ Christo in cœlis contigit, tota captiosa, & tamen prorsus infirma est. Vox enim *videbat* frequentem, imò perpetuam (si vis aliqua in eo esse debet) visionem indicare videtur. cùm tamen demonstrari nequeat ex sacris literis, illam crebrò factam aut iteratam esse, nedum perpetuò durasse; & prorsus verisimile sit, Christum semel tantùm Deum vidisse, quando scilicet ascenderat in cælum, ubi antea fuerat filius hominis. Iure igitur vox *videbat* in *viderat* converti potest. Vox etiam *clarè*, addita ad vocem, *videbat*, juvare velle causam Smiglecii videtur, quasi scilicet visio illa alia fuerit ab iis quæ aliis etiam contingere potuerunt, vel quæ alicui contigisse legitur, cùm tamen simpliciter tantùm de Christo dicatur, quod Deum viderit. Falsò etiam dicitur, scripturam non semel hoc est, vel crebrò vel saltem aliquoties id testari. Sic enim verba *non semel* accipi solent. Nam præter unum locum Ioan: 6. (nisi fallor) vix alium ostendet Smiglecius. Iam istis captionibus detectis, si, quod res est dicatur, nempe Christum vidisse Deum patrem suum, num hinc consequetur, eum non per fidem ambulasse? Nihil minus. Nonnè enim & Paulus Christum exaltatum viderat, & tamen non per speciem sed per fidem ambulabat? Certum igitur esto, Christum, quia cum ætate ad eam rem apta, Deo confidere cepit, & in ista fiducia, ut & in aliis virtutibus, profecit, filium Dei factum & constitutum, & essentiam filiationis ipsi inditam esse. Quod tandem Smiglecius, quasi nolens, agnoscit, sed cum hac conditione, *quòd faciat eum filium adoptivum.* Quasi verò nos aliud nunc agamus, quàm ut doceamus, Christum esse filium, eo sensu, quo in scriptura vox hæc usurpatur, adoptivum. Cùm enim ista omnia, quæ filium Dei constituunt, Christus naturâ non habeat, vel cum illis natus non sit, necesse est, illi omnia illa successivè data a Deo fuisse, & ita eatenus adoptivum Dei filium eum appellari posse. Nihil enim proficit Smiglecius, dum ait bis, scripturam Christum non appellare filium Dei adoptivum. Nam nec naturalem Dei filium eum appellant, eo sensu, quo eum sic appellat Smiglecius; & tamen nos, si ex scriptura id doceri posset, libenter id admitteremus. Quanquam plus ab adversariis postulare possumus, ut scili-

Captiones Smiglecii examinantur.

Christū non crebrò Deum vidisse propriè.

Non omnis visio Dei tollit fidem. 1. Cor: 9. 1.

Christum appellari posse filium Dei adoptivū, etiamsi in scripturis id expressum non sit.

ut ſcilicet in ipſis ſacris literis expreſſè ea oſtendant, quæ de filio Dei ipſi credunt, niſi amplius affirmare nolint, iſtud dogma ad ſalutem eſſe neceſſarium. Nam quæcunque ad ſalutem ſunt neceſſaria, ea expreſſa in ſacris literis eſſe, nobis perſuaſiſſimum & per ſe veriſſimum cenſendum eſt.

Cùm Smiglecius ſuam de filio Dei ſententiam narraret, quòd *ſcilicet homo ille unione hypoſtatica factus ſit naturalis Dei filius, ita ut propter perſonam divinam, qua ſubſiſtit in perſona* (ſic antea ſcripſerat) humana, *ſic & dicatur filius Dei naturalis*, ego, & ipſam doctrinam fabuloſam, & verba malè concepta eſſe, dixeram. Nam duarum perſonarum in Chriſto fiebat mentio. Smiglecius me graviter ea de cauſa reprehendit, & *ſpiritu contradictionis & maledictionis, tanquam oeſtro abreptum, verbulum, quod incauto typographo, excidit, exagitare & convitiari maluiſſe*, ait, *quàm ex ipſius ſententia, uti ingenuum decebat, corrigere*, & ea occaſione quia ſcilicet ipſum exagitârim, *convitia mea in eccleſiam Romanam, in ſanctiſſimos patres, in Catholicos Theologos mihi objicit, quibus me, quod argumentis non potuerim, aſſequi poſſe ſperârim.* Vbi me ſic purgo: Smiglecio contradico, quia ipſe ſcripturis: maledico autem nunquam, quod equidem ſciam. Nam maledicendo me magis læderem, quàm Smiglecium. Vſurus eram ea ingenuitate, quam a me poſtulat Smiglecius, niſi æquè abſurdè dictum id eſſe mihi viſum fuiſſet, *quâ ſcilicet perſona, ſubſiſtit in natura humana.* cùm ipſa natura humana per ſe non ſubſiſtat, & ſemper id, in quo aliquid aliud ſubſiſtit, prius & præſtantius eſſe neceſſe ſit eo, quod in illo ſubſiſtit. Eccleſiæ Romanæ, Patribus quibuſdam & doctoribus Pontificiis, objicio tantùm errores in religione. Iam ſi hoc eos convitiari eſt, convitiati ſunt Chriſtus & Apoſtoli, qui ita tractarunt ſui ſeculi Doctores. Ego ſanè, ut alibi etiam dixi, ingenium, eruditionem, acumen & pietatem etiam in plurimis patribus ſuſpicio, & Deo, qui illos adverſus hoſtes Evangelii excitârit, gratias ago: ſed, pro Apoſtolis eos habere, nec tenemur, nec ipſi poſtulârunt. Magiſtri noſtri ſunt Chriſtus & Apoſtoli: omnes Patres, fratres ſunt aliorum doctorum, quos & præterita ætas habuit, & noſtra habet. Superſtruxerunt illi ſuper fundamentum, ſuperſtruunt & alii. Dies docet, quale cujusq; ſit opus. Rationum pondera ſemper ad trutinam ſacræ ſcripturę expendâtur, & tandem apparebit, an aurum, argentum, gemmas: an ligna, fœnum, ſtipulam aliquis adædificârit. Sed hæc hactenus.

Iure caſtigatum antea fuiſſe Smiglecium docetur.

Cur id fieri non potuerit, quod poſtulat Smigleci⁹.

Quid Eccleſiæ Romanæ & Doctoribus objiciatur.

Quo numero ſint habendi patres.

Christum successivè similitudinem cum Deo consecutum, adeoq́ successivè etiam filium Dei factum esse, docetur.

Caput X.

BLASPHEMIAS crepat Smiglecius, quia negamus, Christum natum esse talem Dei filium, qualis postea successivè factus est: Sed prius doceat, verum esse, quod ille satis imperitè de Christo, respectu ejus infantiæ, asserit, quàm aliis blasphemias objiciat. *Si, ait, Christus infans sanctitate, sapientia, potestate non fuit præditus, consequens est, ut nec Deus fuerit, nec Dominus, nec Christus nec rex divinus.* Verum est id consequi, si addas vocem, *reipsa.* Fuit enim Dominus & Christus vel rex divinus prædestinatione. Quæ verò sunt aliquid prædestinatione immutabili, ea non possunt negari talia esse simpliciter. Infantem, nō quatenus infans fuit, sed ratione muneris, Deum ab Esaia appellatū, suprà indicatum est, & confirmatum autoritate Vatabli. Elizabetha etiam matrem Domini sui Mariam appellare potuit, quia spiritu prophetico prævidit, eum futurum suum Dominum. Angelos itidem ob eandem causam Dominum eum appellasse, tutò credi potest. Magos verò, ut Deum & Dominum & Christum eum adorasse, prorsus incertum est, qua de re suprà diximus plura.

Quod aliquid est prædestinatione, est id suo modo.

Notanda est autem Smiglecii fallacia, qui simpliciter sanctum infantem Christum, quâ infans, negare nos facit, cùm nos tantùm de ea sanctitate loquamur, quæ in virtutum actionibus consistit, facilè alioquin confitētes, Christum sanctū quid, est enim in græco τὸ ἅγιον fuisse, alia de caussa: quia scilicet totus miraculoso & singulari modo extiterit & semper vixerit. Nam quæ singularia sunt, sancta esse dicūtur, licet ipsa nihil sancti reipsa faciant. Impietatē etiam crepat Smiglecius, quòd ea, quæ de Christo infante dicuntur, ad prædestinationem referamus. Quasi verò id novum sit in sacris literis, & quasi id impium dici possit, cujus simile vel semel in sacris literis reperitur. Sed ipsemet suum convitium revocat Smiglecius, *dum id fieri posse concedit, si scriptura id aliqua ratione innuat.* Quid verò magis scriptura, non aliqua ratione innuit, sed exprimit, quàm Iesum priùs non fuisse Christum reipsa & Dominum, quàm cùm munus suum obire, imò quàm regnare perfectè in cælo & terra cepit? adeò, ut post resurrectionem demum, Dominum & Christum eum factum esse a Deo, testetur, de quo in cap. sequenti. Non regnare autem, nec servare aliquem

Christus sanctus vel sanctum fuit in infantia, certo respectu.

Prædestinatione aliquid esse, non est novum in sacris literis.

quem, nec servare posse, & reipsa Deum & dominum esse, contraria sunt.

Instantia autem Smiglecii, *hac ratione Deum quoq; ante conditum mundum, Deum debere negari, quòd tunc nulla divinæ suæ potestatis opera exhibuerit*, quàm sit infirma, vel hinc constat, quòd (ut nunc alia taceam) non nisi incerta Smiglecii asseveratione nititur, quod Deus, ante conditum mundum, nullum opus divinum exhibuerit, & quòd primum potestatis divinæ opus sit, mundi creatio. O Theologiam profundam, in cerebro certè Smiglecii natam, quam nulla nec scriptura nec ratione probare unquam poterit. Cui multa opponi possent: sed Smiglecius, multitudine errorum se opprimi, iterum quereretur. Vnum dicam verbum; aut unà cùm mundo hoc aspectabili angelos fuisse creatos, dicendum est: aut confitendum, Deum, ante conditum mundum, insigne opus potestatis suæ exhibuisse. Prius verò, quia difficulter probari potest, imò probari nullo modo potest. Nam (ut ex multis argumentis unum atq; alterum promam) quomodo Moyses, qui aliarum creaturarum viliorum mentionem facit, creationem tam illustris creaturæ tacuisset, si in ista creatione, quam describit, contineretur? Quomodo item tam citò creari, peccare, e cælo detrudi potuisset socius illorum, qui simul atq; Adam creatus est, & in horto Eden collocatus, statim præsens aderat, & ad peccatum eundem excitabat? Restat igitur, ut alterũ illud verum maneat.

Deum ante conditum mundũ nullum opus exhibuisse, incertum est.

Angelos ante hunc mundũ conditos esse.

Non est autem reticendus Smiglecii dolus, qui cùm dicere debuisset, Deus autem Deus est, etiamsi nullam unquam rem condere potuisset; (sic enim nos de Christo loquimur, eum nec servasse, nec servare quenquam in infantia sua potuisse) ait, Deus autem Deus est, etiamsi nullam unquam rem condere voluisset.

Dolus Smiglecii.

Iam quod, *scripturas etiam divinitatem, quàm Christus in ipsa sua nativitate habuerit, agnoscere* ait, iterum suam prodit audaciam simul & inertiam. Nulla enim scriptura testatur, Deum esse hominem factum, ut nuper in refutatione libelli Smigleciani, *verbum caro factum*, ostendimus. Quæ verò scriptura testatur, nempe Christum, qui in forma Dei & Deo æqualis erat, formam servi accepisse & de cælo in mundum venisse, ea non docet, in infantia istud Christi factum fuisse. Formam enim servi assumsit Christus, cùm omnis generis afflictiones sponte sua subijt: in mundum autem venit è cælo (quanquã scriptura sic nusquam loquatur) quando munus suum aggressus est, ut in eadem refutatione & alibi in hoc scripto docuimus.

Christus in infãtia Deus non est appellatus unquam.

Meminerit autem lector, quàm parcè sit credendum Smiglecio, qui Martham confessam esse ait Ioan. 11.27. quòd Christus e cælo filius

Iners Smiglecii audacia.

lius Dei venerit. Id enim ibi non habetur prorſus. Et quanquam nos credamus dici poſſe, Chriſtum e cælo etiam in mundum veniſſe: non eſt tamen id ita temere literis ſacris affingendum, quod in eis non continetur. Poterat enim Chriſtus in mundum veniſſe dici, etiamſi e cælo non veniſſet, quemadmodum alii etiam dicuntur in mundum miſſi vel exiiſſe, qui nuſpiam ante fuerant, quàm in mundo.

Chriſtum e cælo in mūdum veniſſe, nuſquam legitur.

Porrò dum in particulari (ut ait Smiglecius) probare conatur, Chriſtum ſanctitate fuiſſe præditum in infantia, verè prodit cauſæ, quàm tuetur, falſitatem. Quomodo enim in re tanti momenti, (ex mente Smigl:) ita eũ deficerent rationes, ut ad egenas quaſdem collectiones ei recurrendum eſſet? Sed ita fit, ubi, ſpreta veritate, erroris patrocinium ſuſcipitur. Quærit a me, *an credam, Chriſtum ab infantia fuiſſe Spiritu S. repletum? Si credam, infert, eum fuiſſe ſanctum, ſi non credam, infert, eum fuiſſe prophanum.* Sed & captiosè & ineptè iſta dicuntur omnia. Vtut enim concedam, quod ſcriptura ſacra non teſtatur, Chriſtum plenum fuiſſe Spiritu S. in infantia: hinc tamen non ſequitur, eum fuiſſe ſanctum eo modo, de quo nobis ſermo eſt. Nam & Ioannes Baptiſta Spiritu ſancto repletus non tantùm fuit in infantia, ſed etiam in utero matris ſuæ: nec tamen ſanctus fuit eo modo, de quo nunc diſputamus. Nam, diſtinctionem ſanctitatis actualem & habitualem, vanam eſſe in hoc negotio, antea oſtendimus. In cujus locum hanc ſubſtituimus, quòd homo ſanctus dicatur duplici modo, vel quia ſanctas actiones exerceat, vel quia ſancto, hoc eſt, ſingulari modo productus, & ad ſanctum, hoc eſt, ſingulare opus deſtinatus ſit, etiamſi nihil adhuc agat. Sanctus igitur fuit Chriſtus ſemper, quatenus & ſancto modo conceptus, & totus Deo conſecratus, & ad opus ſalutis noſtræ perficiendum immutabiliter deſtinatus fuit. Atq; ita etiam de repletione Spiritus S. ſentiendum eſt. Nam is propriè repletus eo dicitur, qui ſpiritu regitur & omnes actiones ſuas ad normam divinæ voluntatis dirigit: & is etiam repletus eo dici poteſt, licet minus propriè, qui ſingulari ratione ab ipſo Deo regitur & dirigitur, licet ipſemet adhuc nihil agat aut operetur. Vnde cõſtat, quàm ineptè huc iſta verba Pauli adducta ſint: *Si quis habet Chriſti Spiritum, non eſt ejus*; &, quod ex eis deductum eſt, Chriſtum etiam non fore Dei, niſi Spiritum Dei habuerit. Verba enim Pauli de ſpiritu, quo quis ſemet ipſum regit & omnes actiones ſuas dirigit, loquuntur, ut ipſum verbũ *habendi* denotat. Quo nunquam ſcriptura utitur, cùm de iis loquitur, qui Spiritu Dei præditi fuerunt in infantia: ſed tantùm ait, eos repletos fuiſſe Spiritu ſancto, ut appareat, id actionem ipſius Dei fuiſſe, qui eos per ſpiritum ſuum direxit, licet illi nihil agant, imò etiam ea de re ne-

Repletū eſſe Spiritu, non infert ſanctitatem vitæ & morum.

Hominem duplici modo ſanctum dici poſſe.

Repletionem etiam Spiritus ſancti duplicem dari.

Spiritum S. habere, & ſpiritu repletum eſſe, quomodo differant.

re nesciant. Multum igitur differunt Spiritum S. habere & Spiritu S. repletum esse, istud, non nisi de adultis & ratione utentibus: hoc verò etiam de infantibus dici potest. istud actiones ejus, de quo id dicitur, requirit necessariò: hoc solam Dei singularem directionem, etiam sine sensu ejus, de quo istud dicitur.

De verbis Angeli, quibus Christum nasciturum sanctum appellat, egimus supra c. 1 Nunc dicimus iterum, Christum sanctum appellari potuisse, non quòd ipsemet aliquid sancti agere potuerit, sed quòd aliquid singulare fuerit & singulari modo a Deo genitus fuerit. Nam quæ singularia sunt, sancta esse jure dicuntur.

Cur Christus Sãctum appellatus.

Smiglecius quid contra hæc? *hoc modo* ait, *omnes mortui resuscitati a Christo fuissent sancti, & omnes infirmi miraculosè ab eo curati, aqua item in vinum conversa, & ficus, quæ ab eo maledicta exaruit, erit sancta: hæc enim omnia extiterunt miraculosè.* Sed captionem quis non videt & fallaciam, eamq; nimis crassam? Non enim revera ista omnia, quæ Smiglecius commemorat, extiterunt tunc, cùm illis id accidit, quod de singulis prædicatur. Mortui enim animas tantùm receperunt, ægroti sanitatē & liquor aqueus conversus fuit in liquorē vini. Ficum verò tunc extitisse, quando exaruit, nova certè existendi ratio, hoc est, existentiæ contraria est. Itaq; ineptiam etiam cùm fallacia junxit in hoc exemplo Smiglecius.

Ineptia Smiglecii.

Ex iis, quæ hactenus diximus, constat, vanam esse molitionem Smiglecii, *dum ex eo, quòd Ioannes Baptista Spiritu S. repletus fuit, evincere conatur, Christum multò magis eo repletum fuisse in infantia.* Iam enim docuimus, quomodo de infantibus dici possit & dicatur, eos esse repletos Spiritu sancto.

Quæ verò hîc inserit Smiglecius de Christo, qui visitaverit Ioannem, de Ioanne, qui Christum agnoverit in utero existens, rursus de Christo, quòd, nondum natus, Spiritu S. repleverit matrem, nempe Elisabetham, & filium; hæc tanquam aniles fabulas jure contemnimus. Captionem autem Smiglecii aliam iterum detegimus. Nam, cùm probandum illi esset, Christum dedisse aliis Spiritum sanctum, ait, *& ut minimum, respectu ejus* (Christi) *Spiritus sanctus aliis donatus fuit.* Nonnē enim ab alio dari potuit aliis, respectu Christi, quàm a Christo: Imò si respectu Christi datus fuit, sequi quodammodo necessariò videtur, non fuisse datum a Christo; & dum ita loquitur Smiglecius, seipsum evertit, & falsitatis semetipsum convincit, qui dixerat, Christum, eumq; nondum natum, replevisse alios Spiritu sancto. Sed hujusmodi captionibus ita abundat Smiglecius, ut vix aliter loqui posse videatur.

Fabulosa Smiglecii dicta.

Captio Smiglecii.

Quæ de Ioannis Baptistæ sanctitate, ex eo, quòd spiritu S. repletus fuerit, disserit, ea jam sunt examinata & refutata: Quæ vero de actionibus etiam illius sanctis addit, nempe exultatione & agnitione advenientis Domini, ea rursus anilibus fabulis accensemus, donec ista actiones Ioannis fuisse, Smiglecius doceat. Præstabat sanè, Smiglecium ita anxiè occupatum esse in investigatione eorum, quæ ad Christum, nunc in cœlis regnantem, pertinent, ut est in investigatione eorum, quæ, ipso nondum nato, extitisse credit. Sed quid agas? Sequamur Smiglecium.

Inepta Smiglecii dicta.

Is igitur denuo locum Es: 11. 1. citat, *in quo quia dicitur, quòd supra virgā Iessæ sit requieturus spiritus Domini &c. hinc colligit, Christum spiritu S. repletum fuiße ab ipsa infantia.* Sed ego id de Christo dici posse, sponte mea concesseram antea; ex eo autem non consequi, Christum sanctitate fuisse præditum, de qua nunc sermo est, & antea docueram, & paulò ante in hoc cap: satis disertè docui. Præterea otiosè & impudenter iterat, *quòd flos istæ apud Esaiam, Christum, virga florens, virginem concipientem designet, idque omnium sententia:* & tamen ægrè fert, si dicatur, tales ab illis hominibus afferri explicationes, quæ si in unum congererentur, magnum universo mundo risum parituræ essent? Quis enim tandem istas glossas ferat, contra verba & mentem prophetæ? Nam ut ante docueram, nec virgæ florentis ulla est mentio, nec ullum indicium est, quòd ibi de virgine agatur. Res etiam ipsa testatur, per virgam & florem idem significari, quod etiam testimonio Vatabli, viri, qui non postremum inter Doctores Pontificios locum jure tenet, comprobâram: qui, loco floris, de quo nescio quid Smiglecius somniat, surculum, ponit, &, idem bis dici, affirmat, & denique, quæ de Spiritu sancto dando dicuntur, non ad infantiam, sed ad tempus muneris illius refert. Vnde etiam constat, quàm verum sit istud *omnium sententia.* Nec dubito, quin alii etiam magis sobrii idem sentiant, tam inter Pontificios quàm Evangelicos.

Errores Smiglecii circa locum Esaiæ narrātur & refutantur.

Oecolampadius.

Contra id, quod dixeram, Christo spiritum sanctum datum fuisse in baptismo, unde constat, eum antea non fuisse spiritus S. plenitudine præditum, tantum id iterat, quod antea dixerat, & a me refutatum est, nempe *non ad implendum sed ad demonstrandum, quòd plenus eßet spiritu S. id totum factum eße, idque autoritate Augustini confirmat.* Videt igitur lector, quomodo se in disputando gerat Smiglecius. Non repetenda semel dicta, sed defendenda erant & comprobanda, idque autoritate divina non humana.

Smiglecius eadem repetit.

Dicit porrò, *nihil haberi de interna spiritus S. acceptione, imò neq; de datione, sed tantùm de visibili eius supra Christum, non intra Christum appari-*

apparitione & de eius supra ipsum, non intra ipsum permanentia. Sed nihil vetat, quo minus, per istam supra Christum apparitionem spiritus S., datio etiam & acceptio significetur, vel in ea includatur. Visibilis iste descensus spiritus S. Ioânis B. gratiâ fieri potuit, & procul dubio factus est: at ipse descensus & permanentia Christi causâ fieri potuit. Nam & datio donorum per descensum illorum significatur, & ea quæ supra aliquo manent, in ipso manere dicuntur. Hoc sensu Iacobus omne datum bonum, descendens esse ait a patre luminum. De Christo verò ipso legitur, quòd spiritus Domini super illum fuerit, pro eo quod intra ipsum fuerit. mox enim additur, *propterea quod me unxit*. Vnctio autem non nisi de interna datione accipi potest. Quo sensu etiam dicitur, iram Dei manere supra illos, qui non sunt obedientes filio, & pacem super illos qui incedunt secundum canonem (novæ creaturæ) pro eo, quòd in illis & ira & pax exeretur. Hîc etiam iterum oppono Smiglecio Iesuitæ Maldonatum Iesuitam, stipatum autoritate patrum antiquissimorum, Irenei, Iustini, Ambrosii, Hieronymi, qui senserunt, deo in Christum baptizatum spiritum S. descendisse, quia debuerunt impleri prophetiæ, quarum unam esse eam, de qua nunc agimus, ait idem Maldonatus, additis duabus aliis ex c. 42. 1. & 61. 1. & eam impletionem tunc fieri debuisse, ait, cùm Christus baptismo, quasi magisterio quodam initiatus fuit.

Descensus dationem, & mãsio super aliquem, mãsionem in illo significat.
Iacob: 1. 17.
Luc: 4. 18.
Ioan: 3. 36.
Gal: 6. 16.
Autoritates Pontificiorũ de causa descensus Spiritus S. in Christũ.

Quòd porro hactenus diximus de sanctitate Christi, idem etiam de sapientia sentiendum est, nempe eam semper quidem in Christo fuisse perfectam pro ratione ætatis, non tamen ita perfectam, ut augeri non potuerit. Auctam enim fuisse, disertè scriptura testatur. Nihili autem faciendum est, quod iterum *de actu & habitu sapientiæ* dicit Smiglecius, ut ex supra dictis videre est. Nec illud etiam curandum est, quod *supra naturam id a Deo concedi posse ait, ut in infantiam usus rationis cadat*. Nunc enim, non quid Deus facere & concedere possit, sed quid concesserit Christo, quæstio est. Maximè autem omnium illud contemnendum est, quod maximè videtur jactitare Smiglecius, *omnes Theologos fateri id Christo concessum fuisse, & affirmare non dubitare, Christum in ipso conceptionis momento Deum vidisse*. Hæc enim extra scripturam, imò contra scripturam & rationem sanam dicuntur, & a Smiglecio audacter quidem, sed admodum ineptè, dum est controversia, repetuntur.

De sapiẽtia Christi vera sententia.
Smiglecii de sapientia Christi infantis sententia refutatur.

Sed nunc iterum, Christum in infantia virum fuisse docere nititur testimonio Hier: dicentis: *& fœmina circundabit virum*. Ad id antea responderam, dici posse, quòd fœmina virum circumdederit, nec tamen ex eo sequi, Christum virum fuisse, quando cõceptus fuit. Vir

De loco Hier.

enim ob futurum tempus appellari potuit, quod ipsa vox Hebraica, quam alii virum fortem converterunt, suadet. Nunc verò quia id Smiglecius tantoperè iterum urget, dico, nihil prorsus ad rem facere hunc locum. Verba enim, ut aliter legi, ita aliter intelligi etiam possunt & debent. Sic enim alii ea legunt: *mulier circum ibit vel reducet vel ambiet virum*, nempe suum. Sensus autem, ex mente etiam illorum, qui idem cum Smiglecio de Christo sentiunt, est, quòd mulier, quæ pudorem prostituerat, mariti sui cupida, iterum amorem ejus obtentura sit, quod pro re certè nova haberi potest, præsertim si sensus mysticus attendatur.

Sensus illius.

Quòd verò Smiglecius, dum patrum nudam interpretationem, sine ulla ratione nobis obtrusam, rejicio, & huiusmodi explicationes s. literarum, argumento esse dico, quòd patres isti spiritu intelligentiæ, nempe s. literarum, privati fuerint, ita in me invehitur: *verum os tam impudens & sacrilegum in sanctos, suo tempore pœnas dabit, cognoscetque tandem, non sanctissimos viros & divino spiritu plenos, intelligentiæ spiritu præditos fuiße, sed infideles & impios Arianos, iusto Dei iudicio excæcatos a dæmone, lucē veritatis, quam totus mundus videt, aspicere non potuiße vel noluiße*, verba ista ex Theologi Doctoris ore excidisse, mirarer vehemēter, nisi perspectum haberem genium Iesuiticum. Is enim nihil non audet, maximè cum turpitudinem dogmatum suorum aliter defendere nequit; & vincere se non posse credit, nisi omnes præ se superciliosè contemnat, quod non tantùm adversarii illorum, sed etiam ipsimet Pontificii experti sunt. Sed age expendamus tamen, an, ita debacchari in me, Smiglecio licuerit, vel an ita debachandi causa illi data sit. Esto me patres convitiatum esse. Num hac ratione ii, qui errant vel etiam peccant aliqua in re, corrigendi sunt a Theologo? Nonnè si quid aliud, hoc ab Ecclesia Romana deterrere unumquēque non stupidum potest, quòd ejus Doctores, tantum in alios, sibi pares, arrogant imperium, ut impudentiam, sacrilegium, infidelitatem & impietatem eis pro libitu objiciant, & a dæmone excæcatos esse, dicere non erubescant? Iam verò si nihil tale commisi, quantus sit Smiglecii lapsus, (ut mollissimo utar verbo) omnes pii intelligent. Nihil autem me tale commisisse, cujus causâ ita tractari debeam a Doctore Pontificio, eoque vulgari sanè, judicare potest, qui veritatis amans est. Et primùm quidem accuso Smiglecium doli, qui partem meorum verborum eam omiserit, quæ hanc meorum verborum duritiem, si qua est, emollire saltem poterant, dum patres, de quibus id prædico, quòd spiritu intelligentiæ privati fuerint, *magnos alioquin & varia eruditione conspicuos*, ibidem appello.

Smiglecii verba castigantur.

Erranti vel peccanti non licet convitiari.

Smiglecii dolus.

pello. Deinde, id quod illis objicio, non est, tangere sanctos Dei, ut, rem suam exaggerans, ait Smiglecius. Nam sancti tunc tanguntur, cùm quis eos persequitur: sed est res libera in Christiana republica. Omnes enim sumus fratres, & alii aliis subjecti esse tenemur. Appello ipsum Smiglecium & ejus collegas. Bellarminus quàm confidenter in ipsis patribus multa castigat, multa reijcit. Maldonatus etiam, qui instar multorum esse debet, quàm liberè post enumeratas patrũ plurimorum, & interdum omnium, explicationes, ex aliquot & pluribus interdum, unam tantùm veram esse pronunciat, & reliquas sectari tantùm non prohibet. Quod dum facit, nonné intelligentiâ sacrarum literarum (nam de hac & non alia ego loquor) eos privatos fuisse, tacitè contendit? Adde, quòd verba mea, indefinitè posita, non omnes prorsus, sed plerosq; comprehendunt. Novimus enim, ut ex ipso Maldonato, qui diligenter eorum sententias & sensus collegit, constat, ex multis unum tandem reperiri atq; alterum, qui plerumq;, quod res est, dicunt, & rem acu tangunt, adeò ut rara sit explicatio nostra, quæ non habeat autorem aliquem ex Patribus. Expendat igitur ista lector, & justum adhibeat super ea judicium.

Sanctos tangere est, eos persequi.

Licere Patrum sententias probare.

Patres non omnes esse pares.

Quòd verò Smiglecius ait, *patrum expositiones toti mundo esse perspectas, & tamen non risum sed admirationem devotionemq; excitare apud pios omnes*, in eo frustra ponit præsidium. Nam, potissimæ hominum parti istiusmodi explicationes esse incognitas, certius est, quàm ut probatione egeat: in iis verò, qui eas perspectas habent, quomodo admirationem & devotionem excitare possunt, si eas non magnifaciant, & interdum merè reijciant, interdum verò tolerandas tantùm ob autoris reverentiam censeant? Et plùs hic valere debet unius atq; alterius scriptoris Pontificii, quàm aliorum multorum millium, judicium. Hi enim plerumq; ex aliena pendent autoritate, & ita sunt emancipati, ut ne mutire quidem audeant, quantumvis interdum aliquid, vel multa etiam, improbent: illi verò suspecti esse minimè possunt. Cur enim, Pontificii cùm sint, patrum Pontificiorum explicationes rejicerent, nisi eas a veritate & sensu sacrarum literarum alienas esse perspicerent. *Arianorum commentationes orbem Christianum non modò execratum esse, sed etiam anathemati subjecisse*, ad nos nihil quodammodo pertinet; &, si expendatur, vilissimùm argumentum censendum est. Nonné enim tam antiquiores Ecclesiæ quàm recentiores, quæ a Pontificiis secessionem fecerunt, eosdem execrantur, & anathemati saltem in quibusdam subjecerunt? Ergo certandum erit Christianis inter se fulminibus & anathemate? Quid verò, de nostrarum Ecclesiarum explicationibus sacrarum literarum, sentiendũ sit,

Vana Smiglecii dicta.

Vnius scriptoris judicium cur multorum aliorum judicio præponendum.

Iudicia hominum in religione parum esse curanda.

rectiùs, ut ſpero, judicabunt pii & cordati, ſi aliquando prodierint. Hactenus enim alienas explicationes potiùs refutamus, noſtras etiam, non niſi ex accidente, interdum proponimus. Sed hæc hactenus.

Quæ deinceps *de exultatione ipſius Ioannis in utero matris* diſſerit, &, *quòd ejus exultationis reſpectu a pleriſq; maximus prophetarum meritò dicatur, quòd non ſolum extra uterum, ut alii prophetæ, ſed & in utero prophetarit*, nonné iterum digna ſunt quæ exſibilentur, nedum ut æquis auribus audiantur? ut pote quæ nuda tantùm affirmatione & humana autoritate nitantur. Et tamen non vult dici Smiglecius, hujuſmodi explicationes riſum hominibus moturas, ſi in unum colligerentur. Miror autem, Smiglecium dicere auſum fuiſſe, Ioannem *a pleriſq;* propterea maximum prophetarum appellari, quòd in utero, prophetârit, cùm Maldonatus, qui accuratè ſemper ſententias patrũ enumerat, omnes interpretes, nemine prorſus excepto, verba illa de ſanctitate Ioannis intelligere (quanquam ego id verùm eſſe non ſtatuo. potiùs enim de ſcientia rerum divinarum accipiendum eſt) affirmet, cujus ego autoritatem Smiglecio jure opponere & eum illâ premere poſſum. Quantum autem firmitatis ſit in eo, *quòd Ioanns, in utero matris exiſtens, Chriſtuma in utero etiam matris exiſtentem, cognoviſſe dicitur*, vel hinc apparet, quòd Ioannes jam natus & adultus de ſe fatetur, quòd Chriſtum prius non noverit, quàm Spiritum S. viderit deſcendentem & manentem ſuper illum.

Ygnorantia Smiglecii craſſa.

Ioan. B. cur maximus prophetarum.

Ait Smiglecius, *non neceſſe fuiſſe, ut iſta notitia in Ioanne perduraret, quia ex certa occaſione præter ordinem rerum effecta, non neceſſe ſit, tranſacta occaſione, perſeverare.* Sed ad rem non loquitur. Poteſt quidem iſta actio, quæ, ex certa occaſione, prẹter ordinem rerum accidit, non ſemper durare: ſed notitia illius rei, quam quis ſemel cognovit, non poteſt ulla ratione perire in eo, qui illam cognovit, niſi ipſam ſimul rationem & memoriam perdat, & ex rationali brutum fiat animal. Itaq; exemplum aſinæ Balaam nihil huc facit. Non mirum enim eſt, animal, quod ad tempus miraculoſo modo loquitur, poſtea non loqui, & redire ad naturam ſuam irrationalem. vix enim aliter fieri poſſe videtur, niſi natura rerum mutetur, quod Deus raró tantùm & ad breve tempus facere ſolet: ſed ſemel aliquid alicui revelari, & deinde aliquem iterum illius notitiâ privari, opus eſſet divinâ ſapientiâ prorſus indignum. Nec etiam Prophetarum exemplum huc facit. Licet enim non ſit neceſſe, ut ſpiritum prophetiæ ſemper retineant deinceps: tamen dici non poteſt, eos id, quod ſemel prophetârunt, poſtea eſſe oblitos, & prorſus ignoraſſe. Quod de Ioanne Baptiſta tacitè fatetur Smiglecius.

Actionem ceſſare poſſe, at non notitiam alicujus rei.

Naturam rerum Deum raró & ad breve tempus mutare.

Iam

Iam cùm profeciſſe Chriſtus dicitur ſapientiâ, & Smiglecius id *tantùm de demonſtratione ſapientiæ interioris* intelligit, idq; locis ſacrarum literarum, quorum alter aſſerit, Chriſtum plenum fuiſſe ſapientiâ, alter plenum gratia & veritate, comprobat, non eſt neceſſe, ut quicquam hic reſpondeam ampliùs. Nam in priore reſponſione cap. 21. multò fuſiùs & accuratiùs tradita ſunt iſta omnia, quàm hîc tractari poſſint. Falſum autem eſt, Chriſtum demonſtratione tantùm ſapientiæ creviſſe. Ita enim crevit ſapientiâ ut ætate & gratiâ apud homines. Plenus ſapientiâ dici potuit, quia nihil unquam illi defuit ad ſapientiam: ſed pro ratione ætatis. Quia verò poſtea legitur, eum profeciſſe ſapientiâ, auctio, ut ætatis, ſic etiam cum ætate ſapientiæ indicatur. Plenitudo gratiæ & veritatis de Chriſto prædicatur, poſtquàm inter Apoſtolos vixit, qui gloriam illius viderunt, gloriam tanquàm unigeniti a patre. ergo nõ in conceptione, ſed in munere Chriſti ea apparuit.

Chriſtus crevit ſapientiâ ita ut ætate, & gratiâ apud homines.

Plenitudinem etiam gratiæ & veritatis, differre a ſapientia in loco citato, docuimus, quæ ſi legere aliquem non pœnitebit, vera me dicere, puto, agnoſcet. Smiglecius perfunctoriè aliquid ad quædam, omiſſis non paucis, ſuo more, reſpõdens, ait, verba illa, *plenum gratiæ & veritatis*, per ea, *Deum nemo vidit unquam* &c. ibidem mox explicari. Sed nihil hoc juvat Smiglecium. Nam inveſtigandum relinquitur, quid ſit illud, quod Chriſtus nobis de Deo enarravit; &, ſi res bene expendatur, apparebit, id aliud nihil eſſe, quàm promiſſa & præcepta illius, quorum illa per gratiam, hæc per veritatem exprimuntur, & legi opponuntur; in qua, loco gratiæ, minæ; loco præceptorũ ſolidorum, ea, quæ umbra ſunt ſolidorum, ceremonialia vigebant. Nec quicquam valet, quod Smiglecius ait: *nos nomine gratiæ intelligimus omnem gratiam*. Non enim, quid Smiglecius intelligat, ſed quid intelligere debeat, nunc quęritur. Non omnem autem gratiam hîc intelligi, ſed eam, quæ in benignitate & promiſſis Dei conſiſtit, ipſa antitheſis legis ſatis ſuperq; docet.

Gratiam non differre ſapientiam.

Sed tandem argumentatur Smiglecius in hunc modum: *Pater quia diligit filium, nulla dona ei denegavit. Ergo nec ſapientiam, nec ſanctitatem*. Repello ſtatim, Ioannes de eo tempore loquitur, cùm Chriſtus adultus, & ob ſimilitudinem cùm Deo filius Dei eſſet, quod verbum ipſum, *diligit*, & præcedentia, quibus de miſſione Chriſti, & ejusdem prædicatione ſermo eſt, indicant: Smiglecius verò de tempore, cùm Chriſtus infans eſſet, iſta verba accipit. Iam licet tunc etiam Chriſtum Deus dilexerit: tamen longè alia id ratione poſtea fecit, cùm Chriſtus muneris ſui functionem aggreſſus eſt.

Dilectio patris erga Chriſtum diverſa pro pro diverſis temporib⁹.

De po-

De potestate Christi infantis disserturus Smiglecius, tantùm hoc affert, quòd salvator appellatus sit, quod, cum uno verbo facile refutari posse, sciret, quòd scilicet ob prædestinationem ita appellari potuerit, ita causam suam defendere nititur: *non solum tunc quis salvator reipsa est, cùm ultimam quasi manum operi imponit, sed & tunc, cùm salutem procurare incipit, & cum eam potestatem habet, ut per media certa salutem hominibus afferat, etiamsi ea potestate ex causa non statim utatur.* Prius facilè concedimus, in Christo autem infante locum habere negamus: posterius partim verum, partim falsum esse censem⁹. Credimus enim, eum esse salvatorem, qui potestatem habet, ut per media certa hominibus salutem afferat: at eum, qui ista potestate non utitur, negam⁹, salvatorē esse reipsa, sed prędestinatione tantùm servatorē esse dicim⁹. Audiamus quomodo a se dicta probet Smigl:.

Quis sit reipsa Servator.

Primùm, *Christum infantem ait salutem nostram reipsa operari cæpisse, cū participavit carni & sanguini.* Sed hæ nugę sunt. Iesus enim homo participavit carni & sanguini. Iesus autē homo non fuit antequā nasceretur? Pręterea ita Christus participavit carni & sanguini, ut etiam fideles carnis & sanguinis participes factos esse testatur idem autor. Fideles autem non participârunt carni & sanguini, quatenus nati, sed quatenus afflictionibus obnoxii sunt. Qua de re fusè explicavimus in responsione ad libellum Smiglecii, *verbum caro factum.*

Participationem carnis & sanguinis homini Christo competere.

Deinde ait Smiglecius, *Christum ab ipsa nativitate pro nobis multa pati cæpisse, quia, teste Paulo, pro nobis egenus factus sit, cùm esset dives, ut ipsius inopiâ nos divites essemus.* Sed & hæ nugæ non minùs sunt, nisi doceat Smiglecius, Christum, cùm natus fuit, factum esse egenum, quod nunquam probabit. Factus est autem egenus vel mendicavit, ut vox græca sonat, pro nobis, quando nostri causâ varias afflictionēs & mortem subiit.

Christus homo factus egen⁹, cùm passus est.

Tertiò ait, *Christum ea potestate usum esse, cùm Ioannem adventu suo spiritu S. replevit & exultare præ gaudio fecit.* At & hæ nugæ sunt, ut paulò antè dictum est.

Quartò ait, *Christum cum hac potestate venisse in mundum.* Heb: 10. 5. Sed nec de adventu in hunc mundum in loco citato sermo est, ut alibi, hoc est, in responsione ad libros duos, a nobis demonstratum est; &, ubi de adventu Christi sermo est, ut in loco ad Tim: per adventum Christi in mundum, infantiam ejus denotari, non nisi imperitè, dicitur. Disertè enim Christi nativitas & adventus in mundum discernitur, & illa huic anteponitur. Qua de re alibi fusè egimus & infrà iterum agemus.

Adventus Christi in mundum & ejus infantia, diversa sunt. Ioan: 18, 37.

Certum igitur est, Christum nec salutem, quam expectamus, nec

rationem

rationem salutis, quæ nobis in hac vita contingit, cuiquam dedisse aut ostendisse, quamdiu infans fuit; & error est crassus nimis, dicere, *Christum infantem servaße eos, qui in ipsum credebant.* Vt enim nemo in ipsum credidit, quamdiu infans fuit, sic etiam is neminem servavit. Dicere verò, *quòd Christus non nisi per mortem suam, & suum in cælos aßcensum statuerit hominibus salutem conferre, & hoc sapientiæ illius & voluntati aßcribendum, non potestatis defectui,* est sententias dicere s. literis prorsus contrarias, & nihil cum sana ratione commune habentes. Non enim Christus, sed Deus pater, statuit hominibus salutem conferre, per Christi mortem & exaltationem: & patris, non Christi, istud totum sapientiæ & voluntati asscribendum est. Dicere denique *Christum, si absoluta potestate voluißet, procul dubio sine sanguine & morte nos a damnatione liberare, & gloria cælesti donare potuiße,* est literis sacris contradicere, & statum quæstionis mutare. Testantur enim s. literæ, Christum in eum finem mortuum esse, resuscitatum, & vivificatum, ut mortuis & vivis dominaretur. Nec nunc quæstio est, an Christus sine morte nos salvare potuisset, si ita Dei voluntas tulisset: sed, an Christus infans nos servare potuisset, hoc in quæstione versatur.

In Christum infantem neminem credidisse, & cum neminem servasse

Dei Patris decreto & voluntati salutem tribuendã.

Christũ sine morte nos servare nõ potuisse.

De Christi porrò immortalitate disserturus Smiglecius, ingentes iterum & multiplices errores effutit, & tamen nihil proficit. Dicit, *Christum, non nisi salutis nostræ caußa, corpus mortale accepiße, alioquin immortale futurum, si salutis ratio id non poposcißet.* Fabula est, Christum corpus accepisse, nempe sponte sua. Dei enim virtute conceptus & natus fuit. Fabula non minor est; Christi corpus immortale futurum, nisi salutis ratio id poposcisset. Cùm enim Christus homo verus, &, quoad naturam, nostri similis fuerit, necessarium est, ut, quemadmodum omnes homines naturaliter moriuntur, sic etiam Christus mortalis fuerit. Christum potuisse non mori, nisi id salutis nostræ ratio poposcisset, verum est: sed aliud est, potuisse eum non mori, & non potuisse eum mori. hoc enim est, immortalem esse. Itaque prorsus falsum censendum est, quod ex his collectum ad marginem asscripsit, *Christum voluntate, non necessitate, mortalem fuiße.* Necessitate non volũtate Christ^v mortalis fuit, at rursus voluntate tales & tantas afflictiones & tam horrendam mortem subiit, non necessitate, nempe absoluta. Poterat enim absque istis afflictionibus & absque ista morte talis evadere, qualis nunc est. Aliàs autem dicendum est, Christum necessitate comparata afflictiones istas & mortem subiisse, quatenus scilicet decretum Dei immutabile intercesserat, cujus respectu dicitur in s. literis, oportuisse Christum pati & intrare in regnum suum.

Christum Dei virtute natum esse.

Christum natura mortalem fuisse.

Posse non mori, & immortalem esse, differunt.

Christus necessitate mortalis, voluntate mortem crucis obiit.

Christus & voluntate & necessitate mortem obiit.

Quàm inepta tandem sit ad hanc rem loci Hebr. 2. 14. *quia pueri communicârunt carni & sanguini, & ipse similiter participavit eisdem,* accomodatio, ex paulò antè dictis, & clarissimè ex eo, quod de loco isto nuper scripsimus in refutatione libelli Smigleciani, *verbum caro factum*, intelligi potest.

Alia porrò ratione Smiglecius, Christum tale corpus habuisse, docere nititur, *quia Deum ab infantia sua viderit*. Si interrogem, quod me facturum, Smiglecius non nescivit, unde constet, Christum ab infantia sua Deum vidisse? nihil ad probationem aliud attulit Smiglecius, quàm quòd id ex dictis constet. Timida sanè & obscura probatio. Nihil enim hactenus dictum fuit a Smiglecio, unde vel per speciem colligi possit, Christum ab infantia sua Deum vidisse; Et si alicubi legeretur, vel aliunde colligi posset, quid hoc ad rem faceret? nisi probetur Christum ab infantia ita Deum vidisse, quo nunc eum videt. Talis enim visio gloriam simul importat. Hoc vero Smiglecius probare nunquam poterit. Iam si alio modo, videre Deum accipiatur, nempe impropriè, pro experiri eum propitium, id nihil ad gloriam etiam statuendam facere, nemo non intelligit, cùm id etiam de aliis hominibus piis, mortalibus adhuc existentibus, dici possit. Quanquam ista etiam impropria loquendi ratio, ad Christum infantem, non nisi nimis impropriè accomodari potest, quatenus scilicet Deus illius curam semper gessit accuratissimam. Alioquin enim, non nisi de iis, dici potest, quòd Deum videant, qui ipsi sentiunt Deum esse propitium, quod, de infantibus dicere, sana ratio prohibet, nec diversum testantur f. literæ.

Non omnis visio Dei immortalitatem infert.

De quonam verè dicatur, quòd Deum videat impropriè.

Sucedit nunc quæstio de statu corporis Christi post resurrectionem, antequam in cœlos ascenderet. Smiglecius, immortale corpus Christi tunc fuisse, asserit: nos negamus. De caussis negationis nostræ videbimus postea. Smiglecius & ante & nunc, illud primùm citat, quòd Paulus ait, *Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur, mors illi ultra non dominabitur.* Dixeram ego primùm, hîc non describi tempus definitè, quando Christus sit factus immortalis, sed tantùm dici, eum, qui est resuscitatus, (est enim in græco ἐγερθεὶς), factum esse immortalem. Quando autem id factum sit, aliunde esse petendum. Smiglecius quid? *Quis non videt*, ait, *illis verbis, resurgens ex mortuis, indicari tempus, quo non moritur?* &c. *Idcirco enim resurrectionis meminit, quia per resurrectionem id effectum est.* Egregia sanè probandi vel potiùs nugandi ratio. Resurrectionis meminit, cùm de Christi immortali corpore agit. Ergo propter ipsam resurrectionem Christus immortale corpus habuit. Quasi verò non possit causæ interdum

De loco Rom: 6.

Interdum causæ remotiori effectû tribui, qui est propioris.

dum remotiori effectus tribui, qui propiori tribui debet. Quanquam verba Smiglecii etiam sunt captiosa. Nam pro eo,quòd dicere debebat,Christum in ipsa resurrectione factum esse immortalem, dicit,eum per resurrectionem talem esse factum. Nemo verò non intelligit,non tantùm de re,cujus vi & efficacia,sed etiam,qua interveniente tantùm aliquid fit,dici posse, per eam aliquid fieri, ut locus a Smiglecio allatus testatur: *per mortem destruxit eum qui mortis habebat imperium*. Nec enim vi ipsius mortis, sed, morte interveniente, per Christi divinam potestatem, id factum esse, per se manifestum est. Adde,quòd per resurrectionem solam sæpenumero, in sacris literis, tota Christi exaltatio & tota fidelium felicitas intelligitur. Vnde cõstat Paulum disertè affirmare,Christum postquàm exaltatus fuit,jam non mori amplius; & nihil juvare Smiglecium vocem *ultra*, siquidẽ ab exaltatione numerari illud tempus debeat.

Aliud est, Christum in resurrectione factum esse immortalem,& aliud per resurrectionem.

Resurrectio quãdoque pro Christi exaltatione sumitur.

Dixeram etiam,Paulum,cùm ista scriberet,jure sic locutum fuisse. Tunc enim Christus in cælis erat,& non in terra : nos verò nunc de eo agere, quale Christi corpus fuerit post resurrectionem in terra existens. Ad hoc Smiglecius, *quid ineptius? Non enim Paulus tempus suæ scriptionis sed tempus resurrectionis commemorat*, *quo ait*, *Christum redditum immortalem*, *ita ut sensus sit*, *postquàm excitatus est a mortuis*, *mori amplius non posse*. At hoc & sophisticari est, & nihil dicere. Non enim ego dixi, Paulum tempus suæ scriptionis commemorare: sed dico de Paulo, quòd tunc ita locutus sit de Christo,cùm ista scriberet.Cùm autem ista scriberet,Christum non in terra sed in cælo fuisse.Sensum verò loci dicere,non est verùm docere,sed,deposita persona disputantis, magistri sumere. Quanquam & ille sensus nihil ad rem facit. Iam enim docuimus, quomodo jure dici possit, Christum, postquam excitatus est a mortuis, jam ampliùs non mori. Christum autem resurgendo, vel ipso actu resurgendi, morti dominari cæpisse & mortem occidisse, vel nuspiam legitur,vel non nisi Metonymicos intelligi potest.Nam verba Oseæ: *ero mors tua,ô mors*, tantùm docẽt, Christum(ut nunc ea de Christo dicta esse concedam)futurum mortem morti: sed, an in ipsa resurrectione hoc factum sit, non indicant. Verba verò Hebr. 2. 14. *per mortem destruxit eum*, *qui habet imperium mortis*, ita accipi possunt & debent, quòd, morte interveniente illud factum sit,ut antea docuimus.

Christum, resurgendo morti dominari cæpisse, quo sensu dici possit.

Dixeram secundò, *non quòd futilia hæc mea priora responsa animadvertissem*, ut nugatur Smiglecius,sed ut infirmitatem argumenti Smigleciani tantò copiosiùs ostenderem. Nam, qui utramque præmissarum falsam esse docet, is fortiùs semper rem urget, quàm qui

Duplici responsione argumenta solvi fortiùs.

qui alterutram tantùm;dixeram,inquam:Si verba Pauli ad id tempus accommodentur, quo in terra Christus fuit post resurrectionem, nō sequi ex illis,Christum tunc fuisse immortalem. Differre enim, non mori, vel mortem alicui non dominari; & natura immortalem esse. cùm & illi, quos Christus vivos offendet in adventu suo, non sint morituri,nec mors eis dominatura,& tamen non sint futuri immortales naturâ.idq; vel hinc patere,quòd sunt mutandi.Mutandi autem non essent, si essent naturâ immortales. Hîc Smiglecius primùm ait, *me mentem Pauli non intelligere*. At hoc non est ad argumentum respondere, sed adversarium ludificare & suam ignorantiam prodere. Quanquam & ipsa mentis Paulinæ explicatio aliud nihil est, quàm nuda ejus, quod antea diluimus, assertio, vel potiùs veritatis tacita confessio. Dum enim ait, *Paulum indicare, resurrectionem Christi esse caußam, propter quàm nec moritur nec mors illi dominatur*, nonné confirmat id,quod ego antea dixi, nempe,interveniente Christi resurrectione, id factum esse.Multò verò magis illud idem confirmabitur,si per vocem resurrectionis,totum illud intelligatur,quod resurrectionem Christi consecutum est.

Artificium Smiglecianum.

Smiglecius pro nobis sententiam dicit.

Deinde ait, *verum non futurum fuiße, mortem Christo non dominaturam, si in natura mortali resurrexißet*. Sed jam illud refutatum est. Nunc hoc addo ad rem explicandam. Duplici modo dici potest, mortem alicui non dominari, vel quia naturâ talis sit, qui mori non possit,vel quia decretum Dei intercesserit,ut, etiamsi mortalis sit, nō moriatur tamen. Iam, etiamsi de Christo, priori modo, dici non potuerit,quòd mors illi non dominata fuit,post ipsam resurrectionem: dici tamen potuit posteriori modo. Et sanè rectissimè dicitur, eum non dominari alicui,de quo decretum est,ne unquam dominium suum in aliquem exerceat. Perinde enim est, ac si nullum dominium haberet, cùm hæc in actu sita sit.

Duplici modo dici posse, Mortem alicui non dominari.

Tertiò ait, *Christi resurrectionem eße exemplar nostræ resurrectionis, & nos ad similitudinem Christi resurrecturos. Nos verò resurrecturos ad vitam immortalem, Ergo nec Christum resurrexiße, nisi ad vitam immortalem*. Sed & hoc antea tractatum fuit & dilutum. Dico tamen iterum, Smiglecium id simpliciter accipere, quod secundùm quid dictum est. Non simpliciter enim & omni ex parte Christi resurrectionem nostræ resurrectioni parem esse necesse est, si illa hujus exemplar sit. Satis enim est ad id, si Christi resurrectio nos confirmet de nostræ resurrectionis certitudine, & tam verè nos resuscitatum iri, quàm verè ille resuscitatus est,doceat. Qua ratione Paulus perpetuò argumentatur in priori parte 1. ad Cor. 15. De modo autem resurre-

Smiglecius eadem repetit.

Quatenus Christi resurrectio nostræ sit exemplar.

ctionis

ctionis nostræ, in posteriori capitis istius parte, disputans, jam non Christum, qualis fuit, dum in terris esset, etiam post resurrectionem, sed qualis nunc est in cælo, proponit, & nos in resurrectione similes Christo exaltato futuros, graviter pronunciat. Nec mirum. nulla enim causa est, cur nos in resurrectione eandem, quam nunc habemus, naturam consequamur: causa verò fuit maximi momenti, cur Christum in eadem natura mortali resuscitari, Deus voluerit, ut scilicet, per 40. dies in ea natura cum Apostolis conversans, sufficienter eis fidem faceret, se verè ex mortuis esse resuscitatum. Ambiguitatem verborum Smiglecii, *quòd Christus ad vitam immortalem resurrexerit*, non exagito. Videt enim quivis intelligens, quàm non possit non indulgere ingenio suo Smiglecius, &, variè terminos mutando, fucum facere. Non enim quæstio est, an Christus ad vitam immortalem resurrexerit, sed an cum vita immortali resurrexerit: Imò ista phrasi, quâ aliis imponere voluit Smiglecius, causam suam destruxit. Nam qui ad vitam immortalem resurrexerit, de eo supponitur, quòd resurrexerit sine vita immortali, ut suprà etiam de Adamo docuimus, quòd, quia ad immortalitatem creatus fuit, eo ipso mortalis creatus fuisse, tacitè dicatur. Sed quia etiam de nobis eadem phrasi utitur, apparet, eum, si fallere noluit, saltem non satis cautè locutum esse. Illud tantùm digito ostendo, quòd causam reddens, quare Christus sit primogenitus mortuorum, primùm id dicit, quod res est, nempe Christum primùm ad vitam immortalem resurrexisse: deinde verò errore suo veritatem infecit, dum ait, *Christum primùm seipsum a potestate mortis eripuisse*. Hoc enim, quàm ex diametro pugnet cum sacris literis, nemo non perspicit. Nonné enim, ut alia infinita taceam, legitur, Christum preces & supplicationes, cum clamore valido & lachrymis obtulisse ei, qui illum poterat servare a morte?

Modus resurrectionis nostræ, ex Christo exaltato colligendus.

Immortalem & ad immortalitatem resurgere contraria sunt.

Smiglecius vera falsis miscet.

Heb: 5, 7.

Quartò Smiglecius probat, Christum post resurrectionem statim corpus habuisse gloriosum, *quia clauso sepulchro egressus sit, & ad discipulos clausis ianuis venerit, & cùm esset ante invisibilis, repente in in medio eorum steterit, & se videndum præbuerit, ita ut conterriti putarent se Spiritum videre*. Sed primum istorum falsum est. Expressè enim ita legimus: *Et ecce terræ motus factus est magnus. Angelus enim Domini descendit è cælo & accessit, & revolvit lapidē ab ostio*. Quod, si Christus iam ante resurrexisset, quàm ab Angelo lapis revolveretur, fieri nullo modo opus fuisset, nec etiam factum fuisset. Alterum ambiguè dictum est, vel saltem obscurè. Nam verba, *clausis ianuis*, intelligi possunt & debent, de tempore, quando Christus venit, non de modo, quo venit. Modus autem, quo venit quinám fuerit, ibi non exprimitur. Ni-

Christum aperto sepulchro egressum esse.
Matth: 28. 2.

Quo sensu dicitur, Christum, ianuis clausis ad Apostolos venisse.

tur. Nihil autem obstat,quominùs Christus,qui clausis ianuis venerat, reclusis & apertis ianuis, introierit, sive id modo ordinario, qui non est descriptus,sive etiam miraculoso,factum sit.Nam & de Apostolis,qui immortalia&gloriosa corpora non habebant,legitur,quòd Angelus Domini per noctem ianuas custodiæ aperuerit, & eos ita eduxerit,ut nemo illud observare posset.Paulò enimpost additum legimus a ministris: *Quod quidem carcerem invenimus clausum cum omni diligentia,& custodes stantes ante ianuas, cùm verò aperuimus, intus neminem invenimus*, & de Petro,scriptum extat,quòd,angelum sequens ex carcere transierit custodiam primam & secundam, & venerint ad portam ferream,quæ ultro illis aperta est. Smiglecius verò,qui ea ita accipit,*quòd Christus fores clausas penetrarit*,id dicit,quod neque cum verbis neque cum veritate convenit. Aliud enim esse clausis ianuis venire ad aliquem, & per ianuas clausas transire, communis ratio testatur.

Act: 5.23. & 12.10

Tertium denique infirmum prorsus censendum est ad hujus rei probationem. Tantum enim ex eo inferri potest, Christum, non eo prorsus modo, conversatum fuisse cum Apostolis post resurrectionem, quo ante resurrectionē, hoc est,non ita perpetuò habitasse,sed modò his modò illis, modò hac modò illa forma, modò hîc modò alibi apparuisse: aliam vero fuisse Christi ita apparentis naturam, id verò ex eo minimè consequitur. Possunt autem, meo quidem iudicio,caussæ non minimi momenti afferri,cur,ita Deus Christum cum Apostolis & aliis fidelibus conversari voluerit, quemadmodum & ejus, cur dicatur clausis ianuis venisse & stetisse in medio Apostolorum, si nunc commentarium scriberemus, & satis non esset,infirmitatem consequentiarum Smiglecii ostendisse.

Cur Christ⁹ post resurrectionē apparuisse dicatur.

Iam porrò, *dum me scripturis apertè repugnare ait*, *qui dicam eos non morituros,quos Christus in adventu suo vivos offendet, & non verum esse contendit, Christum in suo adventu aliquos inventurum vivos*, equidem miror ruditatem Smiglecii in rebus divinis non vulgarem.Nonné enim aperta sunt ss. literarū testimonia,quæ hoc affirmant? Paulus ait: *Ecce mysterium vobis dico: omnes quidem non obdormiemus, omnes autem immutabimur*, sic enim habent exemplaria græca ferè omnia. Et,hanc lectionem sequendam esse, pluribus ostendi posset,si res postularet, vel potius si ab aliis id præstitum non esset. Sanè sola vox mysterii alias lectiones rejiciendas esse suadet.Nihil enim,quod hac voce dignum sit, in illis continetur: Hoc verò, quòd non omnes sint obdormituri fideles, omnes tamen immutandi, verè mysterii nomine appellari meretur, & evidentissimum eius rei,quam Paulus, proban-

Christum in adventu suo vivos inventurum.

1. Cor: 15.51.

Qualis loci 1. Cor: 15. lectio.

probandam susceperat, argumentum est. Nam si ii etiam, qui vivi reperientur in adventu Christi, mutari tamen debent, quantò magis necesse est, statuere id de illis, qui iam ante vivere cessârant. Ad hunc locum addo alterum ejusdem Pauli dicentis: *Mortui in Christo resurgent primùm. Deinde nos qui vivimus, qui relinquimur, simul cum illis rapiemur in nubibus obviam Domino in vera* &c. Quæ verba itidem expressè asserunt, Christum in adventu suo inventuros vivos, eosque non morituros, (alioquin non possent opponi illis, qui in Christo mortui resurgent,) sed tantùm raptum iri in aëra cum illis, qui resurrexerunt. Mirum est autem, quanta sit Smiglecii audacia, quanta perversitas. Nam, citans hunc locum, & ex eo absurdam suam sententiam probaturus, hæc tantum verba asscripsit: *Primùm resurrecturos eos, qui mortui sunt in Christo, deinde nos qui vivimus*, sequentibus prorsus omissis, quasi scilicet Paulus dicat, primum resurrecturos eos, qui mortui sunt in Christo, deinde nos resurrecturos, qui vivimus. Quod quàm falsum sit, sola Pauli verba, quæ integra modò asscripsi declarant. Is enim, omnes fideles in æternum victuros demonstraturus, mortuos per resurrectionem, vivos per raptum in cœlum, id consecuturos luculenter ostendit. Hæc sunt loca scripturæ clarissima, quæ, quod scripturæ directè repugnare ait Smiglecius, expressè continent: nec opus erat divinare Smiglecio, quod locus 2. Tim: 4.1. in errorem me impulerit, in quo affirmatur, Christum judicaturum vivos & mortuos, siquidem ego id nusquam dico. Quanquam ex illis verbis etiam Pauli illud idem colligi possit, adhibitis illis, quæ antea ex eodem Paulo citavi.

1. Thess. 4. 16.

Audax Smiglecii licentia.

Fideles diverso modo vitam æternã consecuturos.

Smiglecii verò sententia, *quòd Christus sit iudicaturus tam eos qui iam mortui sunt, quàm eos qui modo vivunt*, quia nullo s. literarum testimonio, nulla ratione confirmatur, indigna est quæ admittatur. Quàm etiam sit inepta, ex iis, qui hactenus diximus, apparet. Non includit enim omnes vivos, quos Christus servaturus est, siquidem vivi alii futuri sunt, præter eos, quę nunc vivunt ante Christi adventũ, teste Paulo. Adde, quòd satis fuisset dicere, Christum judicaturum omnes homines, vel omnes mortuos tantùm. Nam, ex mente Smiglecii, nulli erunt vivi, cùm Christus venerit, &, qui nunc sunt vivi, paulò pòst erunt mortui, vel saltem tunc ante adventum ejus morientur.

Sententia Smiglecii de vivis a Christo judicandis refellitur.

Sed videamus, quibus rationibus motus, hanc sentiam sequatur Smiglecius. *Scripturæ*, ait, *omnes esse morituros clarissimè pronunciant, & post mortem judicium secuturum*. Quęnam sunt illæ? *Sicut in Adamo omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabũtur*, &c: *sicut per peccatum*

Rationes Smiglecii examinãtur.

tum mors in omnes homines pertransiit, &c: statutum est homini semel mori, post hoc autem, judicium. Primùm dicere non debuit *omnes* scripturas pronunciare omnes esse morituros, cùm tam paucas attulerit. Deinde dicere non debuit, scripturas *clarissimè* pronunciare, omnes esse morituros, morte scilicet hac naturali. Hoc enim, non nisi per consequentias, ex his locis deduci potest, ut mox apparebit. Consequentia autem, eo ipso, quòd consequentia est, non est ex rebus clarissimis. Porrò affingere non debuit locis s. literarum tam alienum a proposito & a veritate sensum. Verba enim Pauli Rom: 5. 12. non de morte naturali, de qua nunc disputamus, sed de morte necessaria & æterna loqui, perpetuus vocis mortis usus, satis superque ostendit, & ipsemet Paulus c. 6. explicat, dum mortem ait esse stipendium peccati. De morte autem eum loqui æterna, præter alia non pauca, oppositio vitæ æternæ exigit, dum ait: *stipendium peccati mors est, gratia autem Dei vita æterna in domino nostro Iesu Christo.* Locus etiam Hebr: 9. de morte non tantùm naturali, sed æterna intelligi potest. Patet id ex eo, quòd non opus fuerit, constituere, ut homo moriatur morte naturali, siquidem naturâ mortalis fuit. Deniq;, etiamsi in omnibus locis de morte naturali sermo esset, nihil tamen ad rem facerent. Nã vox *omnis* non universaliter sed generaliter accipienda est, de iis omnibus, qui ante Christi adventum futuri sunt. (Nam Enochum & Eliam mortuos non esse, bene constabat autori epistolæ ad Hebræos; quemadmodum & illud, quòd, quos Christus vivos offendet in adventu suo, non sunt morituri) Idq; vel ex eo patet, quod vox *omnis* in membro sequenti, *ita & in Christo omnes vivificabuntur*, solos fideles significat. Nec enim vox, *vivificabuntur*, adeos referri potest, qui vitâ æternâ & gloriosâ privabuntur, imò per vivificationem semper vita illa gloriosa intelligitur, ut ex non paucis testimoniis hæc aliquot indicant. Et certè si quis rem paulò attentiùs expẽdat, agnoscet, Paulum tantùm de illis omnibus agere, ad quos, respectu salutis illorum, pertinet exemplum resurrectionis Christi. Resurrectio autem Christi ad eos pertinere non potest, qui, ut idem Paulus in eodem cap. ait, non obdormient, sed tantùm mutabuntur, idq; in momento, in ictu oculi, ut ibidem additur. Adde, quòd Paulus non de eo loqui censendus est, quod necessariò per se, sed quod, nisi aliud quid accederet, futurum esset. Omnes enim homines morerentur prorsus & absolutè, nemine excepto, in permulta futura secula, nisi Christi adventus quosdam ex isto malo eximeret. Porrò aliud est mortem per omnes pertransiisse, & aliud omnes morituros. Prior enim locutio tantùm significat, omnes esse morti obnoxios necessariò. Potest autem is,

Smiglecius licentiosus.

Vocem *Mortis*, de morte necessaria accipi.

Vocem *Omnis*, plærunq; restringendam.

Luc: 17. 33.
Ioan: 5. 21.
Rom: 8. 11.
Per vivificationẽ vitam æternam significari.

Paulum 1. Cor: 15. tantùm de fidelibus loqui.

Quo sensu dicitur, Omnes morituros.

Morti obnoxium posse non mori.

tem is, qui morti necessariò obnoxius est, ratione quadam accidentaria a Deo, qui decreti istius de morte necessariò subeunda, autor fuit, mutari. Quod idem & de tertio loco intelligendum est. Constitutum est homini semel mori, si decretum Dei attendatur: at rursus, decretum illud inhibere & tollere potest, singularis Dei voluntas, de qua Paulus, optimus hujus rei interpres, explicat, dum negat, omnes obdormituros. Quanquam, indefinita locutio autoris illius, satis etiam erroris Smiglecium coarguere potest. Nam quod de potissima hominum parte verum est, de hominibus dici indefinitè jure poterat.

Quod de plerisq; verum est, de omnibus dici posse.

Sed adhuc unum habet argumentum Smiglecius, dum ait: *Quasi verò fieri posset, ut ignis præcedens hoc judicium, cujus calore elementa solventur, terra autem, & quæ in ipsa sunt opera, exurentur, illos homines intactos relinquat.* Vnde verò constat Smiglecio, ignem, quo exurenda elementa, terra & opera, quæ in ipsa sunt, præcessurum judicium illud extremum? Nonné ipse ignis erit ipsum judicium, & forma supplicii; quemadmodum aquæ, ipsum judicium erant tempore diluvii, non verò illud præcedebant? Deinde, quæ ista est consequentia: Calore ignis solventur elementa, cum terra & operibus quæ in ea sunt. Ergo omnes homines morientur. Parumné constat, istam solutionem vel exustionem esse aliud nihil, quàm abolitionem & destructionem istorum omnium, quod de hominibus piis, qui vivi in Christi adventu supererunt, dicere nemo pius ausit. Præterea nonné priùs in aërem rapi poterunt fideles, ubi extra omne ignis istius periculum futuri sunt, quàm ille ignis exardescat? Nonné denique virtus divina in mediis flammis conservare potest, quos velit, ut ita ineptè dicat Smiglecius, *fieri non posse, ut ignis ille homines istos intactos relinquat.* Sed jam satis superq; ea refutata sunt, quæ ad suam, de statu corporis Christi statim post resurrectionem, sententiam stabiliendam attulerat Smiglecius: Videamus nunc, quomodo argumenta, quibus nostra nititur sententia, evertere conetur iterum. Dicimus primùm, Christum post resurrectionem verè comedisse & bibisse. Hoc enim ipso docere Apostolos voluit, se, & non alium ex morte resuscitatum fuisse. Qui verò corpora immortalia habent, ii non comedunt aut bibunt. Paulus enim testatur, Deum ventrem & escas aboliturum. Ad hoc Smiglecius nihil respondet, præter id, quod antea dixerat, & a me refutatum est. *Manducationem*, ait, *cibi, & in stomachum transmissionem, corpori immortali non repugnare.*

Error Smiglecii.

Ignem non præcessurũ ultimum judicium.

Ex solutione eorum, quæ sunt in terra, omnium hominum mortem non inferri.

Immortales non comedere.

Sed quis non videt, ubi non est esca, ibi nec veram esse manducationem; ubi non est venter, ibi nullam dari in ventrem cibi transmissio-

Deũ aboliturum ea, quæ ad comestionem pertinēt.

missionem. Quia verò Paulus de corpore glorioso affirmat, quòd Deus & ventrem & escas aboliturus sit, agnoscendum est, Christũ tunc, cùm ventrem habuit & escis usus fuit, immortale & gloriosum corpus habuisse minimè. Nisi fortasse delirare velimus, & affirmare, Christum alio modo gloriosum corpus habuisse, quàm nos habituri sumus, quod scripturis apertè repugnat. Hæ enim testantur, nos ita fore cælestes, ut Christus nunc est; & ita portaturos, in futuro seculo, imaginem cælestis, ut nunc portamus imaginem terrestris. Dum verò crassum me appellat, qui cum scriptura dicam, ventrem abolitum iri, videat, qui velit, quænam sit subtilitas Smiglecii, dum ait, *ventrem abolendum, quoad necessitatem edendi, ita ut non sit futurus venter, qui cibo & esu egeat, sed incorruptibilis.* Hoc enim est, sentētiam tantùm dicere. Quod ne faceret Smiglecius, jam ab illo sæpiùs jure postulavi. Sic enim nihil proficiet, quantumvis omnes, ut ait, interpretes adhibeat. Paulus ait, ventrem destructum iri: Smiglecius verò, eum mansurum & futurum incorruptibilem. Nonnè Paulo directè contradicit Smiglecius? Adde, quòd eodem modo sint abolendæ escæ, quo venter. Dicemus igitur escas futuras, easq; incorruptibiles, in futuro seculo? Cui verò bono. Agnoscat ergo denuo pius lector, annon hujusmodi opinatio Smiglecii ad deliria Machumetanorum, qui, nullam veram voluptatem sine ventre & escis consistere posse, somniant, accedat, & quàm justè me impurum appellet, qui ista a sanctissima Christi religione ex sacris literis resecta cupiam.

Error Smiglecii.

Immortales verè comedere sententia est Machometanica.

Vnum adhuc urget Smiglecius, *si ventrem amißuri sint fideles, amißuros etiam reliqua corporis membra.* Sed quid hîc est absurdi? *Non idem* ait, *haberemus corpus quòd nunc habemus.* Quid tum postea? Facilis jactura mortalis & animalis corporis, dum modò nobis donetur immortale & spirituale. *Scripturis hoc repugnare*, ait: sed nullas scripturas affert. Itaq;, aut nullas afferre potuit, & ita falsum asserit; aut, si afferre potuit, negligens, in re tanti momenti probanda, censendus est. Ego verò dico, Paulum 1. Cor. 15. in parte posteriori disertissimè asserere, & variis modis probare, fideles alia prorsus ab his, quæ nunc habent, corpora in futura vita habituros. Qua de re extant etiam nostræ Ecclesiæ tractatus satis prolixi.

Corpora cũ ventre abolenda esse.

Dicimus secundò, Christum verè conspectum & agnitum fuisse post resurrectionem ab Apostolis: Corpus autem immortale verè conspici non posse a mortalibus. Smiglecius idem, quod antea, temere opponit: *Visiones, scilicet, Pauli & Stephani.* Sed aliud est visio vel apparitio, aliud aspectatio, qualis est inter homines. Visiones enim & apparitiones rerũ istarũ esse possunt, quæ verè non sunt aspectabiles, quemad-

Immortalia corpora verè conspici nō posse a mortalibus.

Apparitionem differre a propria visione.

quemadmodum ipsi° etiam Dei visiones, interdum contigerunt hominib°, nec tamen verè quisquam Deum unquam vidit: Sicut etiam, visionem Christi Ioanni contigisse, legimus, qui tamen Angelum ejus tantùm vidit, ut antea docuimus. Quæ pauca satis sunt ad refutanda ea, quæ Smiglecius hic otiosè repetit. Præsertim quòd ipse Smiglecius tandem fatetur, spiritum videri non posse. Nihil autem certius est, quàm Christum post resurrectionem statim spiritum non fuisse, teste ipse Christo: nunc verò spiritum esse, teste Paulo, qui sic ait: *Novissimus Adam factus est in spiritum vivificantem*, hoc est, explicato Hebraismo, factus est spiritus vivificans, quemadmodum & præcedentia verba, *Factus est primus homo Adam in animam viventem*, idem valent, quòd, factus est anima vivens. Vt porrò, per verba de Adamo prolata natura ejus mortalis & essentia, unde & alia animalia, animæ viventes appellantur, indicatur: sic per sequentia, de Christo prolata, natura ejus & essentia pariter denotatur; Et vox quidem spiritus, ipsam Christi, quam nunc habet, substantiã, vox vivificans verò, modũ & perfectionem, quâ istam substantiam habet, exprimit. Substantia Christi est spiritus, spiritus verò talis, qui a nemine dependet, sed ipse sibi ad vitam perpetuandam sufficit. Vnde etiam constat, quòd apud Paulum idem sit, esse spiritum vivificantem, & corpus spirituale habere. Hoc enim disertè per illud probatur, ut ex contextu appareat, ita ut vox corporis, latè accepta, substãtiam tantùm significet, quo sensu etiam de angelis dici potest, imò de ipso Deo. Quæ quia non intelligit Smiglecius, non mirum est, eum hîc, ut solet, graviter errare. Nam & in eo quàm valdè hallucinatur, quòd corpus animale nominat corpus crassum, grave, inpenetrabile: corpus autem spirituale, his defectibus carens, & accedens ad similitudinem spirituum subtilitate, agilitate. Tacitè enim sumit, tum corpus hoc nostrum, manente ejus substantia, posse fieri subtile, agile & spirituale; tum spirituale illud dici a Paulo, quod ad similitudinem spirituum accedit; quod tamen utrumque nec probavit, nec, quomodo probaturus sit, reperiet unquam. Vt autem corpus animale non id est, quod ad animale accedit, sed quod tale revera, quoad naturam suam, est: sic etiam corpus spirituale non id est, quod ad similitudinem spirituum accedit, sed quod reipsa tale, quoad naturam suam, est.

Cur Christus post resurrectionem visus sit propriè.

Cur Christus sit spiritus & spiritus vivificans.

Spiritum vivificantẽ esse, & corpus spirituale habere, idem esse.

Quid sit corpus spirituale.

Iam, quæ de coloribus, quos corpora gloriosa retinent, & ob quos videri possint, ampliùs disserit, per ea, quæ jam disputata sunt, corruere, necesse est. Quanquam, verè fabulas nobis pandit Smiglecius, dum ex eo, quòd Christus, in terris degens post resurrectionem, fecit, colligit, quid nunc etiam corpora gloriosa facere possint, nempe sese

Ineptia Smiglecii. Christum eadem ante mortem, quæ post resurrectionem in terris fecit, facere potuisse.

pe sese conspicienda præbere, modò hac, modò illâ formâ. Nondum enim docuit, Christi corpus tunc gloriosum fuisse. Quæ verò Christus fecit in terris existens, ea non argumenta mutati corporis mortalis in immortale, sed, ut suprà etiam innuimus, alia de causa miraculoso modo facta fuêre, quæ non minùs ante Christi mortem, cum corpus ipsius, ex mente etiam adversariorum, gloriosum nondum esset, fieri certè potuissent, si ita opus fuisset.

Immortalia corpora non habere vestigia vulnerum.

Dicimus tertiò, Christum post resurrectionem vulnerum vestigia habuisse, in corpus autem immortale, non cadere ullã divisionem. Smiglecius idem, quod modò dixerat ad secundam objectionem, & quod in Monstris attulerat, repetit, *nempe divina virtute fieri posse, ut corpus etiam gloriosum sit capax divisionis.* Quod ego, & ante rejeceram, & nunc reiicio. Non enim, quid Deus possit facere, dicendum: sed, id factum esse, quod a nobis negatur, vel testimoniis sacris vel rationibus docendum est. Addo nunc, ea, quæ Deus insolita facere potest, ut sunt miraculosa, sic etiam non esse perpetuò durantia: Nos verò nunc de re, quæ perpetuò in Christo durarit, & in corporibus gloriosis duratura sit, disputam9. Iam, cùm docet, *per se impossibile esse, ut corpus immortale divisionem patiatur, quia sit spirituale, nempe quoad essentiam*, suam illam crassam mihi opponit sententiam Smiglecius, de qua modò disserui in secunda obiectione, sola voce *corporis* fretus. Cui ego oppono Paulum, qui, Christum in spiritum vivificantem factum esse, asserit. Spiritum enim aliquem appellari, qui spiritualis essentia non sit, nulla fert nec s. literarum nec aliarum doctrinarum loquendi ratio: at per corpus substantiam intelligi, & s. literæ, & ipsa communis ratio permittit & docet. Explicationem verborum Pauli, cur Christus sit spiritus vivificans, quam affert Smiglecius, non est, quod valdè morer. Nam nulla ratione suffulta est: quâm erronea verò sit, ex modò dictis constare puto.

Miraculosa non sunt perpetuò durantia.

Qui spiritus est, is essentia est spiritualis.

Corpus substantiam significare.

Iam porrò & illud verum manet, sine miraculo factum esse, ut Christus vestigia vulnerum exhiberet. alioquin Christus Apostolis imposuisset potiùs, quam eis sui redivivi fidem fecisset, cujus tamen rei causâ illis se conspiciendum præbuit. Quis enim non videt, parũ fuisse ad hoc efficiendum, vulnera illis & vestigia illorum exhiberi, nisi etiam constitisset, in eadem & ejusdem naturæ corpore ista exhibita fuisse? Nec minùs immotum illud est, quod dixeram, vestigia vulnerum contrectari potuisse. (contrectata enim fuisse a Thoma, ut scriptura non testatur, sic nec ego dixeram, sed Smiglecius mihi id affinxit) unde constet, corpus illud gloriosum non fuisse. Nam corpora gloriosa tangi nequeunt, alioquin & Deus tangi posset, cui simi-

Christũ sine miraculo vestigia vulnerum exhibuisse.

Corpora immortalia contrectari non posse.

Lapsus Smiglecii.

les fu-

les futuri sunt fideles. Quod verò absurdum hic censet Smiglecius, id ipsius ignorantiæ acceptum referendum est, qui scilicet non intelligat, quomodo vox corporis, cùm de corpore spirituali & glorioso sermo est, accipiatur, quod quia ante dixi & comprobavi, nunc non repeto.

Similitudinem nostri cum Deo in altera vita in eo constituram, quod eum videbimus sicut est, ut ait Smiglecius, primum imperitè dicitur. Ioannes enim his verbis non declarat, in quo consistat similitudo cum Deo, sed docet illis & demonstrat, quòd Deo futuri simus similes. Quod etiam ex particula causali *quia* satis evidenter apparet. Thesis Ioannis est, nos Deo futuros similes. Ratio thesis, quia eum visuri sumus, sicut est. Vnde prorsus constat, homines non tantùm gloriâ, sed etiam naturâ fore similes Deo. Alioquin enim, *Deum videre sicut est*, idque in perpetuum, nullo modo possent. Et quid argumentis opus est, siquidem disertè D. Petrus dicit, data nobis esse pretiosa & maxima promissa, per cognitionem Christi, ut divinæ naturæ participes efficiamur? Videat igitur tandem benevolus lector, in quibus & quantis adhuc hæreat Smigl: erroribus, qui errorum centurias aliis obiicere non veretur.

Visio Dei, argumentum est similitudinis cū Deo, non ipsa cum Deo similitudo.

Sensus verborum 1. Ioan: 3. eruitur.

2. Pet: 1. 4.

Christum in resurrectione factum esse Dei filium, defenditur.

Caput XI.

Hic, nescio quo fine, Smiglecius priùs de loco Matth: 28. *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra*, agat, quàm ad ipsam rem, cujus in capitis titulo, qui est: *Christū in resurrectione factum esse Dei filium, perperam docent Ariani*, mentio fit, accedat, quæ res tota nititur vero sensu duorum locorum scripturæ Act: 13. & Rom: 1. Sed & istud expediamus. Locum Matth: 28. negamus de potestate tunc, cum Christus istud loquebatur, data loqui, sed de paulò pòst danda. Nullam enim tunc in cælo potestatem Christus habuit. *Profectus enim in cœlum subiecit sibi angelos, & dexterâ Dei exaltatus, effudit spiritum sanctum*, ut testatur D. Petrus. Smiglecius primùm contradictionem implicari ait: *Si enim*, inquit, *Christus potestatem in resurrectione reipsa adeptus non est, quomodo ratione potestatis potuit reipsa effici Dei filius?* At huic ego occurreram in priori responsione, dum docui, per vocem resurrectionis intelligi nonnunquam totum id, quod eam consecutum est in persona Christi, nempe eius exaltationem, quemadmodum

Confusio dictorum Smiglecii.

Resurrectionem pro eo, quod eā consecutum est, accipi.

modum etiam per solam vocem resurrectionis, cùm de nobis sermo est, tota nostra felicitas quandoque intelligitur. De quo paulò pòst plura.

Deinde ait Smiglecius, *Christum reipsa tunc potestatem istam habuiße, quia reipsa eâ tunc usus sit, cùm ait: Euntes ergò docete omnes gentes, baptizantes eos, & cùm pœnam non credentibus doctrinæ suæ, præmium verò credentibus proposuit.* Sed infirma & inepta est ista probatio. Potest enim tam is talia præcepta dare, qui potestatem illam propediem consecuturus erat; quàm is, qui eam jam consecutus est. Et sanè si ex effectu judicium facere velimus, prius reipsa Christum, potestatestatem omnem in cœlo & in terra, consecutum non esse, quàm post suam in cœlos exaltationem, nimis manifestum est. Nec enim priùs Apostoli iverunt doctum omnes gentes, quàm Christus exaltatus esset, antea, licet Christus eis dixisset, *profecti, docete omnes gentes*, nihil ea de re vel cogitantes, sed Hierosolimis expectantes, donec virtute spiritus S. induerentur. Porrò quid impedit, quominùs is etiam pœnam incredulis, præmium verò credentibus proponat, qui potestatem in cælo & in terra nondum omnem habet, cùm hoc quivis virorum divinorum facere potuerit?

Christū ante exaltationem perfectam potestatē non habuisse.

Pœna & præmiū proponi potest, absq; potestate divina.

Iam quod ait, *Christum antea potestatem in angelos habuiße quàm eam exercuerit*, quam frivolum id sit & absurdum, in refutatione secundi de Arianorum erroribus libri, copiosè docuimus; ubi, præter alia ostendimus, Christum, si Deus naturâ sit, non potuisse non exercere semper potestatem super Angelos, alioquin Deus naturâ non futurus. Nam qualis iste esset creator, qui potestatem suam in creaturam non semper exerceret, & eam sibi subditam non haberet, sed subjiceret? Quod nostrum argumentum Smiglecius eludere voluit, more suo sophistico: sed nimis magnæ ineptiæ seipsas tegere non potuerunt. *Deum etiam*, ait, *potestatem creandi mundū ab æterno habuiße, potestatem item ad perdendum mundum diluvio, & SodomāGomorrhamque igne censumendam, nec tamen eâ usum eße.* Quis verò fraudem non videt manifestam in eo, quòd aliud est, potestatem habere ad aliquid, quod nondum extitit, producendum, nec tamen illud producere: & aliud, potestatem in rem productam non habere, & tamen Deum summum esse. Illud de Deo rectissimè dicitur, hoc verò, non nisi blasphemè. Illud enim pendet ex Dei liberrima voluntate: hoc verò a voluntate illius pendere nullo modo potest, sed unà cum natura illius conjunctum esse videtur necessario. Sic etiam potestatem habere, Deus dici potest puniendi, nec tamen punire, quia hoc totum ex voluntate illius libera pendet, ad naturam autem illius nullo modo pertinet,

Christum non potuisse in angelos potestatem habere, & tamen eam non exercere.

Potestatem habere producendi aliquid, nec tamē id producere, & in rem productam potestatem non habere, differunt.

tinet,&nihil prorsus ei decederet,etiamsi ista potestate nunquam uteretur: At potestatē in creaturam reipsa habere, & tamen illam sibi subjicere,prorsus sunt contraria, adeoq; indigna,quæ deDeo dicatur.

Antequam ad rem accedat Smiglecius iterum aliquid inseruit, *quòd Christus non sit filius Dei dictus, ob potestatis divinæ similitudinem.* Quod quomodo huc faciat, equidem non video. Observavi autem hoc creberrimè in hoc Smiglecii libro, cum studio quodam res miscere, ut ita lectorem incautum dementet, & adversario responsuro negotium facessat: Sed nec ista ratione quicquam proficit. Nam hac de re etiam antea non pauca dicta sunt,cùm de causis filiationisChristi ageremus,& nunc uno verbo res hæc iterum expediri potest. Ait Smiglecius, *Christi opera indicasse in eo filii Dei essentiā, non constituisse.* Hoc verò quid aliud est, quàm crassa ista petitio principii, quòd scilicet filius Dei reipsa extiterit,antequam ex virgine nasceretur?Nam si antea nō extitisset,indicari per opera non potuisset. Quia vero filius Dei nec fuit nec esse potuit, antequam ex Maria nasceretur, natus verò ex Maria, filius Dei esse non potuit nisi propter similitudinem cum Deo, consequens est,quò plùs accessit Christo similitudinis, eò perfectiorem eum Dei fuisse filium; & quia ex iis,in quibus Christus similitudinem cum Deo habuit, non minimum erunt opera ejus divina,ut alia,sic etiam hæc,filiū Dei eum cōstituisse.Quæ de aliis,quibus etiam divina potestas data fuerit, addit Smiglecius, qui tamen impii fuerint, ea suo loco refutata sunt. Mirum autem est,Smiglecium, qui non vult concedere,opera Christi eum filium Dei, qualem nos eum profitemur, constituere, vicissim hoc in loco contendere, opera eum talem filium constituere,qualem ipse somniat;nempe ex essentia Dei generatum,& divinam naturam habentem. Sed ita eos nugari oportet, qui aliter suos errores defendere non possunt.

Confusio in scriptione Smigleciana.

Potestas divina Christum filium Dei constituit.

Smiglecius sibi sumit, quod aliis negat.

Sed nunc tandem ad loca scripturæ, quibus docetur, Christum in resurrectione factum esseDei filium,accedamus.Et licet,quicquid hic iterum de illis dicitur, antea in refutatione Monstrorum sufficienter refutatum sit: tamen molestiam illam denuo devorare præstat, quàm permittere, ut verbositas Smiglecii obtineat. *Aliam thesin esse* ait, *præter eam,quam ego affero, verborum Pauli Act:* 13. Quænam vero? *hanc scilicet, quòd Deus promissiones patribus factas adimpleverit suscitando Iesum.* Quasi scilicet nos non eandem thesin urgeamus, & quasi de thesi Apostoli sit sermo, & non potiùs de argumento, quo thesis comprobatur. Argumentum autem est sumtum a testimonio Davidis, in quo dicitur, quòd Deus filium suum certo die genuerit. Vnde rectissimè infertur, Deum tunc, cùm Christum ex mortuis resuscita-

De loco Act. 13.

Christum genitū fuisse,cùm ex mortuis est resuscitatus.

suscitavit, eundem genuisse, & ita promissiones de servatore implevisse. Notandum autem est, quod antea non semel dictum est, & infra etiam iterum probabitur, per vocem resuscitandi hoc in loco totum id intelligi, quod resurrectionem Christi necessariò consequi debuit, & consecutum est. Qua de causa, alibi eadem Psalmi verba, ad Christi glorificationem referuntur. Quod verò Smiglecius ait, verba illa Pauli, *sicut & in Psalmo secundo scriptum est. Filius meus es tu ego hodie genui te*, ideo addita esse, ut ostendatur, quis & quantus servator ille fuerit, nempe filius Dei naturalis, id prorsus futile censendum est; tum quia nuda tantùm sit affirmatio, tum quia mera petitio principii. Nudè enim aliquid dicere, & illud adversario obtrudere, non est disputare, sed est, eum opprimere velle: Sumere verò illud, quod est in controversia, ejus est, qui a rationibus destituitur, & desperabundus quidvis dicere mavult, quàm veritati cedere.

Heb: 5. 5.

In disputatione res nec nudæ affirmandæ, nec cōtroversa pro certis sumenda.

Alio etiam argumento Smiglecius probare nititur, verba Psalmi secundi, non de Christi resurrectione accipienda esse, *quia paulò ante dicatur in psalmo: Ego autem constitutus sum Rex ab eo, super Sion montem sanctum ejus, prædicans præceptum ejus; hoc autem a Christo præstitum esse ante resurrectionem*. Sed argumentum illud prorsus claudicat, imò nec argumētum appellari meretur, duplici de caussa. Primùm enim, etsi verba admittantur ita, ut ea Smiglecius allegat & interpretatur, nihil juvant tamen Smiglecium. Christus enim, non minùs præceptum & voluntatem Dei prædicavit, postquam ex mortuis resuscitatus fuit, quàm ante; imò certam voluntatis divinæ partem prædicare non potuit, quàm post resurrectionem & exaltationem, nempe de abolitione legis Mosaicæ & receptione gentium. Hinc Paulus disertè ait, *Christum cum venit*, nempe per Apostolos, *Evangelizaße pacem Ephesiis qui longè, & iis, qui propè*. Deinde verò, quàm ineptus sit Smiglecius in allegatione & interpretatione s. literarum, dici vix potest. Nam, quod de singulari decreto Dei affirmat David, id ille ad præceptum Dei illud cōmune de prædicatione divinæ voluntatis, transfert. Verba enim, *prædicans præceptum illius*, ad illud ipsum, quod per appositionem statim additur: *Filius meus es tu, ego hodie genui te*, pertinent, ita ut Christus sub persona Davidis introducatur loquens hoc modo: *Recensebo, vel narrabo decretum, vel statutum hoc Dei, quod de me pronunciavit: Filius meus es tu, ego hodie genui te*. Qua de re audiat Smiglecius, ut alios Pontificios magis sobrios, sic etiam Vatablum, virum perspicacissimum & de omnibus s. literarum studiosis optimè meritum: qui vers. 6. ita convertit: *Ego verò constitui regem meum, super Sion montem meum sanctum*: eaque, Dei patris esse de filio dicta, affirmat.

Christum etiam post resurrectionem Dei præceptum prædicasse.

Eph: 2.17.

De præcepto singulari agere Davidem.

Vatabli testimonium.

affirmat. Sequentia verò: *Recensebo decretum: Dixit Dominus ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te*, Filii esse ad patrem directa, cordatè iterum asserit, & sensum eorum talem esse ait: *narrabo id, quod Dominus tanquam legem vult promulgari, narrabo quod præcepit Dominus, ut narrem, nempe hæc sequentia: Filius meus es tu* &c. De voce verò hodie illa addit, quæ planè pudefacere Smiglecium deberent, dum sic ait: *Diem resurrectionis hunc diem interpretatur Paulus Act. 13. Hebr. 1. & 5. quia dicit, ego suscitavi te & genui in vitam æternam; cùm Christus ostenditur Dei filius, Rex esse probatur.* Sed Smiglecius, ut antea etiam indicavi, semper mavult crassissimas sententias pertinaciter colorare, quàm ad aliquam magis sobriè sententiam accedere. Vnde factum est, ut sententiam illorum, qui nobiscum sentiunt, non commodam & impropriam in Monstris suis appellârit. Hoc verò quàm justè dixerit, omnibus piis & prudentibus ex iis, quæ modò dicta sunt, judicandum relinquo. Equidem nulla alia de caussa, id ipsum fecisse persuasum habeo, quàm quòd probè perspexerit, præcipuum sibi argumentum, quo Christi ista ab æterno facta generatio probari solet, e manibus extortum esse, si talis interpretatio admittatur. Sed frustra est adversus Dominum calcitrare, qui per os adversariorum nostrorum ea protulit, quæ nobis ad cognoscendos errores facem quasi prætulerunt. Nam, ut nunc hoc obiter addam, vix ullus sacrarum literarum locus est, ex quo, varias suas de Deo & Christo conceptas opinationes, comprobare & stabilire conantur adversarii, cujus non extet apud ipsos adversarios talis explicatio, quæ opinationem istam prorsus evertat. Quod ad oculum constabit, quando explicationes istæ, jam pridem a nostris collectæ, in lucem prodierint. Sed ad rem.

Vocem *Hodie*, resurrectionis diem significare.

Testimonium veritatis inter adversarios latere.

Agnoscat jam benevolus lector, quid de Smiglecio sentiendum sit, cùm ait: *Quando autem dictum sit filio a Deo: Filius meus es tu, scriptura quidem determinatè non exprimit: rectè verò sancti patres intelligunt, id dictum in hodie æternitatis.* Iam enim audivisti ex Vatablo, diem resurrectionis per hodie significari, quod idem etiam alii senserunt tam antiquiores quàm recentiores, ut Hilarius, Chrisostomus, & Flaminius. &c. Quod verò sanctos patres sensisse ait Smigle:, id sua se vitiositate prodit. Nam ubi est hodie, ibi certum est tempus: ubi æternitas, ibi nullũ est tempus propriè. Quod cùm aliter declinare nõ posset Smigle:, arte sophistica usus, docet, *dies & annos non semel Deo attribui.* Quasi scilicet id ego negem, & quasi apud Deum non sit æquè hodie vel certum tempus, ut apud nos. Non nego igitur, coram Deo esse dies aut annos, sed in æternitate nego dies esse: vel potiùs

Discordia Patrũ.

Hodie & æternitas cõtraria sunt.

per diem certum, nempe hodie, æternitatem significari, quod ita clarum est, ut ampliori probatione nullo modo egeat.

Tertium argumentum Smiglecii, quo probare vult verba, Psal. 2. non de Christi resurrectione accipienda esse, est: *Insolens esset hic modus loquendi & durus, Genui te, id est resuscitavi. Hoc enim modo omnes resuscitati dicerentur filii Dei & geniti ex Deo, ut Lazarus & ille adolescens in Nain & alii, imò omnes impii, qui in die judicii resuscitandi sunt.* Sed ipsemet prodidit hujus argumenti infirmitatem. Datur enim aliquid insolens & durum, quod tamen est verissimum. Cùm enim, teste experientia & doctorũ consensu, sint quædã vera, quorum nulla possint dari similia exempla, insolentia ea esse oportet: ut Christi sermo, de manducatione carnis & bibitione sanguinis ejus, nonne durus a quibusdam appellabatur? & revera durus est, & tamen verissimus. Præterea quid absurdi in eo est, si is dicatur a Deo (non ex Deo, ut habet Smiglecius; nam hujus phrasis alia prorsus est in sacris literis significatio) genitus, qui resuscitatur. Nam si is genitus ex Deo dicitur, qui tantùm, quoad animum & actiones, mutatur, manente veteri illius substantia: quantò magis is a Deo genitus dici potest, qui totus, quoad substantiam mutabitur, quod in resurrectione futurum, suprà ex Paulo docuimus. Non deest autẽ locus, in quo resurrectio per vocem regenerationis exprimitur. Nam quod Christus compensatum iri, apud Lucam docet, in resurrectione justorum, id in regeneratione futurum apud Matthæum pronunciat. Vbi mecum facit Maldonatus, & cum eo patres non multi, quos etiam disertè citat. Notandum est autem hoc in loco iterum, quod Smiglecium video non attendere, non posse quidem a Deo genitum dici, omnem qui resuscitatur: sed posse pereleganter dici eum gigni a Deo, qui ita resuscitatur, ut Christus resuscitatus fuit, nempe ad vitam & gloriam æternam, quæ Christi resurrectionem consecuta est, aliorum verò fidelium resurrectionem comitabitur & cum ea conjuncta erit; quod neq; de Lazaro nec adolescente in Nain & aliis, nec deniq; de impiis dici posse, constat.

Quartum argumentum, *resurrectionem esse secundùm carnẽ, Christum autem secundùm divinitatem esse Dei filium, ideoq; non esse filium propter resurrectionem*, indicasse a me satis est. Antea enim prorsus dilutum est in refutatione Monstrorum. Dico tamen iterũ; 1. non intelligere Smiglecium, quid sit resurrectio ex mente sacrarum literarum, cùm de salute nostra agitur. In hac enim resurrectio pro iterata existentia sumitur. Vt enim per mortem homo dissolvitur, & homo amplius non est: ita, cùm iterum spiritus hominis cùm corpore conjungetur (nempe cùm cælesti & spirituali) iterum homo existet & ita re-

Non omne insolens & durũ falsum est.

Ex Deo & a Deo genitum esse differunt.

Iurè resurrectionem appellari generationem.

Resurrectionem appellari generationem in sacris literis.
Luc. 14.14.
Matth. 19.28.

Qualis resurrectio jurè generatio appelletur.

Resurrectio est iterata existentia.

ta resurget. Deinde quia falsum est, Christum esse filium Dei secundùm divinitatem, vel saltem quia nunc controversum, id dici a Smiglecio non debuisse, cordatus quisq; judicet. Porrò, cùm falsum esse ait Smiglecius, & ad rem præsentem accommodari posse negat, quod ego dico, per Christi resurrectionem, absolutè positam, quandoq; intelligi omnia ea, quæ eam consecuta sunt, nempe illius ascensionem & ad dexteram Dei sessionem, ignorantiam suam prodit, & sophismate veritatē obscurare nititur. Quid enim manifestius est, quàm Christum, cùm promittit, se eum, qui sibi a patre datus est, nō perditurum, sed resuscitaturum in die novissimo, promittere, se illi daturum vitam æternam & hæreditatem illam, quæ in cœlis parata est pro nobis, ut D. Petrus ait? Quid item clarius, quàm Paulum, cùm dicit, se omnia facere & pati, ut aliquo modo occurrat ad resurrectionē mortuorum, aliud nihil dicere, quàm se anniti, ut occurrat ad vitam & gloriam immortalem, quæ in cælis ipsi parata erant? Et tamen, falsum esse ait, pertinax Smiglecius, per resurrectionem omnia ea significari nonnunquam, quæ eam consecutura sunt. Sophisma autem est, *quòd inauditum esse ait, nomine resurrectionis ascensionem significari.* Nec enim ego usquam id dixi, quasi scilicet, vi& natura sua, nomen resurrectionis ascensionem significet: sed resurrectionem dico pro omnibus illis rebus accipi, quæ eam in Christo consecuta sunt, & in salute nostra consecutura sunt, inter quas est etiam exaltatio tum Christi, tum fidelium ex hoc mundo in cælum, & collocatio, ut Christi in solio patris, sic fidelium in solio Christi, quę sine ascensione fieri non potuit. Vnde constat, rectissimè dici, Christum die resurrectionis suæ genitum esse a Deo, quia scilicet istam resurrectionem necessariò consecutura erat, ejus in cælos exaltatio & glorificatio.

Controversa nūquam allegunda.

Resurrectionem quandoque sumi pro omnibus quæ ejus sunt consequentia. 1. Pet: 1. 3.

Quatenus resurrectio significet exaltationem.

De loco altero, ex quo constat, Christum per resurrectionem, factum esse Dei filium, qui est: Rom: 1, iterum ea differit Smiglecius, quæ antea in Monstris dixerat, & a me refutata fuerant, quæ nunc repetere necesse est, quia repetitione disputat Smiglecius. Verba sunt Pauli, *de filio suo, qui factus est ex semine Davidis secundùm carnem, qui constitutus est Dei filius in virtute, secundùm spiritum sanctificationis, ex resurrectione mortuorum.* Quis hic non videt, disertè a Paulo duo dici, de filio Dei, quæ necessariò ad eum constituendum requirantur? Quorum unum est, quòd sit factus ex semine Davidis secundùm carnem. Quod etiamsi nō sit præcipuum, est tamen necessarium ad illū singularem filium Dei constituendum. Nam, ex semine Davidis oriturum, Christū Deus antea promiserat. Alterum est, quòd sit definitus vel cōstitutus filius Dei, in virtute, hoc est potenter, per spiritum

De loco Rom: 1.

Idem repetit Smiglecius.

Duo ad filiū Dei constituendū requiri.

In virtute quomodo Christus sit filius Dei constitutus.

ſanctificationis ex reſurrectione mortuorum. Filius Dei definitus vel conſtitutus eſt Dei filius, hoc eſt, is qui erat, ſuo modo antea Dei filius, tum ob conceptionem & nativitatem, tùm ob alia, de quibus alibi legimus, præſertim verò propter ſanctificationem & miſſionē in mundum, filius Dei talis effectus eſt, qualis eſſe debuit, & totum illud, quod eum filium Dei conſtituere debuit, impletum eſt, in virtute, hoc eſt, cum virtute vel virtuoſè & potenter. Reliqua enim quæ anteceſſerunt, non tanta cum virtute & potentia conjuncta fuerunt, atque hoc, dequo hîc ſermo eſt. Factum enim eſt per ſpiritum ſanctificationis, hoc eſt, virtute Dei ſingulariſſima, idque tunc, cùm ex mortuis reſuſcitatus fuit filius Dei, ita ut hic dicatur, Chriſtum & excellentiſſimo modo factum eſſe Dei filium, & factum eſſe potentia Dei ſingulariſſima, & tandem ſingulariſſimus ille modus explicetur; & vix locum extare credo illuſtriorem, ex quo appareat, Chriſtum per reſurrectionem perfectum Dei filium effectum eſſe.

Quam multa dicantur in loco Rō:1. de filio Dei.

Smiglecius, cùm nihil adversùs hoc ſolidi afferre poſſet, nuda rerum incertarum aſſertione, chartam implevit. Primùm enim confiteri noluit, quod negari non poteſt, vocem hanc ὁρισθέντος alibi in ipſa vulgata, quam vocant, verſione per vocem, *conſtitutus* translatam eſſe, nempe Actor: 10. & 17. Vnde conſtat, fruſtra eum tumultuari, & nos taxare, qui, eodem modo eandem vocem ubiq; convertendam eſſe, contendamus: Imò & alios patres hac ratione caſtigari conſtat, ſi idem verbum diverſi modè tranſtulerunt; & verum eſſe, quod dixeram, fieri potuiſſe, ut vocem illam hoc in loco aliter quàm alibi, & quàm neceſſe eſt, converterint, ut opinioni præjudicatæ conſulerent. Deinde, tacitè conceſſo eo, quòd vox ὁρισθέντος per conſtitutus converti poſſit, ait, *eam non conſtitutionem rei, ſed mentis ſignificare, & idem eſſe conſtituere quod animo definire.* At hoc negare ſimpliciter, eſt, ſatis illud refutare. Nullam enim hujus rei attulit probationem Smiglecius. Nec ſanè ad rem quicquam facit iſtiusmodi commentum. Credit enim Smiglecius, Chriſtum declaratum eſſe Dei filium per reſurrectionem. Quid vero cum declaratione commune habet iſta in animo definitio, cùm multa animo definiri poſſint, quæ tamen non declarantur?

Smiglecius verum non vult fateri.

Conſtituere plus eſt, quam animo definire.

Defendere deinceps conatur explicationem ſuam, verborum Pauli *in virtute:* ſed valdè doloſè. Nam, cùm antea dixiſſet, virtutem ſignificare omnipotentiam, quod falſum eſſe docueram, quia differant omnipotentia & virtus, (quis enim non videt in multis eſſe virtutē Dei, in quibus non eſt ejus omnipotentia) ſtrenuè illud omittit. Sed nos iſta obſervamus in Smiglecio, & inde agnoſcimus, illum a

Smiglecius, quæ defendi nequeunt, omittit.

veritate deſtitutum, tacere maluiſſe, quàm errorē agnoſcere.

Præterea, cùm ego dico, verba *in virtute* de Deo patre intelligi poſſe. ut enim antea, cùm dicitur, *qui factus eſt*, ſubintelligi debet, a Deo: ſic etiam, cùm dicitur, qui conſtitutus eſt Dei filius *in virtute* ſubintelligi poteſt, a Deo, Smiglecius tantùm nudè, ſuo modo, opponit de Chriſto ſuam ſententiam, *quod ante infirmus fuerit, in reſurrectione vero ſuam divinam potentiam exeruerit, ſemet ipſum a mortuis reſuſcitando*, quem modum diſputandi jurè contemnere poſſumus. Nam quòd ait Smiglecius ex Paulo: *Chriſtum mortuum eſſe ex infirmitate, vivere autem ex virtute Dei*, nonné contrarium ejus teſtatur, quod aſſerit Smiglecius, nempe Chriſtum non ſua, ſed Dei, qui pater eſt, virtute reſurrexiſſe? Prædixiſſe verò Chriſtum, ſe ſemetipſum a mortuis reſuſcitaturum, craſſiſſimus & ſeipſum deſtruens error eſt, nec per loca a Smiglecio allata probari poteſt. Prior enim: *ſolvite templum hoc, & ego in tribus diebus reſuſcitabo illud*, ut allegoricus eſt ſic ad rem tanti momenti ex eo ſtabiliendam eſt ineptus. Quis enim neſcit, in talibus locutionibus ſenſum potiùs, quam verba eſſe ſpectanda? Adde, quòd Chriſtus jurè ſuſcitationem corporis ſui ſibi tribuere potuit, non quòd ſemetipſum reſuſcitaturus eſſet, ſed quòd certiſſimus eſſet, ſe a Deo reſuſcitatum iri. Nam & de Chriſti fidelibus dicitur, eos animas ſuas ſervaturos, imò vivificaturos, qui tamen virtutem illam ſe ſervandi, & vivificandi minimè habent. De iis enim id dicitur, qui animas ſuas Chriſti cauſâ perdunt, hoc eſt, vitam ſuam prodigunt. Qui verò vitam perdidit, quomodo vitam ſibi reddere poteſt, cùm hæc ſint contradictoria? Denique, ſi quis diligentiùs rem expendet, animadvertet, Chriſtum aliter loqui non potuiſſe. Cùm enim poſtularetur ab eo, quodnàm ſignum ipſe faceret, ut ſibi crederent Iudæi, ſi dixiſſet ſimpliciter, ſe reſuſcitatum, vel etiam a Deo reſuſcitatum iri, rem quidem magnam, & miraculoſam expreſſiſſet, interim verò interrogationi adverſariorum non feciſſet ſatis, qui ſignum, quod ipſemet ederet, poſtulabant. Maluit igitur Chriſtus ita loqui, ut, directè ad interrogationem reſpondiſſe eum, conſtaret; ſenſum autem verborum ſuorum nobis inveſtigandum relinquere, ex aliis ſcripturæ locis, in quibus creberrimè & diſſertiſſimè affirmatur, quòd Deus Abrahami, Iſaaci, Iacobi, Deus patrum, qui eſt Deus pater, Chriſtum ex mortuis reſuſcitavit, præſertim cùm talem loquendi modum, ut antea docuimus, ipſa ſacra ſcriptura admittat.

Smiglecius ſententiam nudè dicit.

Smiglecius ſe-ipſum reſ[illegible]

Chriſtũ ſeipſum a morte non reſuſcitaſſe.

Cur Chriſtus reſuſcitationem ſui corporis ſibi tribuerit.

Alter locus *Ioan: 10. poteſtatem habeo ponendi animam, & poteſtatem habeo accipiendi eam*, nihil etiam ad rem facit. Nam & de fidelibus dicitur, eos habere, vel datam illis eſſe poteſtatem, ut filii Dei,

hoc est, immortales fierent, ut alibi docuimus, de quibus tamen certò constat, quòd non sua, sed Dei & Christi potestate, tales efficiendi sint. Exprimitur scilicet hisce loquendi modis, certitudo eius, de quo sermo est. Et si illud de fidelibus dici potest, qui tamen perire possunt, quantò magis de Christo, qui ita ad resurrectionem & immortalitatem destinatus fuerat, ut nullo modo id mutari posset? Vnde constat, quàm vanum sit illud, cùm Smiglecius ait, quòd, ut alibi dicitur virtute patris Christus resuscitatus, sic etiam alibi dicatur propria virtute resuscitat⁹. Illud enim ita expressum est, ut pro periphasi Dei patris habeatur, *Is qui Christum ex mortuis resuscitavit:* hoc verò nusquam nec expressum est, nec ex ullo loco sacrarum literarum colligi potest. Nam quòd Smiglecius locum sacræ scripturæ: *Pater operatur, & ego operor*, adducit, quàm id sit futile, antea fusissimè demonstratum est, & ostensum, Christum ibi non de omnibus, quæ pater operatur, sed de miraculis tantùm locutum esse. Addo nunc, Christum non dicere, quod ei affingit Smiglecius, *se idem* quoque *necessariò* operari, quod pater operatur. Tantùm enim dicit: *pater meus operatur, & ego operor.* Potuit autem operari, & pater & filius, etiamsi alia operatus sit pater, alia filius, & etiamsi longè alio modo operatus sit pater, quàm Filius. Sed de hoc copiose actum est, in refutatione 2. de erroribus Arianorum libri cap: 2 & 6.

Vis phrasis, potestatem alicujus rei habere.

Calva Smiglecii probatio.

Possunt duo simul operari, sed alia, & alio modo.

Iam porrò, dum pressus veritate, quòd scilicet, si mortuus fuerit Christus, seipsum resuscitate non potuerit, cùm mortui non sint, adeoque nihil etiam agere possint, atheismum mihi & blasphemiam objicit, quia scilicet Christus post mortem ad inferos descenderit, & latroni pollicitus sit, eum secum futurum in paradiso, ostenderem pluribus, desperationem ista Smiglecio expresisse, & superstitionem quodammodo Idololatricam, quæ basis est religionis Pontificiæ, nisi id antea præstitum fuisset in refutatione duorum de erroribus Arrianorum librorum.

Christum statim post mortem nihil fecisse.

Dum verò ait, se argumentum hoc nostrum ita solvere posse, *quòd Christus divinitate nunquam sit mortuus, divinitate igitur seipsum resuscitare potuisse*, pertinaciam & audaciam Smiglecii accuso, qui suas nobis opiniones & errores, pro responsionibus obtrudere non cesset. *Suum esse*, ait, *ex principiis suis respondere, mihi autem incumbere, aut rem convincere, aut principia evertere.* Sed quid est aliud ex suis principiis respondere, quàm adversarium ludificare, vel potiùs in sententia illius confirmare? Ex communibus enim utriq; parti principiis respondendum esse, omnes sanæ mentis intelligunt, ut alibi etiam ipse Smigleci⁹ fateri videtur. Quis enim non ineptum eum diceret,

Ex communibus principiis disputandum.

ret, qui,cum Iudæo rem habens, ex principiis suis,hoc est,ex scriptis N. F.,eum erroris convincere vellet?

Præterea,quomodo non evertuntur principia Smiglecii,si argumenta nostra petant ipsa illius principia, quod hic a nobis fieri, ipsemet testatur Smiglecius, dum argumentum nostrum,quô probamus Christum divinâ naturâ non potuisse resuscitare seipsum, refutare conatur. In quo tamen reipsa prodidit, quàm sit invicta argumenti nostri veritas. Dicimus, mori, esse suppositi vel personæ. Quia igitur in Christo nulla est persona,nisi divina,ex mente Smiglecii,personam illam divinam mortuam esse, & si mortua sit, ab ea Christum resuscitari non potuisse. Smiglecius quid ad hæc? Omissis aliis: *Cùm credamus* (inquit) *in Christo esse personam divinam, quâ Christus, non in humana solùm,sed & in divina natura subsistit; nulla necessitas est,ut concedamus, moriente natura humana,ipsam divinam interiisse. Habet enim naturam divinam,in qua subsistat.* Videsné benevole Lector,Smiglecium ad rem nihil respondere, imò mentem suam etiam explicare nõ potuisse,ut rectè intelligatur.Nec enim docet,quomodo persona divina mortua non sit, Christo mortuo, siquidem natura sine persona mori non potest; nec docere ullo modo unquam poterit. Et certe ista obscuritas & tergiversatio, in viro tàm docto aliàs, indicio esse potest,eum id defendere velle,quod defendi non potest. Dico igitur denuo, persona Christi mortua est,&, ut mortua sit,necesse est. alioquin Christus non esset mortuus.Tantùm enim personæ moriuntur. Ergo si Christi persona mortua est, divina persona mortua est. Hanc enim solam, ex mente Smiglecii,habuit Christus. Si divina persona mortua est,quomodo ea Christum resuscitare potuit?Hic dico hærere Smiglecium,&,his compedibus ita intricatum esse, assero, ut nunquam se expediturus sit, nisi agnoscat, in Christo tantùm personam humanam fuisse, eamq; verè mortuam & virtute Dei iterum suscitatam esse, unâ cùm sacris literis confiteatur.

Principia non esse,quæ argumentis oppugnari queunt.

Error Smiglecii.

Ex morte Christi constare, eum divinam naturam non habuisse.

Per Spiritum sanctificationis intelligi naturam Christi divinam, iterum affirmat, hac ratiuncula fretus, *quòd spiritus carni opponatur.* Quasi verò opponi non possit spiritus carni, etiamsi spiritus sanctificationis sit vis ista Dei patris singularissima,quâ res solet sanctificare? Vt enim factus est Filius Dei (a Deo) ex semine Davidis secundùm carnem: sic etiam,constitutum esse Dei Filium, secundùm spiritum sanctificationis ab eodem Deo,per eleganter dicitur;ita,ut prioribus verbis causa filiationis, quæ nativitatem Christi, posterioribus causa filiationis, quæ perfectissimam Christi cum Deo similitudinem respicit,contineatur? Quæ duplex etiam in Christo natura dici suo modo pos-

Quæ sit vis verborum carnis & spiritus Rom: 1.

do posset, humana, & divina. Humanam enim naturam Christus habuit ex semine Davidis: divinam ex resurrectione. Sed hoc fortasse non curabit Smiglecius. Is enim priùs divinam in Christo naturam fuisse credit, quàm humanam, quod tamen falsum, imò blasphemum esse, indies magis magisq;, Deo dante, constabit. Cognoscent omnes homines, Christum, qui naturâ humanâ fuit præditus in terris degens, post resurrectionem divinæ naturæ factum esse participem.

Quomodo humana & divina in Christo natura considerari possit

Iam, cùm dicit Smiglecius Christum non tantùm in resurrectione, sed etiam, in ipso conceptionis momento, habuisse spiritum illum sanctificationis, suo modo, nobis errores obtrudit. *Christum* ait, *cùm sanctificatione in mundum mißum eße:* at nō docet, Christum tunc missum esse in mundum, cùm est conceptus; nec id docebit unquam. Eum enim, qui mittitur, ante existere oportet est, quàm mittatur, cùm non entium nulla sint accidentia. Quæ verò istæc audacia est, dicere, quòd Christus fassus sit, se tunc in mundum venisse, cùm natus est. Verba Christi sunt: *Ego in hoc natus sum, & veni in mundū, ut testimonium perhibeam veritati.* Nonnè hic diserte distinguit Christus suam nativitatem, ab adventu in mundum, & illam huic anteponit? Sic scilicet egregiè suos errores defendit Smiglecius.

Missio Christi in mundum & conceptio differunt.

Ioann: 18. 37.

Iam, dum ægrè fert Smiglecius, suam de Christi sanctificatione opinationem, fabulas, nænias, affanias, & hominum curiosorum cōmenta appellari, equidem illud non miror, quandiu illis dementatus est: Sed certè, si ista sententia ita nominari non meretur, quid tandem fabulas & affanias nominabimus? (Allegatio verò verborum Petri: *Quæ ignorant, blasphemant,* quàm sit ad rem inepta, dicere me quidem pudet & pœnitet; at interim non mediocriter in veritate confirmor, dum tales ineptias, tam inflatum Theologiæ doctorem crepare, audio. Quo de loco, quia, suprà dictum est, nolo hic addere amplius quicquam.) Quid enim, nonnè sanctificatio aliis etiam in sacris literis tribuitur, de quibus, vel ipso Smiglecio teste, nulla talis unio, qualem ipse in Christo fingit, vel somniari quidem potest? Nonnè Christus de tali sanctificatione loquitur, quàm Iudæi intelligere poterant? alioquin frustra eos accusaturus. At unde, quæso, judæi id intelligere poterant, divinam naturam in Christo cum humana unitam fuisse? Ait Smiglecius, id eos intellexisse, quia dixerint: *Quia tu homo es, facis teipsum deum.* At ineptit & fallit Smiglecius. Nam postquam Christo Iudæi blasphemiam exprobrassent, Christus demum verba illa de sanctificatione sui protulit. Quomodo igitur priùs blasphemiam ex verbis istis Christi elicere poterant? Ait iterum: *etiamsi rationem ista superant, fide tamen credi poße.* Sed non minùs ineptit, dum ita incautè quid-

Iurè sententias Smiglecii fabulas appellari.

Inepta Smiglecii explicatio.

Sanctificationem Christi non esse incarnationem.

Ineptiæ Smiglecii.

tè quidvis effutit. Nec enim quiſquam dubitat, fide ea credenda, quæ rationem ſuperant: ſed an ea, quæ nemini ſunt revelata, fide credi debeant vel poſſint, quæritur. Doceat Smiglecius, quod etiam in priori ad Monſtra reſponſione poſtulâram, hoc Judæis revelatum fuiſſe, & res confecta erit. Si dicat Smiglecius Chriſtum ideo opera ſua produxiſſe, ut crederent ſui ſanctificationem, rectè id quidem dicit: ſed vehementer fallitur, dum ex Chriſti operibus divinis, iſtam naturæ divinę cum humana unionem, colligi poſſe autumat. Noverant enim Iudæi, eũ, qui præter humanã naturã aliam habebat nullam, opera divina edere poſſe, ſi ſcilicet illi Deᵘˢ adeſſet, ut teſtãtur verba Nicodemi.

Nõ revelata, credenda non eſſe.

Ex miraculis Chriſti non concludi divinã naturam.

Ioan. 3.2.

Deniq; oſtenſurus, quod antea etiam in Monſtris dixerat Smiglecius, *hunc ſpiritum ſanctificationis, de quo Paulus loquitur, eundẽ cùm eo fuiße, de quo Chriſtus Ioan:* 10. *loquitur*, aliud nihil affert, quàm, *id per ſe manifeſtum eße*. Ego verò, talem probationem futilem eſſe, dico, &, ut antea docueram, ſic idem nunc repeto, diverſum eſſe iſtum ſpiritum ab hoc, quòd conſtet, iſto Chriſtum præditum fuiſſe, cùm in terris mortalis degeret: hunc verò exertum fuiſſe ante Chriſti reſurrectionem, planè controverſum eſt. Poſſe autem unum eundemque ſpiritum diverſimodè conſiderari, propter diverſos illius effectus, quis non intelligit?

Spiritum ſanctificationis Rom: 1. differre a ſanctificatione Ioan. 10

Iam, unionem iſtam naturæ divinæ cum humana, indicare ea omnia ſcripturæ loca, quæ verbum factum eſſe carnem; eum, qui in forma Dei erat, formam ſervi accepiſſe, & alia his ſimilia docent, digna ſanè eſt Smiglecio aſſertio, temeraria ſcilicet & falſiſſima. Nam, nec verbum carnem eſſe factum docet ſcriptura, ut in refutatione libelli ſub hoc titulo, docuimus; & etiam ſi doceret, longè alius ſenſus verbis illis attribui poſſet, ut ibidem & alibi docuimus: Ex eo verò, quòd Ieſus Chriſtus, qui in forma Dei erat, formam ſervi accepit, unionem iſtam colligi non poſſe, in eadem refutatione, & in reſponſione ad duos de erroribus Arianorum libros, copioſè demonſtratum eſt, & oſtenſum, nec formam Dei naturam divinam, nec formam ſervi humanam ſignificare.

Infirma Smiglecii argumenta repelluntur.

Chriſtum Filium Dei fuiſſe, antequam homo fieret, fabulam eſſe; Eundem verum Filium Dei fuiſſe, antequam de cælo deſcenderet, nihil ad probandam in Chriſto naturam divinam facere, oſtenditur.

CAPUT XII.

IN hujus capitis titulo & initio caſtigandus eſt Smiglecius. Nam in

Smiglecius castigatur. titulo duo conjungit valdè dissimilia. Vt enim falsissimum est, Filium Dei fuisse antequam nasceretur: ita concedi potest, Filium Dei de cœlo descendisse, nec tamen naturam divinam habuisse. In initio verò capitis, loco ejus, quod probandum susceperat, aliud tractat. Nec enim docet, filium Dei fuisse antequam homo fieret, sed tantùm, Christum priùs in cœlo fuisse, quàm in mundum veniret, quod ut verissimum est, sic etiam testimoniis sacris confirmari potuit. Potest autem Christus dici in cœlo fuisse, vel impropriè, quatenus perfectissima rerum divinarum cognitione imbutus fuit, vel propriè, quatenus scilicet postquam natus fuit, in cœlum ascendit vel raptus fuit. Quam veritatem Smiglecius iterum quidem impetit: sed, quia id totum, quod hîc dicitur, alibi, ut ipsemet Smiglecius testatur, ab illo fusiùs tractatum, & a me refutatum est, (in libello, *verbum caro factum*, ubi totum caput hac re tractanda insumitur,) quid opus est ita tempus inaniter perdere? Brevissimè tamen perstringam omnia.

Primùm ait, *nullibi ascensionis Christi hominis in cœlum fieri mentionem*. Sed hæc ratio nulla est. Potest enim veritas alicujus rei, aliunde constare, quā ex expresso scripturæ testimonio; & satis est in dogmate, quod salutem minime concernit, ratione aliqua necessaria, vel saltem evidenti, niti. Quę hoc in loco ea est, quòd Filius hominis in cœlo fuisse, de cœlo descendisse, & a patre exivisse dicatur. Hic enim filius hominis ibi esse, & inde descendere non potuit, nisi priùs ascendisset. Nec potest hæc nostra ratio everti, nisi id sumatur quod est in controversia, quod, fieri non debere, omnes, qui de arte disputandi aliquid tradiderunt, norûnt; Et præterea illud ipsum, quod hîc dici solet, per se falsissimum est, & nullo figurato loquendi modo excusari potest, ut scilicet, quod unius est naturæ, alteri tribuatur. Qua de re alibi fusiùs. Vnde concludi potest, non tacitam fuisse ab Evangelistis rem istam gloriosam. Nam quod ex scriptis illorum colligi, potest, id in eis etiam contineri jurè dicitur.

Non omnia vera expressa esse, sed satis esse, si ratione necessaria nitantur.

Vnde cōstet Christum in cœlum ascendisse ante mortem.

Communicatio Idiomatum, nulla.

Deinde addit Smiglecius, *in initio prædicationis Christi, legi quidem cœlos ei fuiße apertos, verùm tunc ipsum non ascendiße in cœlum, sed potiùs spiritum sanctum in eum descēdiße; & patrem, voce de cœlo delapsa, illum Filium suum declaraße.* Sed nimis ineptus est in hoc argumento Smiglecius, dum ex eo, quòd scriptum alicubi non legimus, colligit, id etiam factū non esse. Quasi scilicet non alio, quàm tempore Baptismi, accedere iste ascensus Christi in cœlum potuerit? vel quasi & spiritus S. in eum descendere alia de causa non potuerit, quàm ea fuit, ob quam in cœlum ascenderit? Vel quasi denique ad unam

Et descensus Spiritus, & ascensus Christi, uterque fieri potuit.

nam eandemq; rem tantò perfectiùs efficiendam, & spiritus descensus, & Christi ascensus, concurrere non potuerit?

Dicit tertiò Smiglecius, *Paulum Heb: 10. ex figura sacerdotis legalis, expreßè docere, Christum in cœlum introiiße semel.* Sed hoc ita dilutum est antea, Christum semel tantùm, ut sacerdotem, in cœlum ingressum esse. Antea enim, cùm in cœlum ascenderet, pontifex nondum erat. Nec est quòd impediat, quominùs is, qui non solebat, nisi causâ sacrificii in sancta ingredi, absque sacrificio, si ita Deus voluisset, ingrederetur. Diversa autem sunt, quæ Smiglecius miscet, intrare in cælũ, & intrare in gloriã suam. In priori enim ascensione Christus non in gloriam suam, sed tantùm in locum gloriæ suæ intravit.

Quo sensu Christus semel in cælum ingressus dicatur.

Intrare in cælum & in gloriam differunt.

Hîc cùm locum Ioan: 3. *Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, filius hominis qui erat in cælo;* ad sententiam nostram confirmandam facere, contendimus, ut pote in quo ascensus Christi filii hominis fiat mentio, ait Smiglecius, *Christum præcaviße, ne in eum errorem laberemur, addendo, qui est in cælis,* ut indicaret, se tunc etiam fuisse in cælo, non per ascensum, sed divinitate. Sed si verba, aliter converti possint, nempe *qui erat in cælo,* quod ipsemet fatetur Smiglecius, quis non videt, frustraneam esse istam considerationem? At Smiglecius, & hoc ipsum ad rem suam facere, contendit. *Quia* scilicet *Christus non per ascensum, sed absolutè fuerit in cælo, antequam eò ascenderet.* Sed, hoc falsum esse, antea docuimus. Christus enim, vel filius hominis, nullo alio modo in cœlo esse potuit, quàm per ascensum, ideoque non absolutè, ut vult Smiglecius. Vnde etiam constat, non minus esse futilem istam considerationem verborum Christi, Ioan: 6. *ubi erat antea.* Quia enim filius hominis, absolutè in cœlo antea esse non potuit, necesse est, per vocem *erat* intelligi Christi in cœlis existentiã per ascensum, etiamsi ascensûs nulla fiat mentio. Frustra & illud adducitur, quòd de filio hominis, cùm hic in terris degeret, dicatur, *ubi sum,* pro *ero.* Quis enim nescit, Enallagen istam, quâ præsens pro futuro, eoque certo, & instanti sumitur, esse longè usitatissimam? Præstat autem, figuram talem admittere, quàm aliquid, quod & sacris literis, & rationi sanæ contrarium est, in Christi religionem introducere.

Christus quomodo in cælo fuisse dicatur.

Futura per præsentia explicari.

Agnovit fortassis Smiglecius hujusmodi argumentationum, & explicationum infirmitatem, ideoque omnium ss. patrum autoritate istud fulcire voluit: Sed frustra autoritas humana, cum evidentissimis rationibus, ex sacris literis depromtis, comittitur. Et præterea patres isti non sunt soli saararum literarũ interpretes. Fuerunt enim & alii ipsis semper pares, diversum ab illis in hac re sentientes, quorum

Ad patres asylum non tutum.

rum scripta si extarent, longè aliam locorum horum explicationem procul dubio haberemus.

Argumentum etiam Socini, ex hac occasione additum, refutare conatur Smiglecius: sed ut solet, nimis ineptè. Argumentum Socini est: Filius hominis, necessario personam hominis habet, ergo non potest esse naturâ Deus. Ratio consequentiæ est, quia essent duæ personæ in uno Christo. Smiglecius quid? *At nos*, ait, *Filium illum hominis, non personam humanam, sed divinam habere ex scripturis asserimus. Deum enim hominem factum credimus. Nihil igitur talia nos argumenta afficiunt, quæ falsis principiis nituntur.* Egregia sanè responsio, quæ non directa, nec recta est. Non directa. Non docetur enim, quomodo filius hominis non necessariò habeat personam humanam, vel sit persona humana, cùm tamen certò certius sit, nullo loquendi modo excusari illud posse, ut is filius hominis dicatur, qui persona humana non sit. Quemadmodum loquendi modo valdè usitato doceri potest, aliquem esse deum, & tamen non esse personam divinam. Non recta. Nam nunquam probabit Smiglecius, Christum esse divinam personam: Nec ex eo, quod ipse credit, sed quod credendum nobis est, argumenta peti debere, nemo nescit. Quàm graviter autem erret, dum credit Deum, nempe illum unum, hominem esse factum, alibi demonstratum est fusissimè. Quid est autem, quod principia falsa appellat nostra Smiglecius, quæ manifestis scripturæ verbis & ratione firmissimè nituntur: sua verò, quæ nec in s. literis, nec in ratione fundata sunt, tam superciliosè nobis obtrudit? Principium nostrum est: Christum, quia filius hominis est, personam etiam esse humanam. Hoc quid verius, quid clarius? Hinc infero, Christum necessariò non esse personam divinam. Principium Smiglecii est: Christum esse Deum, & personam divinam; filium autem hominis appellari ob naturam humanam, etiamsi persona humana non sit. Hoc quid falsius, quid absurdius?

Omnis filius hominis est persona humana.

Principia nostra præstare principiis Smiglecii.

His ita insertis, *alterum ex scripturis se habere* ait, *nempe Christum fuisse reipsa in cælo, antequam in mundum veniret.* Sed, antequam in mundum veniret, idem esse, quod antequam nasceretur, constantissimè negamus; nec, ulla id vel ratione, vel sacrarum literarum testimonio, comprobare potuit Smiglecius. Ait ille quidem, *negari non posse, hominem, cùm nascitur, venire in mundum*: sed nullum affert testimonium, præter illud Ioan: 1. *Illuminans omnem hominem venientem in mundum*. Quia verò, ut nunc omittã, quòd vox græca ἐρχόμενον, non minus per *veniens* explicari; & non ad omnem hominem, sed ad lucem

Venire in mundũ & nasci, differre.

cem accommodari poteſt, ipſemet Smiglecius videt, quanti ſit argumentatio illius roboris. Adde, quòd ſcriptura Chriſti nativitatem, ab adventu illius in mundum diſertè diſtinguit. Sic enim Chriſtus ait: *Ego in hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum, ut teſtimonium perhibeam veritati.* Quæ verba cùm Smiglecio nimis obeſſent, audacter quidvis dicere maluit, quàm veritatem agnoſcere. Dicit enim pro eodem accipi, *natum eſſe*, & *in mundum venire*, & unum eſſe alterius exegeſin. Sed refutatur ab ipſo textu. In illo enim hæc conjunguntur. Conjunctio verò non eſt unius & ejusdem. Et ſanè ſenſus, quem Chriſti verbis affingit Smiglecius, nihil continet dignitati illius conveniens: ſi verò pro diverſis iſta duo accipiantur, ſenſum præbent valdè auguſtum; Chriſtum ſcilicet, non ut alios prophetas, poſtquam natus fuit, ad munus ſuum propheticum electum, quæ eſt miſſio vel adventus in mundum: ſed, antequam naſceretur, ad id deſtinatum fuiſſe, ut veritati divinæ teſtimonium perhiberet. Qua de re alibi etiam diximus.

Cur verba dicta Ioan. 18. de diverſis rebus accipienda.

Porrò, cùm dicimus, de aliis etiam dici, quòd exierint in mundum, qui tamen tunc nati non fuerāt, reſpondet Smiglecius, *aliud eſſe in mundum venire, & in mundum exire.* Ego verò, iſtam etiam conſiderationem nullam eſſe, ajo. Tam enim de eo, qui *in mundum venit*, dici poteſt, eum antea ex occulto prodiiſſe in publicum, quàm de eo, *qui exiit in mundum*, &, quoad naturam phraſis, nulla eſt differentia reipſa. Quòd enim falſi prophetæ antea latuerunt cum ſuis falſis doctrinis, & deinde in publicum eruperunt, data ad eas propagandas occaſione, id per accidens hìc conſiderandum eſt, & non pendet ex natura phraſis, exire in mundum.

In mundum venire, & exire, non differunt.

At habet, quo ſe tueatur ampliùs Smiglec:, cùm dicit: *Chriſtū non ſolùm veniſſe dici in mundum, ſed in hunc mundum, quaſi in hoc mundo antea non fuerit, ſed, extra hunc mundum fuerit.* Vnde verò id habet Smiglecius? *Ita* (ait) *Martha confeſſa eſt Chriſtum, Tu es Chriſtus Filius Dei vivi, qui in hunc mundum veniſti.* Sed in græco aliud nihil dicitur, quàm εἰς τὸν κόσμον ἐρχόμενος, quod tantùm ſignificat, qui in mundum veniſti; & eadem verba cùm articulo habentur etiam apud Ioannem de falſis prophetis, ἐξεληλύθασιν εἰς τὸν κόσμον. Solent quidem interdum articuli vim aliquam habere, cum de re ſingulari ſermo eſt, & per vocem illam explicari: at articulum per pronomen effari, prorſus inſolens eſt. Nam ſi ſic convertenda eſſent verba, non articulus tantùm, ſed pronomen τοῦτον neceſſariò requireretur, ut Ioan: 9. 19. factum videmus. Et miror ſanè Smiglecium ita

Smiglecius ſcripturam corrumpit.

Articulus græcus nunquam per pronomen *hic* exprimitur.

locum hunc allegasse, cùm non tantùm vox *hunc* in omnibus græcis exemplaribus desit, sed nec omnia vulgatæ etiam versionis exemplaria vocem illam habeant.

Sed adhuc habet aliquid Smiglecius, dum dicit: *Et sanè, si Christus priùs ascendit in cœlum, tum de cœlo descendit, non tam diceretur venire, quàm redire in mundum. Scriptura autem, semper eum venisse in mundum asserit, nunquam rediisse insinuat.* Sed & hoc valdè infirmum & ineptum est. Si, venire in mundum esset, aliunde, quàm ex mundo venire in mundum, aliquid valeret ista consideratio, ut quia Christus ascendisse dicitur in cœlum, qui localis est motus ideo etiam descendisse iterũ de cœlo dicatur: Sed quia *venire in mundum*, non motũ localẽ, sed muneris tantùm, ad quod quis destinatus est obitionẽ, denotat quæ absq; motu locali fieri potest, imò ut fiat, necesse est; non nisi ridiculè illud dici potest, quod dicit Smiglecius. Nec enim Christus, cùm de cœlo descendit, in mundum venit: sed Christus, qui de cœlo descendit, tunc in mundum venit, cùm munus suum obire cœpit, adeò ut venire in mundum potuerit, etiamsi in cœlum non ascendisset. Vnde tandem constat, quia probari non potest, Christum tunc in mundum venisse, cùm natus est, eum, antequam nasceretur, etiam in cœlo non fuisse. Frigidus est etiam Smiglecius in eo, quòd, dum dicimus, Christum posse dici de cœlo descendisse, quomodo etiam omne donum descendere a patre luminum dicitur; sic evadere se potuisse credit, si dicat, *hanc locutionem Iacobi esse metaphoricam & impropriam.* Quasi verò nos, dum isto modo ad Christum ista phrasis accommodatur, figuratè etiam illud fieri non contendamus. Quemadmodum figuratè etiam, in cœlum ascendisse, & in cœlo fuisse vel esse, dici potest. An verò, locus etiam hîc sit metaphoræ, Smiglecio considerandnm relinquo, & aliis.

Iam cùm iterum, adversùs me disputans, Christum ab ipsa nativitate missum, ex eo probat, *quòd tunc missus sit, quum venit, in mundum autem venerit, cùm natus sit*, negatur iterum tunc Christum in mundum venisse, cùm natus est, ut antea; & sic frustra repetit infirmissimum argumentum suum Smiglecius.

Denique de missione Christi in mundum rem conclusurus, mirè eam obscuravit. Ait enim, *Deum sanctificasse Christum divinæ naturæ cum humana unione, & sic misisse filium suum in mundum, hominem factum*, addito loco Galat: 4. 4. *Misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege.* Quomodo verò Deus misit filium suum, hominem factum cùm missio illius in mundum censeatur a Smiglecio, ab ipsa Christi conceptione? Tunc enim hominem factum esse clamant.

Christum in mũdum venire potuisse, etiamsi in cælo non fuisset.

Iacob: 1. 17. Christum impropriè etiam dici posse de cælo venisse.

Infirmum Smiglecii argumẽtum indicatur.

Intricatus Smiglecius.

mant. Rursus, si Christi missio non censeatur a tempore conceptionis, sed nativitatis ejus, quomodo dicere potuit Smiglecius: *sanctificavit eum divinæ naturæ cum humana unione*, & sic, nempe unione ista, filium suum in mundum misit, hominem factum. Ista enim unio, non a tempore nativitatis, sed ab ipso momento conceptionis cœpit. Ita scilicet quod falsum est, obscurum etiam ut sit necesse est. Verba verò Pauli quàm ineptè huc trahuntur? Is enim non de tempore, quo missus est Christus, in his verbis agit. Hoc enim antea dixerat in illis verbis: *Cùm venit plenitudo temporis*, sed tantùm docet, quem & qualem miserit, nempe eum qui antea ex muliere factus erat, & postea etiam legi subditus, ita ut missionem a nativitate Christi prorsus distinguat.

Gal: 4. non de tempore missionis Christi, sed de qualitate missi agi.

Frivolam denique nostram objectionem vocat, quòd Apostoli etiam missi sint in mundum, nec tamen duplicem naturam habuerint. Sed frivola sanè est ipsius responsio. Ait enim, *Apostolos non esse missos in mundum e cœlo, ut Christus è cœlo in terras missus fuit.* Quis verò dixit Smiglecio, Christum e cœlo missum esse in terras? Scriptura sanè id nusquam indicat. Licet enim Christus in cælo fuerit, & de cælo in terram descenderit, & deinde missus sit: non est tamen missus e cælo in terram. Mitti enim potuisset etiam, si in cælo non fuisset. Quod autem in cælo fuit, id ad missionis naturam nihil facit, sed ex accidente est, quòd scilicet is, qui mitti debuit in mundum, priùs in cœlum ascendit, ut ibi a patre suo doceretur ea omnia, quæ nobis revelaturus erat. Iungit igitur ea Smiglecius sophisticè, quæ prorsus separanda sunt, nempe Christi existentiam in cœlo, cum ejus missione in mundum; et licèt id prius Apostolis non contigerit, posterius tamen non secus illis contigit atq; Christo, quatenus, ut Christus a patre muneri alios docendi destinatus, sic illi vicissim a Christo, eidem muneri destinati fuerunt.

Christũ esse missum e cælo, nusquam dici.

Christum nec ante Luciferum ex Deo genitum, nec ante Abrahamum extitisse, demonstratur.

Caput XIII.

Christum ante Luciferum ex Deo genitum esse, in textu Hebræo, qui, omnium consensu, versione septuaginta interpretum, ex qua ista verba desumpta sunt, præstat, non habetur prorsus. Itaq; non est cur istam versionem recipiamus; non est etiam, cur, vel sensum Hebræi textus ab illis 70 interpretibus expositum esse, credamus. Non enim prophetæ isti interpretes fuerunt, aut divino testi-

Cur versio loci Psal. 110. non admittenda.

monio nobis commendati homines: imò, testibus viris etiam Pontificiis, inter quos est ipse Hieronymus, multis in rebus vel ipsi errarunt, vel saltem eorum versio corrupta est. Taceo, quòd non constet, vel Psalmos a 70 interpretibus conversos esse, vel saltem hanc, quam habemus, ipsorum esse translationem. Christũ vel Apostolos ex hac versione aliquid allegasse, defendi etiam nõ potest. Nam eadẽ verba, quæ Christus Mat: 22. 44., & autor Epistolæ ad Heb: 5. 6. citant, ex Hebræo citata esse jurè dici potest. Etsi tamen ex græco textu citata esse, contendere quis velit, non ideo id factum esse sequitur, quia sit verior textus græcus, sed quòd tunc fuerit apud vulgus usitatior. Hæc pauca iterasse, de isto loco sufficiat, quoad vitium versionis.

Observanda de 70 interpretibus.

Cur 70 interpretũ translatio interdum sit usurpata.

Iam versione etiam ista admissa, dicimus, nihil efficere Smigleciũ, idq; inter alia, de quibus egimus, ob id, quòd in ipsa versione græca nulla prorsus Dei fiat mentio, quod ad dogma Smiglecii stabiliendum prorsus est necessarium, imò hemistichium illud, quod a 70 interpretibus conversum est: *Ex utero ante luciferum genui te*, teste Vatablo, non ad Deum, sed ad prophetam referri potest, qui aliquid singulare de Christo prædicet. Smiglecium porrò per *uterum* substantiam Dei intelligere, non est, quòd moremur quicquam, dum rationem ejus nullam affert idoneam. Per verba, *Ante luciferum*, æternitatem designari, pro commento Smiglecii habendum est, sicut & illud, quòd eandem æternitatem per verba, *antequam mundus esset*, indicari credit. Non enim necesse est statuere, Christum gloriam suam prædestinatam etiam a Deo habuisse, ab omni æternitate, cùm hac de re nihil disertè dicat sacra scriptura: sed satis est, credere, eam Christo destinatam fuisse, antequam mundus esset, vel ante constitutionem mundi, vel ante tempora secularia; ut tam de Christo, quàm de nobis scriptum legimus. Ante mundum verò conditum, an tempus fuerit, nolo nunc inquirere. Satis est indicasse, Smiglecium contrarium admodum frigidè probare, & ipsa incertitudine hac in re niti. Vnde enim probabit, ante mundum conditum nihil creatum fuisse? Certè Angelos, qui non possunt non esse Dei creaturæ, ante mundum conditum fuisse admodum verissimile est, & certis rationibus comprobari posset, si res id nunc postularet, & id antea præstitum non esset.

Cur locus ad rem non facit.

Ab omni æternitate Christo gloriam fuisse destinatam, nusquam legi.

Hoc, antequam ulterius progrediar, hîc addam: Mirum esse, Smiglecium ex loco, qui tam variè legitur, & conversus est ab ipsis etiam pontificiis, rem tanti apud eum momenti astruere velle. Nam res ad salutem pertinentes, ex locis, de quibus nulla prorsus est inter interpretes discordia, probari debere, clarius est, quàm ut demonstrari oporteat. Audiat lector benevolus, quo modo hunc locum

Ex loco obscuro dogmata non esse probanda.

cum Vatablus legat, ut vel hinc agnoscat, quid versioni 70 interpretum tribuendum sit: *Habes promtissimum populum, cùm educes tuas copias; tibi etiam est ros generationis tuæ in summo decore, & sanctitate, ex utero auroræ.* Videat etiam, si velit, qualem explicationẽ super verba hæc scripserit, & agnoscet, jurè a me dictum esse, ex loco, cujus tam anceps est explicatio & obscurus sensus, articulum, quem vocant, fidei, probari nullo modo aut deberi aut posse. Arias Montanus locũ hunc sic convertit: *Populus tuus devotionum in die fortitudinis tuæ in decoribus sanctitatis, a vulva ab aurora tibi ros nativitatis tuæ.* Junius etiam & Tremellius, hìc minimè suspecti, quantum discrepent a versione græca, attende: *Populi tui* (ajunt) *oblationes voluntariæ, die copiarũ tuarum in decoris* (locis) *inde ab utero (futuræ sunt,) tibi aderit ros juventæ tuæ accuratissimè.* Ex quibus editionibus, an non sensus etiã is, quem antea asscripserã, elici possit, judicet intelligens lector. Quanquam non necesse est, nunc sensum me meum defendere, vel etiam eum verũ esse; dũ modo constet, sensum Smigl: nec ex ista grçca versione, nec (quod magis est) ex fonte Hebrço deduci ullo modo posse.

Nunc ad alterum locum Ioan: 8. accedens, id inprimis urgeo, versionem vulgatam sustineri non posse. Nam verba græca, vi grammaticæ, ita converti possunt & debent: *Amen dico vobis priusquam Abrahã fiat, ego sum.* Quod ita se habere loca huic similia ad oculum ostendunt cap. 13. 19. & 14. 29. Vbi omnes interpretes vocẽ γενέσθαι, per *fiat* converterunt. Hoc jam obtento, totum illud corruat, necesse est, quod Smiglecius de hoc loco sentit, & ex eo astruit. Et miror sanè Smiglecium, qui multa de hoc loco adversùs nos disputat, & alia, quæ de eo a nostris dicuntur, refutare conatur, ita dormitasse, ut, versionem vulgatam veram esse, nullo argumento ostenderet. Qua de re plura scriberem, nisi jam id a me in aliquot libris, ubi hic locus tractatur, uberrimè præstitum esset. Ne tamen quicquam desideret Smiglecius, refutabo & illa, quæ hìc tum ad suam sententiam defendendam, tum ad versionem & explicationem, quam nos afferimus, refutandam, protulit.

Versio loci Ioan. 8. vitiosa.

Negligens Smiglecius.

Primùm igitur nudè dicit, *Christum, cùm de annis ageretur, quòd 50 annos nondum haberet, tantùm abest ut Abrahamum videre posset, de annis quoq; suis, quibus Abrahamum præcederet, respondisse, divinam naturam suam innuens, quã non ante Abrahamum modò, sed ab æterno extiterit, idq; innui etiam illis verbis: Ego sum. Non verò dixisse, ego factus sum, ego fui, sed ego sum, qui semper sum, & immutabiliter existo, ut SS. patres annotârunt.* In quo argumento Smiglecii nihil rectum, nihil sanum. Primùm enim non necesse est, ut semper ad hominum malitio-

Indirectas dati responsiones divinorum virorũ.

ſorum objectiones directè reſpondeatur: imò quandoq; viris divinis digna eſt iſta prudentia, ut, omiſſis cavillationibus ejuſmodi, aliò ſermonem dirigant, & rem incæptam alio modo perſequantur. Cujus rei exemplum etiam antea Smiglecio oſtenſum fuerat: Sed ille ad hoc ita connivet, ac ſi nihil unquam tale legiſſet in noſtris ſcriptis. Quale eſt in eodem Ioanne cap. 12. 74. ubi ſic turbæ Chriſtum alloquebantur: *Nos audivimus ex lege, quòd Chriſtus manet in æternum, quomodo igitur tu dicis: oportet exaltari filium hominis, quisnám eſt ille filius hominis?* Chriſtus verò quid ad hæc reſpondit? loco directæ reſponſionis admonitionem eodem ferè modo quo ca. 8. inſtituit v. 35. *Adhuc paululum temporis vobiſcum eſt lux, ambulate dum lucem habetis, ne tenebræ vos comprehendant.* Et tales reſpondendi modi occurrunt plures in ſcriptis N. F., non oſcitanter ea legenti; in quibus Chriſtus non tantùm, malitioſo animo, ſed etiam parum aptè, et neceſſariò aliquid interrogantibus, non directè reſpondit. Vt apud eundem Ioan: cap. 12. 20., ubi cùm græci quidam vellent videre dominum Ieſum, idq; Chriſto ab Apoſtolis annunciaretur, reſponſum tale legimus v. 23. *Venit hora, ut glorificetur filius hominis. Amen amen dico vobis, niſi granum frumenti lapſum in terram, mortuum fuerit, ipſum ſolum manet. Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Vbi Chriſtus a cupiditate videndi ſe ſe, aliò convertit & græcos illos & diſcipulos ſuos curioſè id agentes, ut Chriſto deſiderium illud annunciarent, nempe ad futuram ſui per mortem glorificationem. Hanc enim plùs illis profuturam, quàm externam illam, quam tãtopere expetebant, Chriſti viſionem. Sic etiam cap. 14. cùm Chriſtus inter ſacroſanctos ſuos & quaſi valedictorios ſermones, & illud diceret, v. 21: *Qui habet mandata mea, & ſervat ea, ille eſt qui me diligit, & qui diligit me, diligetur a patre meo, & ego diligam eum & manifeſtabo ei me ipſum*, & cum a Iuda, non Iſcariota, interrogaretur, certè non malo, ſed tamen parum prudenti animo: *Domine quid factum eſt, quòd nobis manifeſtaturus ſis te ipſum, & non mundo*, certè non directè Chriſtus ad interrogationem reſpondit, ſed aliò ſermonem dirigens, ſuam rem tamen proſecutus eſt, dum ait: *Si quis me diligit, ſermonem meum ſervabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus. Qui non diligit me, ſermones meos non ſervat, Et ſermo quem auditis, non eſt meus, ſed ejus, qui me miſit, patris.* Iam ſi vel parum aptè, vel curioſè potiùs quàm neceſſariò interrogantibus, vel aliquid objicientibus, Chriſtus non directè interdum, pro ſua divina ſapientia, reſpondit, quid mirum eſt, cum perverſo prorſus & maligno animo, cavillantibus potiùs quàm aliquid rectè objicientibus, non directè reſpon-

spondisse, sed aliò sermonem direxisse, ita tamen, ut rem propositam persequeretur? Quod, ut in exemplis his adductis factum esse ostendimus: sic etiam in loco, quem præ manibus habemus, factum esse videmus. Vt enim Christus, a v. 12. incipiendo, variis Iudæos rationibus ad credendum in se adducere conabatur: sic idem etiam ad finem persequitur, & admonitione cum minis conjuncta, efficere voluit, ut tempestivè crederent, se esse lucem mundi, antequam Abraham fieret.

Scopus verborum Christi.

Si dicat Smiglecius, *Iudæos Christum non esse cavillatos*, ut infrà ait, mirari iterum subit hominis ingenium, qui, ut semel malè conceptam opinionem non deserat, pessimæ etiam rei patrocinium suscipere non dubitet. Sed videamus, quomodo rem probet: *Quia Christus*, ait, *dicebat, Abrahamum vidisse diem suum, & gavisum esse, innuebat se vidisse Abrahamum videntem diem suum, & lætitiâ gestientem*. At hîc duo dicuntur incertissima. Vnum est, quòd is, qui de aliquo dicit, eum aliquid vidisse & gavisum esse, non necessariò innuat, se vidisse illum id videntem. Potest enim alia ratione de eo illi constare, nempe, vel per lectionem & considerationem profundiorem, sacrarum literarum, vel per revelationem aliquam singularem. Alterum est, quòd negari possit, Christum aliquid de Abrahamo affirmasse, ab eo verè olim factum. Possunt enim verba Christi ita verti: *Abraham pater vester exultasset videre meũ diem, & si vidisset, gavisus fuisset*. Quod illi, qui linguæ Hebraicæ, in qua uno præterito omnia tẽpora efferuntur, non sunt imperiti, norunt. Ex qua versione alium sensum, eumq; magis ad rem accõmodatũ, nasci nemo non videt, quo scilicet Christ⁹ denuò supercilium Iudæorum, qui non poterant non perpetuò Abrahamum objectare, & se posteros illius venditare, argutè retudit, nempè Abrahamum, si tale beneficium illi contigisset, non futurum fuisse illorum similem, qui illud aspernabantur, sed summo cum gaudio illum recepturum fuisse. Quo modo & argumento, etiam suprà in eodem cap. Christus eosdem Iudæos Abrahamum jactantes repulisse legitur 79: *Si filii Abrahami essetis, opera Abrahami faceretis, nunc autem quæritis me interficere, hominem qui veritatem vobis locutus sum, quam audivi a Deo. Hoc Abrahã non fecit. Vbi vocem græcam*, ἐποίησεν quæ etiam propriè significat, *fecit*, per *fecisset* explicari posse, res ipsa loquitur. Multò enim rectiùs de Abrahamo dicitur, eum, hominem innocentem non interfecturum fuisse, si ipsius seculo vixisset, quàm eum, olim cùm viveret, neminem interemisse. Vnde etiam quidam interpretes, hîc minimè suspecti, vocem illam sic transferre non dubitarunt. Ex quo cõstat, quàm ineptè & malitiosè Iudæi, cùm hoc telum

Iudæos Christum esse cavillatos.

Alia verborum Christi trãslatio, & sensus.

Wolfgangus Musculus. Henricus Bullingerus.

lũ declinare non possent, aliò Christi verba summa vi detorserint, & ita indigni fuerint, quibus Christus directè amplius aliquid responderet.

Deinde verò, concessa priori & vulgatori lectione, nimis ineptè respondentem Christum facit Smiglecius. Iudæi enim de filio hominis objiciebant, cum nondum habere annos 50, & tamen Abrahamum vidisse: Christus verò pro filio hominis aliam personam substituebat, & de ea dicebat, quòd ante Abrahamum fuisset. Quod fuisset Judæos ludificare, & ad objectionem nihil respondere. Nam aliquid argumento nudè opponere, non est argumentum solvere.

Cur versio vulgata rejicienda.

Deniq; si Christus ad objectionem de annis respondere voluisset, non dicendum illi fuisset, *Ego sum*, per quendam solecismum, sed, *ego fui*, vel *eram*. Iam cùm dixit, *ego sum*, manifestè constat, verba ista non existentiam Christi ante Abrahamum significare, sed per se consistere, & sensum suum habere, ita ut Christus non affirmet, se fuisse antequam Abraham esset, sed, priusquam Abraham fieret, dicat se esse. Esse autem nempe illud, quod suprà v.12. expresserat, *Lucem mundi*, & v.24. & 28. eadem elliptica locutione indicarat. Ex quo patet responsio ad id, quod nobis objicit Smiglecius, potuisse & Iudæos & alios homines dicere, se esse antequam Abraham fieret pater multarum gentium. Non enim de esse absolutè, sed, de esse lucem mundi, (ut sic loquar) sermo institutus erat. Hoc verò de nemine præter Christum dici poterat.

Sed videamus, quid nostræ explicationi opponat Smiglecius, qui versionem ne tangere quidem ausus fuit, quâ tamen obtentâ, nullius est momenti argumentum Smiglecii ex hoc loco desumptum. *Absolutè* ait, *dicitur Abrahamum futurum, Ergo secundùm subsistentiam futurus dicitur*. Hîc si falsa esse dicatur consequentia, satis ista argumentio dissoluta est, presertim si nulla ejus a Smiglecio allata sit probatio. Quid enim vetat, quominùs id etiã, quòd hoc vel illo modo sit, fieri simpliciter dicatur. cùm nemo nesciat, quàm hęc sit inusitata loquẽdi figura, præsertim in s. literis, ubi, vi linguæ Hebraicæ, cujus idiotismis scatet N.T., frequentissimè simplicia pro cõpositis usurpãtur. Ait iterũ, *ex nostra versione sequi, Christũ ineptè respondisse*. Sed hoc jam dilutũ est, & ostensum, Christũ licet non directè, aptissimè tamen & summo jure ita respondisse. Ait tertiò, *nos Christum ita facere respondentem, ut a nemine intellectus fuerit, aut intelligi potuerit*. Sed hoc puerile est. Nam si nos, & nunc nobiscum non pauci in hoc regno, & aliis Christiani orbis regionibus, Christum intelligimus, quomodo dici potest, cum intelligi non potuisse? Quod verò plęriq;, a non paucis retro seculis, ea verba aliter intellexerunt, id non evincit, omnes isto modo ea in-

Absolutè fieri dici posse, quæ certo modo fiũt.

ea intellexiſſe ſemper, præſertim ab initio Eccleſiæ Chriſti per aliquot ſecula; nec etiam evincit, omnes iſtos, qui & olim & hodie ea ita intelligunt, ut Smiglecius, aliter ea intelligere non potuiſſe, vel nō poſſe. Poſſent enim non pauca afferri, quæ effecerunt, ut homines aliàs docti, cōtra ipſa Chriſti verba, ſenſum illis tribuerent erroneum, vel quia ſic dementati a doctoribus ſuis fuerant, vel quia etiam Deus eos deſeruit. Iudæos verò, ſi Chriſti verba non intellexerunt, quid nos moremur? Nam nec Chriſtum id ſemper curaſſe, vel unica illa, quę Ioan. 6. habetur ſanctiſſima oratio, ſatis ſuperq; docet. Quanquam & id eos intellexiſſe, valdè eſt veriſimile. Nihil enim ad iracundiam, & ad furias citiùs eos provocare poterat, quàm ſi quis, de tranſlatione gratiæ divinæ a Iudæis ad gentes extraneas, aliquid vel leviter inſinuaret. Hinc Lucas teſtatur, cùm a Chriſto illud idem innueretur, Iudæos, ex civitate eum eductum, de monte præcipitare voluiſſe, & de Paulo legimus, Actorum 22. v. 22, quòd a Iudæis placitè auditus, uſq; ad illa verba: *procul te mittam ad gentes*, fuerit: deinde verò, levata voce, Iudæos dixiſſe: *Tolle de terra hujusſmodi, nam non fas eſt eum vivere.* Id enim, omnium conſenſu, Iudæis verè blaſphemum videri poterat, Meſſiam Iudæis promiſſum, minari tranſlationem ſui ipſius, & beneficii per ſe Iudæis conferendi, ad gentes extraneas: At illud, cujus tanquam blaſphemi causâ, Chriſtum lapidare voluiſſe Iudęos, ait Smiglec:, ipſius tantùm opinione verum eſt. Præſtat autem ſemper ea explicatio, quæ nihil ſumit, quod eſt in controverſia, illi, quæ res controverſas pro certis & indubitatis ſupponit.

Chriſtū non ſemper dixiſſe facillima.

Iudæos Chriſti verba intellexiſſe, veriſimile eſſe. Luc: 4. 29.

Ex Locis Mich: 5, & Col. 1. æternam Christi generationem demonstrari non poſſe, docetur.

Caput XIV.

Hìc iterum jurè brevis eſſe poſſum. Nam quicquid de loco Mich: hìc a Smiglecio repetitur, id totum in monſtris dictum fuerat, & a me refutatum eſt. Vnde conſtat, Smiglecium, ultra ea, quæ ſemel dixit, progredi non poſſe; & jam tempus eſſe, ut omiſſis iſtis ocioſis altercationibus & repetitionibus, tota res pio & prudenti lectori judicanda relinquatur. *Ait, de duplici egreſſione ſermonem eſſe.* Negatur id, nam tantùm de una ſermo eſt: unius autem egreſſionis duo deſcribuntur adiuncta. Locus ſcilicet, qui eſt Bethlehem, & ejusdem egreſſionis celebritas, quòd ſcilicet originem ducat ab antiquis temporibus, & regibus populi divini.

Smiglecius ulterius in diſputando progredi nequit.

Mich. 5. de una tātùm egreſſione ſermonem eſſe.

Non omnia magna, quæ vera.

Nihil magnum prophetam dicere objicitur, si id dicat. Respondetur non necesse esse, ut magna sint omnia quę dicũtur a prophetis, modò sint vera, & ad rem, de qua sermo est, pertinentia necessariò; quale est, in Christi nativitate, ortus & origo familiæ illius ex regibus populi divini. Horum enim antiquissimo, nempe Davidi, promissus erat. Vnde constat, magnum etiam id censendum esse, quod non magnũ censet Smiglecius. A regibus enim, iisque antiquissimis, originem ducere, non minima laus est.

Magnum quid a propheta dici.

Initium vel dies seculi non esse æternitatem.

Vrgentur verba, *ab initio, & a diebus seculi.* (æternitatis habet iterum Smiglecius.) Sed verba, *ab initio*, sæpè certum rei initium significare, exemplis clarissimis antea ostensum fuerat; *Dies etiam seculi*, dies esse antiquos, quivis, modorum loquendi sacrarum literarum non imperitus, intelligit: nec ipse Smiglecius diffitetur, cùm, montes æternos, & tempora secularia dici asserit. Sed *geminationem talium loquendi modorum, æternitatem designare*, iterum objicit. Ego verò iterum affirmo, geminationem huius loquendi modi nullam de tempore præterito attulisse Smiglecium, tantùm de futuro. *Egressus in nomine plurali magnitudinem rei significare contendit*: Sed, quænám sit illa magnitudo, non constat. Tam enim res magna est, quam nos verbis illis tribuimus, atque ea, quàm Smiglecius: nostra autem præstat ei, quam Smiglecius affert, quòd nostra sit extra omnem controversiam, ea verò quam Smiglecius affert, prorsus sit in controversia.

Cur egressus Christi magnus.

De loco ad Colos: 1. jurè dicere possum etiam, eum in Monstris, & libello: *Verbum caro factum*, ita prorsus tractatum esse ut hìc, imò latiùs ibi, quàm hìc; a me verò, in responsione ad utrumque Smiglecii librum, ea dicta, quæ pro sufficiente eorum refutatione haberi possunt. Itaque quod nunc dicam denuò, planè nihil est, nisi Smigle: imitari, & tempore simul cum lectore abuti velim. Hoc dico cõstanter: ex hoc scribendi modo ad oculum patere, non dari Smiglecio progressum ultra ea quæ semel scripsit, ideoque non expectandum, quid ille deinceps scripturus sit, sed quid lectores de his controversiis decreturi sint. Si de veritate eorum, quæ nunc dico, quis dubitet, legat, capitis 26. in Monstris, & capitis 12. in libello, *Verbum caro factum*, partem, & nostram ad eas partes responsionem jam in publicum editam. Repetam hìc summam rerum quàm brevissimè. Primogenitum omnis creaturæ, ait, *esse genitum ante omnem creaturam*, Sed hoc primùm falsum est, nec ulla vel ratione vel exemplo a Smi-probari potuit. Verum autem est, primogenitum alicujus rei semper significare unum ex illis, quorum est primogenitus, ut postea videbimus. Deinde concesso etiam eo, quod falsissimum est, nihil tamen proficit

Smiglecii repetitiones quid arguant.

Primogenitus quis.

proficit Smiglecius, nisi doceat, per omnem creaturam intelligi, creaturam etiam rerum irrationalium, nempe cœli & terræ. Novimus enim per omnem creaturam, interdum solos homines intelligi: Hîc verò omnem creaturam rationalem intelligi credimus, eamque non simpliciter, sed quatenus reformata est per Christum. Itaque frustra est, quod dicit: *ante omnem creaturam esse*, designare æternitatem. Falsum etiam, vel saltem infirmum illud est, *si Christus fuit ante omnem creaturam, eum non esse creaturam*. Arius enim ante omnē hanc creaturam de qua nobis constat, extitisse credebat, & tamen cretum esse contendebat.

Per omnem creaturam quādoque solos homines intelligi. Matth. 16. 15. Col. 1. 23.

Queritur, *me a proprio sensu, ad improprium recedere*: Sed hoc prorsus puerile est, cùm nemo nesciat, figurarum in sacris literis fere nullum esse numerum; & ipse locus testatur, de veteri vel propria creatione, hîc sermonem non esse. Non constat enim, Angelos, vel potiùs eorum thronos, de quorum creatione Paulus hîc disertè agit, pertinere ad veterem vel propriam creationem, quam Moses describit; cùm nulla illorum in descriptione illius creationis mentio fiat. In locis a me allatis, per vocem *creandi* vel *creaturæ*, novam intelligi creaturam, concedit, quia semper aliquid addatur, unde constet, ea de nova vel spirituali creatura accipienda esse: Sed si hoc aliquid valet, non minùs de hoc loco ad Colos: idem dici potest, quàm de aliis. Nam multò plura eius rei indicia hîc occurrunt, quàm alibi, ut ex jam dictis & dicendis deinceps patebit. Sermo enim est de creatione, quæ per Christum facta est: At verus creatio, quam Moses describit, per neminem facta erat, sed soli Deo immediatè tribuitur semper. Sermo est de creatione, non cœli & terræ, sed eorum, quæ sunt in cœlo & in terra tantùm. Per ea verò, quæ sunt in cælo & in terra, nunquā vetus creatio desribitur. Sermo est de creatione, non substantiarum, sed dignitatum Angelicarum: in veteri verò creatione non tantùm dignitates, sed etiam substantiæ Angelorum creatæ sunt. Reliqua omitto, quæ per se sunt facilia & obvia.

A proprio sensu ad impropriū sæpissimè esse recedendum.

Cur Col. 1. de creatione nova sermo sit.

Angelos negat pertinere ad novam creaturam, *quia semper fuerint beati*: Sed nos nō affirmamus, Angelos quoad substantias ad istā creationē pertinere, sed tantùm quoad thronos, & dominationes. *Absurdū esse ait, tunc aliquem dici creatorē alicujus, cum ei imperare incipit*: Sed imponit sibi & aliis. Nec enim dicimus Christum Angelos creasse. Rectissimè autem dici, dignitates per aliquem creari, cùm in alium ordinem rediguntur, per se manifestum est. *Hebræos compositorum loco uti primitivis*, negat: Sed valde imperitè. Hoc enim ita tritum est, ut omnes Tyrones Theologiæ id norint, & suprà id confessus ipsemet fuerat de locis a me citatis, quantumvis aliquid additum esse dixe-

Angeli quoad thronos tantùm ad novam creationem pertinent.

Creare dicit potest thronos, qui eos reformat.

Hebræos loco cōpositorum primitivis uti.

Paulum Hebraismis uti.

rit, unde id appareat. Hoc verò non efficit, quo minùs verum sit, quod dicitur de Hebraismo. *Paulum græcè scripsiße ait; Græcam verò linguam compositis abundare:* Sed, Paulum hebraismis in greco sermone frequentissimè uti, notius est, quàm ut probatione egeat. Hinc viri sacrarum literarum periti, libros de ejus modi N. F. Hebraismis etiam ediderunt. *Miratur, me etiam dæmones ad novam creaturam referre:* Sed sine causa. Nam, si etiam throni sint & dominationes inter dæmones, & creatio significet reformationem talem, quòd Christus dominus sit effectus illorum, quæ creasse dicitur, quis non videt, dæmones & thronos per Christum creatos esse, & sic eos ad hanc creaturam pertinere? Nec quicquam refert, quòd dæmones per Christum dicantur destructi, & expoliati. Hoc enim, istius creationis, vel reformationis, consequens futurum est. Objicit *hac ratione Deum etiam per Christum creatum dici poße, quia & ille sit nobis per eum reconciliatus.* Sed aliud est reconciliatio, aliud reformatio; & reconciliari posset, qui tamen non reformaretur. Falsum est etiam, Deum per Christum esse reconciliatum, ut ex responsione ad alterum librum apparebit, ut & illud, Deum nobis propter Christum peccata remittere. Hoc enim nusquam in sacris literis dicitur, nec dici potest, propriè & accuratè loquendo. Ait, *Paulum loqui de omnibus, quæ sunt in cœlo & in terra. In cœlo autem eße ea, quæ ad novam creationem non pertinent, ut planetæ, & stellæ, in terra verò tot species corporum, & animalium.* Sed non attēdit, de rationali tantùm omni creatura, esse sermonem. Hujus enim solius Christus primogenitus dici potest; & suprà docuimus, per omnem creaturam, interdum solos homines intelligi.

Quatenus dæmones etiam ad novam creationem pertineant.

Reconciliatio & reformatio differunt.

Paulum de sola rationali creatura agere.

Queritur, nos, quæ simpliciter de creatione dicuntur, ad certam creationem restringere: interim tamen concedit, vocem *omnia* interdum restringendam esse, nos verò plerunque, ne dicam semper, id faciendum esse, contendimus. Iam igitur ipsemet sese refutavit Smiglecius. *Indicium nullum eße ait istius limitationis in hoc loco:* Sed, hoc vanum esse, jam antea docuimus. Nam, si tantùm de creatione omnium, quæ sunt in cœlo & in terra, adeoque non de ipso cœlo & terra sermo est, parumné constat, limitandam esse vocem *omnia*, ut etiam vocem *creandi* de creatione nova accipiendam.

Vocem *omnia* restringendam.

Per omnia, quæ sunt in cœlo & in terra, *vult intelligi ipsum etiam cœlum & terram:* Sed, quàm contra rationem, & sacrarum literarum verba, patet. Ait, *eum, qui est conditor omnium, quæ sunt in cœlo & in terra, eße etiam conditorem cœli & terræ:* Sed nulla id prorsus fulsit ratione. Ait, *eam virtutem, quæ sufficit ad creationem eorum, quæ sunt in cœlo*

Ea quæ sunt in cœlo & in terra, & cœlum & terra differunt.

cœlo & in terra, sufficere etiam ad creationem ipsius cœli & terræ, quia perfectiora sunt omnia, quæ in cœlo sunt & in terra, ut Angeli, anima, & homines, quàm ipsum cœlum & terra. Sed terminos mutat. Non enim quæritur, an virtus ista sufficiat ad creationem cœli & terræ: sed an eâ præditus fuerit Christus. Et falsum est, eum, qui potest perfectiora facere, posse etiam facere minùs perfecta. Multa enim in domo, vel arce aliqua potest conficere homo artificiosus, quæ ipsam domum, & arcem superant, qui tamen domum vel arcem extruere non potest.

Non necessariò est conditor cœli, qui condidit ea quæ sunt in cœlo.

Iterum pertinaciter obiicit, *per verba: quæ sunt in cœlo, & in terra, significari ipsum cœlum, & terram psal:*134. Sed hoc esse falsissimum nemo non videt. Interrogo obiter, cur locum etiam ex oratione dominica iterum non adduxerit, ad idem probandum, Smiglecius: *Fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra.* Sensit scilicet futilitatem istius probationis. Sed tamen dissimulando, & tacendo errores non corriguntur.

Smiglecius castigatur.

Paulum ait, *v.* 18. *demum agere de reformatione.* Sed nihil impedit, quominus & antea de eadem egerit, diverso respectu. Nam reformatio duplex esse potest: vel quatenus Angeli & populus Dei sub Christi imperium sunt redacti: vel quatenus & Angeli cum hominibus, & homines inter se sunt reconciliati. Quæ Smiglecium non intelligere, nihil miror. Nec enim ullam sacrarum literarum veram intelligentiam in Smiglecio unquam deprehendere potui, qualem in aliis pontificiis scriptoribus perspicio & admiror. Dico iterum, Paulum primùm agere de una reformatione, quam per creationem descripsit, & hæc durat a v. 16. ad 18. ad quam pertinent Angeli, tam boni quàm mali, & Christi Ecclesia, quatenus Christus omnium eorum dominus evasit. Deinde a v. 18 agere de alia reformatione, quatenus nimirum omnia, quæ sunt in cœlo & in terra, reconciliata sunt inter se, ad quam soli Angeli pertinent & homines; deinde etiam quatenus ea, quæ sunt in terra, hoc est, homines soli cum Deo sunt reconciliati. Et hæc diversitas reformationum, causa fuit, cur Paulus primam per creationem descripserit, alteram verò per reconciliationem.

De duplici reformatione ex loco Col 1.

Argumentũ porrò nostrum, quod est: Christus primogenitus est omnis creaturæ. ergo est ex numero creaturarum. cum omne primogenitum alicujus rei, sit ex numero eorum, quorum est primogenitum, aggreditur verbosè quidem, sed parùm nervosè. Postquam enim negavit, primogenitum posse dici, nisi respectu rerum ejusdem conditionis & generis, nudè suam sententiã, nostræ opponit, his verbis:

verbis: *Satis enim est ad hoc, ut aliquid dicatur primogenitum rerum aliquarum, si sit ante res alias genitum, sive illæ res sint ejus generis, sive diversi.* Cum verò fortassis videret, hanc simplicem rei affirmationem nihil profuturam, sic pergit: *Etsi enim, si comparatio fiat cum rebus ejusdem naturæ, necesse sit, primogenitum ex numero illarum rerum esse, id tamen est ex accidenti, quia cum rebus eiusdem naturæ comparatio fit, & respectu earum dicitur primogenitum. Sic primogenitum boum dicitur bos; primogenitus hominum, homo: At absolutè loquendo, sicut non est necesse, ante res ejusdem naturæ aliquem esse generatum, sed potest etiam dici genitus ante res diversæ naturæ & conditionis; ita non est necesse, absolutè loquẽdo, primogenitum semper esse ex numero earum rerum, quarum dicitur primogenitum, neq; ejusdem cum illis conditionis & naturæ.* En habes omnia Smiglecii verba, in quibus, an aliquid sit firmamenti, tute, lector cordate, expende. Equidem nihil in ipsis inesse video, quod pro ratione legitima vel argumento aliquo haberi queat. Nec enim probavit, ex accidente fieri, quòd, cum comparatio fit cum rebus ejusdem naturæ, necesse sit, primogenitum esse ex numero illarum rerum. Ipse autem loquendi modus docet, hoc esse de natura vocis primogeniti, ut semper respiciat alia, quorum respectu est primogenitum, adeoque nunquam absolutè posse aliquid appellari primogenitum propriè loquendo. Præterea Christus hîc non absolute appellatur primogenitus, sed primogenit⁹ omnis creaturę. Vnde constat, vi verborum ipsius Smiglecii, eum necessariò etiam esse ex numero illius creaturæ.

Smiglecius verbosus.

Vocem primogeniti ad alia respicere.

Exempla autem, quæ affert Smiglecius, ad hunc suum vanum discursum comprobandum, nullius etiam sunt momenti. Nam quod adducitur ex Ecclesiastico de sapientia, quòd sit primogenita ante omnem creaturam, illud ego rejeceram, ob id potissimum, quòd ea verba non habeantur in ipso textu græco. Smiglecius quid ad hæc? *In græco illa verba non haberi non esse mirum, sicut & pleraq; alia. Satis enim esse haberi in Hebræo, uti & Vatablus vertit.* Ego verò hactenus ignoravi, Ecclesiasticum extare in Hebraica lingua. Sic enim habet titulus librorum, inter quos est Ecclesiasticus: *Bibliorum pars, quæ Hebraicè non invenitur,* teste Aria Montano. Vatablus verò in initio suæ versionis, non textus Hebraici meminit, ex quo suam cõfecerit translationẽ, sed græci exemplaris alius, dum sic ait: *Quæ sequuntur in alio exemplari græco reperta sic transtuli.* Cujus negligentiæ pudere saltem Smiglecium debebat. Præterea exemplar illud non habet phrasin similem Paulinæ. Paulus enim de primogenito non absolutè sed comparatè, loquitur, ut ante diximus, nempe primogenito omnis creaturæ. In

Lapsus Smiglecii.

ræ: In Ecclesiastico verò sermo est, de primogenita absolutè, ante omnem creaturam, vel omnem rerum naturam. Taceo quòd ipse Vatablus hæc verba parenthesi inclusit. Vnde apparet, ea non fuisse fortasse etiam approbata, ut alia. Et sic Smigleciū pessimè se gerere, qui, in loco dissimili & suspecto, causæ suæ præsidium ponat. Addo nunc & illud, vocem hanc, cum de sapientia sermo est, prorsus esse figuratam. Nec enim sapientia illa, de qua Ecclesiasticus loquitur, persona est, sed illa naturalis Dei qualitas, quâ in creatione omnium rerum usus est. Modos autem loquendi figuratos, cum propriis miscere non est sanè Theologi.

Loquendi modi improprii cum propriis non sunt miscendi.

Ex Iobo allatum testimonium, ubi fit mentio primogeniti mortis, nihil etiam huc facit. Nam, præterquam quòd ea verba non sunt Iobi, sed Baldad Suhitis amici Iobi, cujus dicta, ut non sunt habenda pro divinis, sic non est necesse ex illis, de modis loquendi, quibus scriptura sacra utitur, judicium facere, etiam si tandem pro divinis recipienda sint, prorsus figuratè prolata esse nemo non videt, ut scilicet, quemadmodum primogenitus propriè sic dictus, respectu aliorum, quorum est primogenitus, est præstantissimus & maximus, sic malum gravissimum primogenitum mortis appelletur. Itaque nihil prorsus profecit Smiglecius, dum ex istis obscuris locutionibus, vult intelligi istas usitatissimas & evidentissimas, de quibus nobis sermo est.

Locus Iobi explicatur.

Denique, cum adversus opinionem eorum, qui Christum non primocreatum sed primogenitum omnis creaturæ, ideo appellatum sentiunt, quòd Christus non creatus sed genitus fuerit, dico, vocem *primogenitus* significare eum, qui primus sit ex aliquibus rebus, etiamsi reipsa non sit genitus, & non debere eam dirimi, sed pro simplici haberi, Smiglecius respondet, *hoc pro figmento habendum esse, quia nullo id nec exemplo nec ratione probem*: & tamen statim exemplum a me allatum refutare aggreditur, unde apparet, me exemplo aliquo probasse, quod dixeram. Itaque diluendum erat illud exemplum, & non dicendum, me nullo exemplo sententiam meam probasse. Exemplum meum est, quòd Christus appellatur primogenitus mortuorum, tantùm eo respectu, quòd is primus sit, qui ex mortuis ad vitam æternam resuscitatus est, adeoque unus ex mortuis fuerit, quorum primogenitus appellatur, quo vix aliquid, ad vocem primogeniti explicandam, dici potest aptius. Smiglecius obscurare rem claram voluit, sed frustra. Nam totus in eo est, ut vocem primogenitus, cum omni creaturæ jungitur, ab ea dirimat, & vocem primogenitus per se aliquid significantem constituat, nempe qui est priùs ge-

Significatio vocis primogeniti indicatur & probatur.

 nitus,

nitus, quàm omnes creaturæ. Quod tamen falsum esse, omnes sacrarum literarum loci, in quibus vox primogenitus per genitivum cum substantivo aliquo jungitur, testantur, ita ut quemadmodum Christus primogenitus mortuorum dicitur, quòd primus a mortuis resuscitatus sit, nulla habita ratione alicujus generationis: sic etiam primogenitus omnis creaturæ dicatur, quòd primus sit ex omni creatura, de qua Paulus ibi loquitur, nulla habita alicuius generationis ratione in Christo, quæ in omni creatura non sit. Novimus Apostolum non affectasse persuasibilia humanæ sapientiæ verba: sed tamen barbarè eum locutum fuisse, dici non debet. Est enim aliquid medium inter ista persuasibilia verba, & barbariem, nempe simplicitas & loquendi modus sacris literis usitatus, quem, Paulum, in hac sua oratione secutum esse, jurè dici potest.

Apostolos non esse barbarè locutos, sed simpliciter.

Ex loco Ioan: 1 non probari, Filium Dei esse verbum illud æternum, naturaliter in Deo existens, quod in tempore factum sit caro, ostenditur.

CAPUT. XV.

Vbi tractetur hic locus.

DE hoc loco disputatum est a me contra Smiglecium, non tantùm in responsione mea ad Monstra, in quibus eadem prorsus dixerat, quæ nunc repetit, sed etiam in refutatione libelli Smigleciani, de hoc ipso loco nuper editi, sub titulo, *Verbum caro factum*, in qua aliud nihil, quàm hic unus locus, & qui similes illi Smiglecio visi sunt, tractantur. Publicatæ etiam sunt nuper Homiliæ super hunc locum decem, additaque illis paraphasis huius loci. Denique & per Dialogum tradita extat hujus loci explicatio. Quæ omnia sufficere possunt tum ad verum huius loci sensum perspiciendum, tum ad errores Smiglecii, circa hunc locum ferè infinitos, agnoscendos; præsertim cùm, ut antea etiam dixi, progressus in sophisticationibus non detur ampliùs Smiglecio. Itaque prolixam a me hujus capitis refutationem non expectet etiam benevolus lector, sed tantùm brevem rerum, quæ antea tractatæ sunt, commemorationem. Primùm igitur excusat, quòd philosophicè de verbo aliquid sentiat cum suis. At ego, ista pseudophilosophica esse, dixeram. Nam in vera Philosophia nihil tale unquam fuit auditum. Nec enim Philosophi, quâ Philosophi, est, disserere de Deo, cùm omnis de Deo notitia revelatione nitatur. Addideram, etiamsi in philosophia id ita se haberet, ut ait Smiglecius, cum verbo, quod sit mentis proles, non esse tamen istas nugas Aposto-

Philosophia Deū ignorat.

postolis affingendas, qui res ad salutem æternam necessarias, hominibus non tantùm secundùm carnem sapientibus, sed etiam rudibus & idiotis proposuerint: ista verò commenta de verbo Dei essentiali, vix millesimum, non inter idiotas, sed ipsos sacerdotes pontificios intelligere. Addo nunc, Ioannem non de verbo agere, sed de sermone. Hæc enim vocis λόγ☉ longè usitatior est significatio, ut viri ante nos doctissimi perspexerunt.

Scriptores divinos non usos esse Philosophicis argutiis.

Vnde constat vanissimum esse de *verbo* commentum. Differt enim *sermo* a verbo, ut totum a parte, &, ut ait Maldonatus Iesuita, sermo orationem totam multis constantem verbis, verbum, dictionem unam simplicemq; significat; & ex sermone non ita facile persona fingi potuisset, ut ex verbo isto fictitio.

Sermo & verbum differunt.

Nihil autem proficit Smiglecius, dum verbum in Deo infinitum, & Deo consubstantiale esse, probare nititur. Nam nec probavit, verbum tale esse Christum; nec omne, quod Deo consubstantiale est, personam esse. Sunt enim consubstantialia Deo ipsius attributa, ut sapientia & justitia: nec tamen personæ sunt a Deo separatæ. De nostrorum philosophica scientia nihil glorior, nec ut gloriemur necesse est. Nam si ex sacris literis sententiam nostram defendere, & pontificiorum errores refutare possumus, (quod an præstiterimus, cordati judicent,) excelso animo philosophiam contemnere possumus. Hoc tamen jure dicere possum, nihil hactenus pontificios afferre potuisse ex Philosophia, ad quod eis directè & sufficienter a nostris non sit responsum. Quanquam credimus, summopere dandam esse operam, ne ancilla Theologiæ, philosophia, domina illius evadat, vel par ei censeatur. Nam si hoc obtinuerit, metuendum est, ne nobis accidat, quod scholasticis Theologis accidisse videmus, qui meris subtilitatibus dediti, sacrarum literarum sensum & gustum amiserunt.

Non omne quod Deo consubstantiale est, personā esse.

Quatenus cavenda sit in divinis Philosophia.

Hominem Iesum negat Smiglecius sermonem appellari, *quia Ioannes de verbo secundùm se loquatur, & quid sit verbum secundum se, explicet.* At hæc oratio & obscura est, & falsa. Quis enim intelligere potest, quid sit illud, secundùm se de verbo loqui. Falsa autem esse, deprehenditur ex rationibus, quas addit Smiglecius: *quòd* scilicet *hominis mentionem faciat, & de verbo loquatur, antequam caro fieret, & quòd verbum Deum appellet.* Prima enim ratio nulla est, nisi constet, aliū esse, qui possit verbū appellari, pręter hominē Iesum; quod, quia nunc in cōtroversia versatur, pro cōcesso sumi non potest. Relinquitur ergo, Iesū Christū, quē loco verbi vel sermonis substituit Ioānes, esse illū sermonē, de quo ab initio locutus fuerat, ita ut Iesus pro nomine propriò sit habendum: Verbum verò, vel sermo, pro nomine

Hominem Iesum a Ioanne sermonem appellari.

Sententia Smiglecii de loco Ioan. 1. examinatur.

muneris. Ioannem porrò de verbo, antequam caro fieret, & homo esse inciperet, loqui, prorsus falsum esse, vel hinc constat, quòd verba græca ita converti possint & debeant: *Sermo ille caro fuit*, ut paulò infra docebitur. Verbum denique Deum appellari, non impedit quominùs homo sit verbum. Deus enim appellatur verbum non subjectivè, sed prædicativè, ut loquuntur in scholis, ideoque non naturam sed munus, vel potiùs muneris præstantiam, denotat.

Tribui porrò ea verbo, quæ homini tribui nequeunt, ut secundò ait Smiglecius, falsa nititur verborum Ioannis explicatione. Nam, quæ secundùm quid de certis rebus omnibus dicta sunt, ipse absolutè & universaliter accipit. Antithesim etiam ostentat verbi, in principio apud Deum existentis, & verbi, cum caro factum est: Sed quia verbi, quòd caro factum sit, nulla est apud Ioannem mentio, ut jam diximus, nulla etiam est ista antithesis; & possunt ista omnia, quæ, ante Christi nativitatem facta esse, credit Smiglecius, rectissimè ita intelligi, ut Christo jam nato, & munus suum obeunti, conveniunt, ut in responsione ad monstra disertè docuimus.

Christum figuratè sermonem appellari negat, *quia in illis locis ubi verbum, vel Dei verbum appellatur, nulla fiat patefactæ voluntatis divinæ mentio, sed tantùm filii vel unigeniti.* Sed non necesse est, ubi Christus verbum dicitur, ibi causam etiam afferri, cur verbum dicatur: sed satis est, aliunde id constare. Nec etiam ita differunt, verbum Dei, & filius Dei, ut non possit idem de filio Dei dici, quod de verbo. Idem enim qui est filius Dei, est illud verbũ, de quo Ioannes loquitur.

Duo nos loca ad probandam hanc vocis *verbi* significationem afferre ait, unum Ioan. 1. 18. Alterum 1. Ioan. 1. 1. Sed de altero loco nõ est quod respondeam. Ego enim, 1. Ioan. 1. 1. non de Christo, sed de vita æterna sermonem esse, sentio. Priorem huc peregregiè facere persuasus sum. Nam quod Smiglecius ait, *rationem ibi reddi, non quare Christus dicatur verbum, sed quare non Moses, aut alius quispiam enarraverit nobis divinas veritates*, id etiamsi verum esset, non tollit tamen id, quod nos de illis verbis sentimus. Potuit enim utrumq; simul & semel indicari. Et sanè vox ista prægnans, *Enarravit*, eleganter causam reddere videtur, quare Christus antea sermo fuerit dictus, quia scilicet, non tantùm semel atq; iterum, sed creberimè; nec obscurè aut sub involucris, ut ante eum prophetæ & Moses, sed clarissimè, & disertissime divinam voluntatem exposuerit.

Repetit etiam aliam rationem, *quòd soli Christo competat vox Sermonis. Si verò patefactio divinæ voluntatis causa eßet hujus appellationis, aliis etiam vocem Verbi competituram, nempe Prophetis & Apostolis.* Sed

lis. Sed responsum fuit, nec prophetas, talem divinam voluntatem, qualem Christus; nec Apostolos illam, eodem modo quo Christus, patefecisse, ideoq; mirum non videri, si Christo soli id nomen verbi vel sermonis tribuatur. Namque quæ alicui modo excellentissimo competunt, ea illi soli competere in sacris literis dicuntur. Hoc modo Christus unus vel solus magister appellatur, quia est excellentissimo modo noster magister. Illustratum id fuerat exemplis aliis, quòd Christus solus vita, via, & resurrectio appelletur, cum tamen idem Apostoli annunciârint, ob quod Christus ita appellatur.

Cur Christus solus sermo appellatur.

Smiglecius, aliam harum appellationum causam assignari posse & debere, ait, *quòd scilicet sit fons omnis veritatis & vitæ reipsa ante omnem annunciationem, & causa effectrix nostræ resurrectionis.* Sed si hoc de primo fonte veritatis & vitæ accipiatur, & causa effectrice nostræ resurrectionis principali, principium crasse petitur: si de fonte veritatis & vitæ secundario, & causa effectrice nostræ resurrectionis minus principali vel media, nihil ad rem facit. Potest enim Christus, & eatenus fons veritatis & vitæ dici, quatenus in eo ante annunciationem ista dignitas jam inerat, ut hominibus ista conferret vel annunciaret, & eatenus etiam, quatenus postea illud ipsum hominibus annunciavit. Potuit etiam causa effectrix nostræ resurrectionis appellari, quia talis necessariò futurus erat. Nam reipsa Christum causam resurrectionis nostræ effectricem fuisse, cum seipsum resurrectionem appellavit, nimis falsum esse vel ex eo constat, quòd tunc mortalis adhuc ipsemet fuerit? Qui verò est mortalis, is alteri reipsa immortalitatem dare non potest, de quo alibi plura.

Quomodo Christus fons veritatis & vitæ fuerit.

Repetit & tertiam rationem, *quòd hac ratione magis Spiritus S. verbum sit futurus, quàm Christus, cùm constet, Spiritum S. docuisse Apostolos omnem veritatem, & longè plura, quàm Christus docuerit.* Dixeram, dissimilem esse rationem Christi & Spiritus S., quia de Christo constet, eum verè & propriè locutum esse, tanquam personam: hoc verò de Spiritu sancto dici non posse, ut pote de quo non constet, quòd sit persona. Smiglecius blasphemiam mihi objicit, &, iterum pertinaciter aliquid asserendo, sperat, se rem effecturum. Sed quis unquam eum blasphemare audivit, qui Spiritum S. esse confitetur, & Dei virtutem agnoscit, quâ homines sanctificantur, & sine Spiritu S. neminem servari credit? Dubitare autem, an Spiritus S. persona sit, vel etiam negare, eum personam esse, si persona Spiritus S. esset, errorantum censeri posset, non blasphemia. Sed istæ incautæ locutiones & criminationes Smiglecio nimis sunt familiares.

Cur Spiritus S. appellari non potuerit sermo, etiamsi Deus per eū se revelet.

De quonam dici nequeat, eum blasphemare Spiritum sanctum.

Iam cum dicit, *si is, qui veritatem Dei annunciat, verbum dicitur,*

spiritui

Qui propriè aliquid annunciat, is persona est.

ſpiritui autem S. idem tribuitur, conſequens eſt, Spiritum S. & perſonam eſſe, & verbum; nonné fucum facit? Nam is, qui propriè divinam veritatem enarrat, verbum vel ſermo jurè dicitur: At ei, de quo impropriè illud affirmatur, illud non competere per ſe manifeſtum eſt. At propriè locutionem Spiritui S. competere, ait, *quia audita loquatur* Ioan. 16. Quaſi verò de re per proſopopœiam dici non poſſit, quod perſonæ competit. Meminerit autem Smiglecius, quod ſuprà etiam dictum fuit, in eodem loco dici de Spiritu S., *quòd nihil a ſe locuturus ſit*, quod dici de eo non poſſet, ſi divina perſona eſſet. Iam ſi Spiritus S. perſona non eſt divina, nec perſona etiam eſt. Dixeram etiam, ideo verbum nempe Dei Spiritum S. appellari non potuiſſe. Quia tam Chriſti, quàm Dei voluntatem docuerit. Hoc ſuo more omittit Smiglecius: Sed id obſervabit lector diligens.

Dixeram, ob primam revelationem divinæ voluntatis, Chriſtũ jure ſermonem Dei appellatum: Hanc verò Spiritui S. non competere, ut pote qui ad ea, quæ Chriſtus docuit, tantùm quædam addidit, vel ea, quæ jam a Chriſto dicta fuerant, in mentem Apoſtolis revocavit. Smiglecius præter ea, quæ antea dixerat, & a me refutata ſunt, dicit *Spiritum S. eſſe primum autorem talium revelationum*. 1. Cor: 2. 10. Sed quis non videt terminorum mutationem aſtutam? Nunc enim de annunciatione ſermo eſt, ob quam Chriſtus verbum Dei appellatur: Smiglecius autem, loco ejus, primum authorem ſubſtituit. Spiritum S. primum autorem eorum etiam, quæ Chriſtus annunciavit, agnoſcimus. Nam quæ Deus per ſuam virtutem agit, ea ipſemet Deus agit: Sed eundem ſpiritum præconem fuiſſe divinæ voluntatis, & aliquem allocutum eſſe, ut olim prophetæ, & poſtea filius Dei, nuſquam legitur. Imò quia idem eſt cùm Deo Spiritus Dei, idem de Spiritu ſancto, quod de Deo dici poteſt, nempe Spiritum ſanctum revelaſſe, & Deum revelaſſe. Meminerit autem iterum Smigl:, ex adducto loco jurè colligi, Spiritũ S. perſonã non eſſe, quia in Deo ſit, & ita ſit ut eſt ſpiritus hominis in homine. Certè verò ſpiritus hominis, non eſt perſona ab homine diſtincta, & perſona in perſona eſſe nullo modo poteſt.

Annunciare aliquid & primũ ejus autorem eſſe differunt.

Cum porrò dicit: *Si Chriſtus ſit homo tantùm quoad naturam, Spiritum S. ante Chriſtum eas veritates prophetis revelare cœpiſſe*, falſum & illud eſt. Nam quæ Chriſtus mundo revelavit, ea nec Spiritus S. nec ipſe Deus antea revelavit. Fuerant enim in Deo abſcondita & tacita, teſte Apoſtolo Rom: 16, temporibus æternis. Iam quod Lucæ 1. v. 70. dicitur: *Sicut locutus eſt, per os omnium, qui a ſeculo prophetarum*, id non evincit contrarium ejus, quod modò ex Apoſtolo dixi, & infinitis aliis teſtimoniis confirmari poſſet. Nam eatenus dici poteſt Deus locutus

Ante Chriſtũ id revelatum nõ fuiſſe, quod Chriſtus revelavit.

locutus esse per os omnium, qui antiquitus fuerant (hoc enim est, a seculo) prophetarum, de iis quæ nunc sunt revelata. quatenus simpliciter revelavit, fore aliquem insignem servatorem, & insignem per eum salutem hominibus conferendam. Rursus verò, quia, qualis & quantus futurus esset iste servator, qualis item & quanta per eum con ferenda salus prorsus ignorârunt omnes prophetæ, revelatum id illis fuisse, quod nunc nobis revelatum est, nemo nisi mentis inops dicere potest. Taceo, quòd quæ paucissimis obscurissimè, & non eo fine revelantur, ut ipsimet illis fruantur, vel aliis sui seculi hominib: ea patefaciant, sed tantùm, ut extet aliquod ejus, quod olim futurum erat, antiquum vestigium, quidvis aliud, quàm revelatio censendum est. Ita autem accidisse prophetis, alter locus ex Petro adductus testatur. Ait enim, *quòd prophetis, qui de salute illa exquisiverunt & scrutati sunt, revelatum sit, quòd non sibimetipsis, sed nobis ea ministrârint, quæ nunc annunciata sunt nobis per eos, qui nobis Evangelisarunt in Spiritu sancto misso de cœlo.* Qui locus inter omnes alios peregregiè docet, quantum scientiæ illi, quæ prophetis contigit, tribuendum sit, & quàm multum differat ab ea, quæ nunc nobis per Christum contigit, revelatione.

Quaten⁹ per prophetas Deus locutus sit de sua voluntate.

Spiritum deniq; S. Christo homini revelasse omnia, quæ docuit, ipsissima veritas est, quia scilicet Deus per istam suam virtutem, quâ res sanctificantur, Christũ instruxit, & scientiâ rerum divinarum exactissimâ implevit. Nimis autẽ dicit Smigl: & crasse errat, *cùm ait, Christum a Spiritus. etiam missum esse.* Hoc enim nuspiam, propriè loquendo, legitur, nec legi potest. Nã non nisi a persona aliquis mitti potest.

Sed aliud etiam Smiglecius carpit, dum ait, *Christum pauca, idq; cùm additione vocis admodũ, dum in terris degeret, revelasse, multa verò, nõ autẽ, pauca Spiritui S. revelanda reservasse.* Fortassis dum hoc scripsit Smiglecius, tacitè aliud quid defendere cogitavit, nempe multitudinem dogmatum & rituum Ecclesiæ suæ, quam Apostolicam esse venditant, quòd ita liberè, contra omnem veritatem, quidvis effutire non dubitaverit. Nonné enim verba Smiglecii adversa fronte pugnant cum Christi verbis, qui sic ait: *Non jam vos dico servos, quia servus nescit, quid faciat dominus ejus, vos autem dixi amicos, quia omnia quæcunq; audivi a patre meo, nota feci vobis.* Christus ait, se omnia, quęcunq; a patre suo audiverat, nota fecisse Apostolis: Smiglecius *pauca admodum* eum revelasse asserit. Præterea quomodo id etiam cum verò consentit, *Christum hoc præcipuè ursisse, ut se verum Dei filium probaret?* Nonné enim hoc pariter ursit, ut, quænam essent præcepta Dei sub N. F., hominibus innotesceret. Etsi tamen verum id esse suo modo con-

Christũ omnia revelasse, dici posse

Christus præcepta Dei præcipuè etiam revelavit.

In cognitione ejus, quòd Iesus est Christus, omnia contineri quæ ad cognitionē Christi pertinent.

do concederetur, nonné universa cognitio rerum divinarum in eo consistit, si quis credat, Iesum esse verum Messiam? Quid enim ampliùs docet D. Iohannes, in sua illa Catholica & sanctissima epistola, quàm Iesum esse verum messiam, &, in eo vitam æternam consistere, non semel gravissimè pronunciat? Porrò, cur ista multa non expressit Smiglecius, quæ extra Christi doctrinam Spiritus S. revelavit, ut hinc judicium de audaculis ejus dictis facere possemus? Equidem, paucissimis exceptis, omnia quæ ad salutem pertinent, per Christum revelata esse, iterum constanter affirmo. Revelationem autem accipio, tum pro iis, quæ disertè Christus dixit, tum pro iis, quæ ex dictis ab eo colligi necessariò possunt: imò, admissa hac altera revelationis specie, quæ certè verissima est, (nam quod ex sacris literis necessariò elicitur, id, pro sacris literis jure cēsetur,) crediderim, nihil ferè afferri posse, quod per Christum non sit revelatum. Iam quòd legitur, quòd Spiritus S. Apostolos in omnem veritatem deducturus sit (quod in Vulgata est *docebit vos omnem veritatem*) id non ita accipiendum est, quasi aliquid novi Spiritus S. præter ea, quæ Christus antea docuerat, esset docturus: sed quòd eos istorum, quæ tunc, licet audirent, non capiebant, intelligendorum capaces redditurus esset.

Quid pro revelatione Christi cēsendum sit.

Repetit & quartam rationem Smiglecius, *quòd nemo nuncium vel legatum verbum appellet*. Sed hoc dilutum fuerat eo, quòd satis sit sacras literas isto loquendi modi uti, quæ peculiares habent loquendi modos. Sacras verò literas, Christum sermonē appellare, quia deum nobis enarravit, suprà demonstratū est; & nunc iterū testimonio Iesuitæ supra nominati Maldonati, confirmatur. Is enim in commentario super hunc locum, planè idem nobiscum adversus Smiglecium asserit, de quo paulò infrà sub finem hujus capitis plura. Quòd verò Smiglecius ait, *scripturam hominibus, hominum more usitato loqui*, in eo certè, indefinite prolato, non leviter errat. Testis enim est experientia, tales in scriptura, eosque non paucos numero, extare loquendi modos, quæ nemo nisi vel natus sit cum ea lingua, in qua scriptura extat, vel summo studio id assequatur, intelligere potest. Possunt autem esse boni, imò optimi loquendi modi, etiamsi sint figurati, adeoque duriores & obscuriores, de quo non est nunc dicendi plura necessitas.

Nuncium sermonem appellari.

Scripturam non usitatis loquendi modis abundare.

Porrò, cum vocem *omnia* in verbis Ioan: *omnia per ipsum facta sunt*, non universaliter accipiendam, sed ad subjectam materiam restringendam esse, dico, quo obtento, omnia in fumum abire necesse est, quæ de istis Ioan: verbis & de præcedentibus, quòd scilicet *ab initio sermo fuerit*, hoc est, ab æterno, Smiglecius primùm concedit, hoc aliquan-

Vocem omnia Ioan. 1. restringendam.

aliquando fieri. Iam igitur infirmitatem sententiæ suæ, quæ voce *omnia* nititur, prodidit. Deinde verò, id nullo a me indicio doceri queritur: & tamen statim, nos illud solum inclamare, ait, *Ioannem Evangelium scripsiße*, & ex eo constare, Ioannem de rebus sub Evangelio factis locutum. Si aliquid inclamamus, jam dici non potest, nos nullo indicio docere, quod sentimus. Quòd verò solum hoc inclamamus, in promtu causa est, quod solum hoc sufficit ad id efficiendum, quod volumus. Quid enim certius est, quàm eum, qui Evangelium describit, iis tantùm occupatum esse, quæ ad Evangelium pertinent? Notanda autem hîc est, summa Smiglecii audacia, & calumnia, qui pro eo, quòd nos dicimus, *de rebus ad Evangelium pertinentibus*, dicit, *de rebus sub Evangelio factis*. Novimus enim, posse non pauca in Evangelio describi, quæ non sunt sub Evangelio facta, si scilicet ad Evangelium pertineant, qualia sunt, quæ pleraque Smiglecius commemorat. Nam & genealogia Christi ad Evangelium spectat, & vaticinium Esaïæ de Ioanne prodromo Christi. Illud enim huc ineptissimè affertur, quòd Diabolus homicida dicitur ab initio. Tam enim hoc ad Evangelium, quàm ad alias scripturas pertinere potest. Quanquã etiam aliud est, rem aliquam describi, & aliud, obliquam & levem ejus mentionem fieri. Sed hujusmodi terminorum mutationes Smiglecii sunt evasiones.

Audaculus Smiglecius.

Ad evangelium pertinere & sub evangelio factum esse, differunt.

Sed nunc apponam aliud argumentum, unde constet, Ioannis verba: *omnia per ipsum facta sunt*, restringenda esse, & non de veteri creatione, sed nova rerum ad Evangelium pertinentium factione, hoc est, revelatione & confirmatione accipienda esse. Id autem evincunt, verba his proximè addita, *& sine ipso factum est ne unum, quod factum est.* Hinc enim apparet, duplici modo facta esse ea, de quibus hîc sermo est. Vnus est, quòd per Christum quædam facta sunt; Alter quòd non sine ipso facta sunt alia. Hoc verò de veteri creatione intelligi nõ posse, vel hinc constat, quòd nullum prorsus dubium sit, sine eo nihil esse creatum, per quem sunt omnia creata, vel ut Smiglecius verba ea intelligit, qui omnia creavit. Relinquitur igitur, sermonem hîc esse de nova rerum ad Evangelium pertinentium factione. Torsit hic locus, & antiquiores & recentiores vehementer, ut testatur Maldonatus Iesuita, qui multas absurdas & ridiculas illorum explicationis ex variis autoribus affert, &, rejectis omnibus, tandem ita rem concludit: *non novum eße, eandem rem duplici modo describi.* Sed in eo rem acu non tetigit, quòd hîc idem bis dici credidit. Ad hoc enim requireretur ut dictum sit, omnia per ipsum facta sunt, & ne unum quidem est, quod factum sit, quod non per eum factum

Ioannem non de veteri creatione loqui, argumento validissimo docetur.

Ioannem non bis idem dicere.

Maldonatus docetur.

sit. Iam verò, cum dicitur semel, omnia per ipsum facta esse, & iterum, sine eo ne unum factum esse, quod factum est, satis manifestè indicatur, quædam eorum ab ipso Christo facta, quædam ab aliis, sed tamen non sine Christo. Qua in re summa Christi cernitur dignitas, qui non tantùm ipse omnia, quæ ad Evangelium tunc revelandum & confirmandum pertinebant, fecerit, sed etiam per alios ea, quæ ad idem complendum faciebant, effecerit. Qua de re scripsimus copiosè in Homiliis super hunc locum.

Ex quo apparet, fundamentum nostrum satis esse firmum, quo docemus, non universaliter vocem *omnia* hoc in loco accipiendam esse. Quanquam non pauca sunt, quæ hîc dici possent, si tempus id ferret. Argumentum verò Smiglecii, qui vocem *omnia* universaliter accipit, & super ista vocis acceptione *omnia* superstruit, non potest non esse debilissimum. Hinc etiam constat, vocem *facta sunt* non de creatione, sed de factione rerum ad Evangelium pertinentium intelligendam esse. Hanc autem vocem alibi pro reformatione accipi, exemplis adductis docueram. Mundum etiam plures habere significationes manifestius est, quam ut probatione indigeat. Conjectura autem illa valdè levis est, quia verbo Domini cœli sunt firmati, vel secula aptata, & Christus verbum appellatur, hinc concludere, Christum esse illud verbum. Iam enim in refutatione libelli *Verbum caro factum* docimus, per verbum domini in Psal: & epistola ad Hebræos, non sermonem aliquem Dei, sed ejus præceptum intelligi, quod sine ullo verbo vel sermone considerari potest.

Sermo Dei quandoq; præceptum eius significat.

Verbo in Deo naturaliter existenti, ait, *omnia competere quæ Ioan: hîc commemorat.* Sed nondum demonstratum est, tale verbum in Deo esse. Ostensum autem est ad oculum, ea omnia, quæ Ioannes hîc enumerat, Christo homini peregregiè competere.

Adversus id, quod dico, Deo patri, tam in scripturis, quàm in symbolo Apostolico tribui creationem rerum omnium, tantùm id respondet Smiglecius, *non excludi eius verbum & sapientiam, sicut cùm artifex dicitur aliquid operari, non excluditur sapientia, quæ in eo est.* Sed nihil respondet. Nam soli patri tribuitur creatio, ut symbolum Apostolorum testatur. Si soli patri, quomodo non excluditur Filius, & spiritus sanctus. Porrò, cùm sapiētiam Smiglecius cum verbo conjungit in Deo, nonne fucum facit? Non excluditur quidem unquam a Dei operibus eius sapientia. Est enim naturale Dei attributū: At verbi alia est ratio. Non est enim verbum (ex mente Smigl:) Dei attributum, sed persona a Deo patre distincta. Quare nec exemplum artificis huc

Nō ita est in Deo Christ9, ut est ejus sapientia.

cis huc quicquam facit. In illo enim non est persona aliqua diversa ab illo sapientia illius, sed inhærens in eo qualitas.

Quæ de mundi factione disserit iterum Smiglecius, ea sunt verè crambe bis cocta. De creatione sermonem esse contendit, quia simpliciter dicatur mundus factus. Quasi novum sit, dicta absolutè, restringenda esse. *Ipse nos fecit*, ait David absolutè: & tamen dicere voluit, ipse nos denuo fecit, vel reformavit. Addit enim, *& non nos*. Quis verò unquam cogitavit, se semetipsum creasse? At cogitare multi poterant, se sua quadam dignitate populum Dei factos esse. Gratia & veritas facta dicitur per Christum absolutè: nec tamen absolutè facta est. Fuit enim antequam Christus veniret; sed facta est, quatenus nobis innotuit & oblata est.

Facere, significare denuo facere. Psal. 100.

An vox *mundi* sit æquivoca, Smiglecio & scholasticis judicandum relinquo. Per mundum propriè significari cœlum & terram, quæ sunt omnium creaturarum domicilium, absque ulla probatione ab illo dictum esse ajo. Varias autem *mundi* significationes in sacris literis esse, iterum regero; & proinde, infirmum esse argumentum illud, contendo, quod una tantùm significatione nititur, cùm possint dari aliæ. Verba, *in mundo erat*, ineptissimè explicantur, per ea, *in mundum venit*, præsertim eo sensu, quo Smiglecius id accipit. Nam cùm aliquem alicubi esse dicimus, jam præsupponimus, eum antea venisse, & non, demum venire, indicamus. Neque quicquam obest, quòd additur, *eum in propria venisse*. Hoc enim non prorsus idem est cum eo, in *mundo* erat: sed est alia descriptio ejus rei, quæ ingratitudinem Iudæorum exaggerat. Prior est, quòd Christus inter Iudæos conversabatur, saluti eorum studebat unicè, vel ipsam vitam æternam illis offerebat, & tamen non cognoverunt eum. Altera est, quòd Christus non fuit missus ad extraneas gentes, sed ad propria, & tamen proprii eum non receperunt, vel recipere noluerunt. Licèt autem vox græca ἴδια, interdum possessionem vel domum alicujus significare possit: nihil tamen cogit, hîc eam ita accipere. Nam & per se ridiculum est valde dicere, creatorem venire ad propriam domum, cùm in terram venit, quasi cœlum non sit æquè vel rectiùs domus ejus: Et alia causa dari potest, quare Christus dixerit, ad *propria venit*, nempe ea, quòd interdum neutra pro masculinis ponuntur. Quo sensu dicitur Deus stulta, hoc est, stultos, infirma, ignobilia mundi & ea quæ non sunt, elegisse; et nihil immundum, hoc est, neminem immundum intraturum in civitatem illam cœlestem. Vnde etiam Ioan: statim loco neutrius in sequentibus masculinum reposuit, *& sui eum non receperunt*. Quemadmodum & Paulus neutri *stulta*, masculinum *sapientes* opposuit,

In mundo esse & in mundum venire, differunt.

Mund⁹ & propria non sunt prorsus idem.

Cur ad propria Christus venisse dicatur.
1. Cor. 1. 27.
Apoc: 21. 27.

Qui sint Christi propria.

fuit, ut scilicet eum de hominibus loqui manifeste constaret. Propria autem Christi, non est mundus hic aspectabilis, sed Iudæi soli, quibus Christus promissus fuit, & qui eum unicè expectabant.

Firmũ etiam manet illud, quod dicimus, Ioãnem non dicturum fuisse, Christum priùs in mundo fuisse, & deinde per eum mundum esse factum, si id de creatione mundi protulisset. Priùs enim mundũ creari oportuit, quàm in eo esset aliquis. Et risui sanè sese exponeret, qui sic loqueretur: Rex in arce erat, & arx per ipsum facta est vel ædificata. Priùs enim arcem fieri oportuit, quàm in ea esset. Saltem vox *facta est* convertenda esset in *facta fuerat:* Sed hujusmodi Enallage nullus hîc est locus. Est enim in hac locutione Hebraismus, de quo suprà diximus, quo uno prçterito, omissis particulis istis connexivis, res narratur, quod ita resolvi potest: Etiamsi Christus inter homines homines satis diu conversabatur, & saluti illorum unicè studebat: tamen cum potissima eorum pars cognoscere noluit; etiamsi ad eos, quibus promissus fuerat, & qui eum expectabant, venerit: tamen illi ipsi eum recipere noluerunt.

Hebraismus.

Is facit, per quem non stat, quò minùs quid fiat.

Repetit & illud cum magna lectoris nausea, *quòd in aliis locutionibus verum sit, cum aliquid dicere facere, per quem non stat, quominùs id fiat: in hac verò, quum mundus reformatus a nobis dicitur, locum id non habere.* Quasi verò dissimilis sit ratio reformandi & servandi, vel illuminandi: & tamen hoc utrumque non minùs de Christo dicitur, quàm illud, quòd mundus per eum factus vel reformatus sit. Mundum non significare novum mundum, iterum per id evincere conatur, quòd absolutè ponatur. Sed & alibi absolutè ponitur vox mundus, & ei æquipollentia, nempe orbis terræ, vel habitata, & terra: & tamen de futuro mundo accipiẽda esse constat, ut alibi docuimus adversus ipsum Smiglecium. Addit *quòd futurus mundus, per Christum, cùm in mundo erat, ex nostra mente factus non fuerit, sed tantùm annunciatus.* Quasi verò ad istam factionem non requiratur etiam annunciatio, & quasi annunciatio non sit pars istius factionis. Qui enim mihi aliquid promitit & confirmat, is illud meum efficit, suo modo.

Repetit eadem Smiglecius.

Verbum ante carnem fuisse, iterum probat argumentis jam ante prostratis, *quia in principio, hoc est, ab æterno, & quia apud Deum fuerit.* Sed in principio esse, & ab æterno esse, diversa sunt, ut ante diximus. Et apud homines is esse potuit, qui erat apud Deum, quatenus soli Deo notus erat, quoad munus & dignitatem suam; vel etiam apud Deum esse potuit, is qui caro jam erat. De hoc actum est cap: superiori. De illo nunc pauca. Nam alibi id sufficienter demonstratum est, & exem-

Apud Deum esse quid sit.

& exemplo declaratum, quod apud Deum esse nonunquam opponatur manifestationi. Quod quidem hîc Smiglecius exagitat, sed frustra. Nam disertè Ioannes ait, vitam æternam fuisse apud patrem, & nobis manifestatam esse. Vbi, an dolosè agam, qui vocem ἐφανερώθη per manifestationem interpretor, quod mihi objicit Smiglecius, testentur lexica græca; & proinde judicet unusquisque sapiens, an rectè dicatur, apud Deum fuisse vitam æternam, quatenus nemini cognita fuit, antequam Christus eam annunciavit.

Quæ verò hîc affert Smigle:, infirmissima sunt, dum nempe verè Angelis & multis hominibus in principio notum etiam Christum fuisse, ait. Quòd ad Angelos attinet, ii huc accerseri non debebât. Tantùm enim respectu hominum dicitur, Christus Deo fuisse cognitus. Quamquam verissimum est, Angelos etiam, quantumvis Christi nativitatem annunciaverint, & beneficium per eum exhibendum generaliter expresserint, non intellexisse qualis, & quantus Christus ille futurus, quale item & quantum beneficium per eum conferendum futurum esset. Quod idem etiam, de illis multis hominibus (quanquam nec multos Smiglecius enumeravit) & quibusdam hominibus dici potest, & debet. Omnia enim terrena de messia futura somniabant. Porro, cùm nos principium, in quo Christus Deo soli cognitus fuit, Evangelii principium faciamus, quomodo nobis Zachariam, Simeonem, & Annam obtrudere est ausus, cùm non constet eos tunc vixisse, mortuos autem fuisse valdè est verisimile. Christo enim nato, jam ætate provecta fuisse leguntur.

Quomodo Christus angelis notus vel ignotus fuerit.

Christum non fuisse carnem appellatum a Ioanne in initio Evangelii, sed verbum & deum, non evincit, illum carnem non fuisse. Infrà enim idem Ioan: dicit: *Et sermo ille* de quo scilicet hactenus tam multa præclara dixi, *caro fuit, vel erat*, nempe quoad naturam. Verbum igitur, illum, qui caro erat, appellavit propter munus: Deum verò propter muneris excellentiam, non propter naturam, ut paulò ante documus. Antithesin jactat, adeoque verbi a carne differentiam. Sed ineptè. Omnia enim, quæ diversis temporibus, facta esse credit Smiglecius, uno tempore facta esse jure dici potest. Cùm Christus fuit caro, fuit verbum & Deus: cùm gratia & veritas per eum facta est, omnia per ipsum facta sunt. Ista verò existentia in principio apud Deum, & habitatio cum Apostolis statim alia aliam consecuta est.

Christum, carnem fuisse & Deum, ab initio Evangelii.

Christus sermo ob munus: Deus ob muneris præstantiam dictus.

Quæ Ioannes de sermone & carne affirmat, omnia eodē tempore facta esse.

Excusat etiam, quòd ineptissimè factum nos dicimus, Ioannem prius descripsisse multa, quæ post Christum natum & in mundo jam versantem, facta fuerant, imò compendium quoddam sunt universi Christi Evangelii, & postea demum ejus nativitatem: Sed frigidissimè. Ait

mè. Ait enim, *per digressionem quandam, & parenthesin quasi, ista omnia a Ioanne dici, ad explicanda illa verba: In ipso vita erat.* Quis verò id pro commento non habeat futilissimo? Nam si digressio hîc est & quasi parenthesis, necesse est, antea de Christi nativitate dictum aliquid fuisse. Ab eo enim, de quo antea nihil est dictum, non datur digressio, nec ibi locus est parenthesi. Adde, si digressio facta est, & tam multa dicuntur quasi in parenthesi, quomodo verum erit, quod toties dixit Smiglecius, v. 14. demum Ioannem incipere descriptionem Christi in carne? Ita scilicet fit, cum errores pertinaciter defendere malumus, quàm veritati cedere. Quam nos agnoscere oportere ait anticipationem in v. 14., eam nullam esse apparebit, si vox ἐγένετο, pro *fuit* & per vocem *nos*, non homines simpliciter, sed Apostoli intelligantur, quod utrumq; est verissimum.

Vbi sit digressioni locus.

Smiglecius seipsum jugulat.

Tandem, cùm versionem etiam verborum: καὶ ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο, falsitatis accuso, *temeritatem tantùm mihi objicit; & autoritatem Ignatii, & aliorum, qui antiquitus verba ista sic legerint, & verbum caro factū est, versioni nostræ opponit.* Ego verò nihil temere fieri dico, ubi ratio affertur evidentissima, quòd scilicet hæc vox ita converti possit, & debeat. Prius, nempe vocem hanc ita converti posse, nec ipse Smiglecius negat. Alterum, ita scilicet converti debere, cujus sit roboris, jam modò vidimus, tanti scilicet, ut ineptire Smiglecium oportuerit vehementer, dum contrarium probare conatur. Antiquitas etiam cara nobis est & reverenda; sed carior est & magis reverenda veritas. Insultet igitur, quantum velit aliquorum autoritate nobis, Smiglecius dum rationes validas & evidentes pro nobis militare videmus, veritatem nos sectari statuimus: antiquis verò illis humanitus aliquid accidisse, credere malumus, quàm contra rationes illis adstipulari, præsertim cùm in ea Christianæ religionis parte id accidisse illis credamus, quæ per se & naturâ suâ neminem æterna salute privat.

Causæ versionis nostræ.

Rationes humanę autoritati præstant.

Et ex his tandem omnibus, quæ hoc libro disputavimus, concludimus, Pontificios, quantumvis omnia sibi, præ aliis in religione arrogent, ex numero illorum esse, quibus, vel potiùs eorum maioribus adempta est veritas, dum non contenti vero Dei filio, qui ex virgine Maria natus, & dono summi Dei patris hæres omnium constitutus est, alium ante, & præter illum commenti sunt, injurii tam in suam ipsius salutem, quàm in ipsum Deum. Cui sit laus & honor in perpetuum per Iesum Christum Dominum nostrum.

Erroris pontificiorum circa filium Dei incommoda.

Sub

Sub finem hujus libri duo addere libuit. Vnum est, quòd ostendere volo, quomodo Smiglecio Iesuitæ, cum Maldonato Iesuita conveniat in explicatione cap: 1. Ioã:, ut inde appareat, quanta sit vis veritatis, dum homines absque animi morbo, & adversarii odio sacras literas tractant.

Testimonio Iesuitæ Maldonati, pleraq; de loco Ioan. 1. dicta confirmantur.

Primùm igitur, postquam sex patrum de verbo sententias recensuisset, & inter eas hãc etiam, quam Smigl: urget, sic ait: *Quæ postea opinio, magno in scholam Theologorum consensu recepta est, tantumq; autoritatis obtinuit, ut nemo jam ab ea possit sine temeritatis nota discedere.* Vide quàm cordatè aliquid dicturiat Iesuita. Sed audi sequentia: *Nihil tamen obstat, quo minùs aliæ quoque veræ esse possint. Feri enim potest, ut verbum Dei, non unâ tantùm, sed pluribus rationibus dicatur verbum.* Et postea recenset duas adhuc sententias, quarum una est, *quòd ideo Christus dicatur verbum, quia per illud Deus omnia fieri jussit,* altera, *quòd nobis interpres sit paternæ voluntatis atq; sententiæ. Quemadmodum verbum vocale nostrum, voluntatis & mentis nostræ est interpres.* Et hujus sentẽtiæ ultimæ autores citat, Origenem, Clementẽ Alexandrinum, Epiphanium, Chrysostomum, Basilium, Gregorium Nazianzenum, Theophilum & Euthimium. Rursus sic ait paulo post: *Sed tres mihi postremæ probatissimæ videntur, harum verò trium prima præsertim & ultima; illa autoritatibus, ista simul autoritatibus & rationibus.* Pariter extollere videtur primam & ultimam, & tamen ultimam omnibus præponit, quæ nostra est. Tandem sic ait: *Perinde autem est, Filium Dei doctorem & verbum appellari. Videtur enim Ioan: v. 18. rationem explicare, quamobrem Christus verbum appellatur. Vnigenitus, inquit, qui est in sinu patris, ipse enarravit.* Et iterum: *idem ex aliis scripturæ locis colligo, Sap: 18. 15. Angelus ille, qui missus fuerat, ad occidenda Ægypti primogenita, sermo Dei appellatur, quia mandata Dei ad homines deferebat, eaq; exequebatur. Eadem ergo ratione Filius vocatur verbum.* Audin' Iesuitam ita disserere de voce *verbi*, ac si nobiscũ in idem conspirasset, & magnam patrum seriem numerare, qui idem quod nos, scripserunt: & tamen Smiglecius sententiam nostram ita rejicit, ac si nova, falsa & absurda esset.

De voce sermonis.

De voce erat.

Idem de voce *Erat* disserens ait, *observationem illam patrum, quâ statuitur, Ioannem ideo eâ usum fuisse, ut perennitatem existentis verbi indicaret, non esse perpetuam,* & addit, *sæpe illud imperfectum ἦν, quo hoc loco Ioann: est usus, pro præterito sumi, idq; latinè etiam aliquando fieri, se apud Ciceronem & Livium observasse: Et interpretem veterem, ait, non videri rationem temporum habuisse, ut pote qui idem verbum ἦν, 1. Ioan. 1. 1. per fuit, converterit.* Quod tamen Maldonatus in illo repræhen-

hendit, & ait, se maluisse, ut utrobiq; per *erat* vertisset. Idē ridiculas patrum expositiones super vocem *Principii* recensens, ait, *Nomen principii pro æternitate vix positum reperiri*: Et iterum, perstringens tacitè illas explicationes, ait: *simplicissimus quoq; sensus mihi maximè placet*. Qua in sententia utinam constans fuisset. Idem reprehendit Augustinum, *qui ita Christum apud Deum fuiße ait, ut animus est apud hominem*, quod Smiglecius etiam affirmat in libro: *Verbum caro factum*. Rationem addit Mald., *quòd animus pars hominis sit, ideoq; rectè dicatur apud hominem esse. Verbum autem non eße partem Dei*. Nos in explicatione istorū verborū aliametiam ratione prȩter hanc attulimus.

De voce principii.

Idem, verborum: *Et verbum erat apud Deum*, acutam & germanam interpretationem esse, quam Gregorius sequatur, asserit: *Idem eße, verbum fuiße apud Deum, & fuiße invisibile, fuiße quodammodo absconditum*, & ait, *hunc sensum mirificè sibi placere*, & addit: *id, quod Ioan: hoc loco dicit: Verbum erat apud Deū, dicere brevius* 1 *Epistola cap.* 1. *v.* 2. *Annunciamus vobis vitam æternam, quæ erat apud patrem, & manifestata est*. Quæ licet alium sensum admittere possint, præter eum quem Mald. sequitur: docent tamen manifestè, non esse durum, insolens, & absurdum, ut Smiglecius ait, phrasin, *apud Deum eße*, significare, esse absconditum, & opponi manifestationi.

De verbis apud Deum esse.

Meminit, ut hoc obiter addam, in Synodo Syrmiensi definitum fuisse, ut qui non crederet, filium in creatione patri obsecutum esse, anathemate (ut ille vitiosè loquitur) execraretur. Hinc nonné constat, antiquitus Christum non pro creatore ipso, vel prima causa creationis, habitum fuisse: & tamen hodie, qui id credunt, anathemate a pontificiis & aliis percutiuntur. Idem sententias super hoc caput autorum antiquorū, qui interdum subtilitates philosophicas pro explicationibus scriptorum Apostolicorum afferunt, recensens, sic ait: *Apageſis a sanctissimis adytis scripturarum istā subtilitatem: Interpretis honori parco, lectorem tamen moneo, ne istis delectetur argutiis. Nihil futilius, nihil minus dignum est sacrarum literarum majestate, quàm in iis exponendis, impudenter abuti ingenii subtilitate*. Quod sibi Smiglecius a suo collega capiat, præsertim in explicatione vocis verbum, de quo idem dici potest, quod Maldonatus de iis affirmat, qui per vitam, quæ in Christo fuit, vitam animalem intelligunt, quod tamen nonnulli faciunt: *Probabilis*, ait, *conjectura, si Aristotelem interpretaremur: nunc autem Ioannem Evangelistam & piscatorem interpretamur, non Aristotelico sed divino spiritu loquentem*.

Sententia veterū de Christo.

De philosophicis verborum Ioannis explicationibus.

Idem de Ioanne Baptista ait, *cum tunc mißum dici, cùm prædicare cœpit*.

De voce missionis.

cœpit. Quomodo igitur Smiglecius missionem ad Christi nativitatem pertrahit? Idem, Christũ omnem hominem illuminasse, ait, *quatenus per eum non stetit, quò minùs omnes homines illuminarentur.* Mundum ait dici Christum non cognovisse, *quia major pars non cognoverit, & ex majore parte mundum dici eum non cognovisse.* Potestatem datam esse iis, qui Christum receperunt, qui credunt in ejus nomen, qui ex Deo nati sunt, ut filii Dei fierent, rotundè explicat de potestate, quâ credentes fieri possunt immortales, quod Smiglecius perpetuò rejicit tanquam absurdum. Idem ait, ut & hoc nunc obiter addam, *quando duo nomina caro & sanguis copulantur, mortalem & fragilem hominis conditionem solere declarare.* Smiglecius autem, ipsam humanam naturam per ea intelligi, contendit. Habitasse Christum in nobis, dixisse ait Ioannem, *quia volebat dicere, se vidisse, testemq; ejus rei oculatum esse.* Et iterum de gloria, quam viderunt, disserens, ait: *Verisimile est, quod quidam existimant, ad Christi transfigurationem alludere, cujus testis Ioan: fuerit, & ubi suam illi potissimùm gloriam intuendam aperuerat. Nam & Petrus, qui alter ejus spectator, ac testis fuerat, eodem allusit, ut suum, quemadmodum Ioannes, testimonium commendaret 2. Pet.* 1.17.18. En quòmodo Iesuita nobiscum adversus Smiglecium faciat, qui per vocem *nobis* aliud nihil intelligit, quàm homines, & per habitationem Christi in nobis, ejus habitationem in humana nostra natura. De verbis plenũ gratiæ, & veritatis, ait: *Verus sensus est, ut veritatem Ioan: opponat figuris Legis.* Smiglecius verò per veritatem perfectam sapientiam intelligit.

Quid sit, mundus non cognovit.

Potestatem habere Filium Dei fieri.

Caro & sanguis quid?

In nobis habitasse quid.

De gratia & veritate.

De verbis: *Ante me factus est, quia prior me erat,* unâ nobiscum ait, sensum esse: *quasi dicat, propterea mihi prælatus est, quia reipsa & natura sua multò præstantior, multò major, multò melior me erat,* & addit. *Mihi quidem placet, & si autorem non invenio, nisi malum.* Vide hominis candorem, cujus in Smiglecio nullum vestigium. Is enim optimè interdum dicta ab aliis, nunquam approbat, sed ob id solùm, quòd ab adversario dicta sunt, repudiat, quod rursus adversarium facit obstinatiorem. Hæc pauca ex prolixo Maldonati commentario proferre volui, ut præter ea, quæ suprà innui, hoc etiam perspiceret lector, vix ullum esse sacræ scripturæ locum, in quo non habeamus bonam antiquorum partem, & quosdam etiam ex magis sobriis recentioribus, a nostris partibus stantes, ideoq; injustè nos ita tractari a Smiglecio, quasi nova & antea inaudita afferamus pleraq;. Quanquam nos nescientes, interdum illud idem dicimus, quod alii ante nos dixerunt, ut vel hinc constet manifestiùs, quanta sit veritatis, quam Deus nobis

Prior Christo quomodo Ioan. Baptista.

nobis patefecit, vis & efficacia, ut pote quæ ab iis, qui tot seculis alii post alios vixerunt, concors testimonium exigat.

Sed nunc alterum etiam, quod hîc addere mihi visum est, persequor. Illud autem est, quòd Smiglecii fidem & candorem lectori examinandum proponere volui, quo in refutationibus uti solet, omittendo scilicet ea, quæ falsò a se dicta vel excusare vel defendere non potuit. Quòd quidem ab homine bono, nedum a Theologo, vel Theologiæ doctore abesse debere quàm longissimè, omnes, ut puto, mecum confitebuntur. Dixeram ineptissimè dici, Christum in cœlo natum esse *absque matre*, ideoque perperam verba autoris ad Hebr: ad istam generationem pertrahi: quia nemo sit, qui nesciat, si Christus in cœlo natus sit, eum ibi natum esse sine matre. Dixeram etiam, non minùs absurdum vel absurdiùs etiam esse, dicere, Christum natum esse in terra vel ex virgine Maria, sine patre. Nam hac ratione id, quod natum est ex Maria, non erit filius Dei, siquidem sine patre natum est. Ad utrumque hoc Smiglecius connivet, quia nimis turpe est ista dicere, nedum defendere. Rationem, cur necesse sit statuere, Deum aliquid ad Christi corpus constituendum in utero virginis contulisse, quia scilicet alioquin Christus non sit futurus a conceptione, & propter conceptionem filius Dei, vel Deus pater ejus, quatenus scilicet Deus hominis pater esse potest, nusquam etiam tractat. Qua tamen firma stante, commentum Smiglecii, quòd Deus ex sanguine solius Mariæ eum produxerit, corruere necesse est. Pro verbis Mariæ: *virum non cognosco*, ausus fuerat Smiglecius supponere; *nefas est mihi, virum agnoscere*. Hanc ego impudentiam appellâram. Smiglecius verò sicco id pede præterit, quo tamen vix aniliùs aliquid dici potest. Cùm Smiglecius diceret, Christum appellari semen mulieris, ad ostendendum, eum ex sola muliere natum esse, dixeram, nec Christum semen mulieris appellari. locum enim Genes: 3. ad Mariam a pontificiis pertrahi; nec etiamsi ita vocaretur, quicquam id profuturum Smiglecio. Posse enim eum, qui non absque opera viri natus est, dici semen esse mulieris, ut semen serpentis appellatur serpens, etiamsi absque masculo serpente non nascatur. ut etiam homines alii dicuntur nati ex mulieribus, etiamsi nascantur ex viris etiam. Hoc etiam silentio involvit Smiglecius.

Smiglecii doli deteguntur in omittendis, quæ refutare debuit.

1. 2. 3. 4. 5.

6. Audax suum & absurdissimum pronunciatum, quod etiam religionem Christianam omnibus extraneis suspectam & exosam reddere potest, Deo ita placuisse, & decuisse, ut nec prima, nec tertia, sed secunda divinitatis persona id munus (ut scilicet ex virgine nasceretur) subiret, & has esse probabiles congruentias & beneplacita

Dei,

Dei, & quandam decentiam, ne uno etiam verbo excuſavit; nec tamen ineptè, imò blaſphemè dicta eſſe, agnovit. Ne ſemel quidē 7.
illud diſertè refutat, quod pleno ore dicimus, & quod ſolum univerſam hanc de Chriſto controverſiam dirimere poteſt, hominem nullum unquam extitiſſe, nec hominem eum appellari poſſe, qui non idem ſit perſona humana: plurimos autem fuiſſe, qui Dei appellati ſunt, & tamen divinæ perſonæ non fuerint. Vnde neceſſario colligitur, Chriſtum, quia homo diſſertiſſimè appellatur, non poſſe non eſſe humanam perſonam. Dato hoc, neceſſariò ſequitur, Deum eum non niſi ob munus appellari, ne ſcilicet duæ in Chriſto perſonæ conſtituantur. Audiat hoc Smiglecius, &, id ſibi objectum eſſe, ſciat, quod
nunquam rectè ſolvere poterit. 8.

Oſtenderam in una Smiglecii oratione duos errores. Primum quòd ſibi contradiceret, dum ſemel ait, nos non extrinſeca ſolùm acceptatione divina, ſed intrinſeca regeneratione dici Dei filios: Ad marginem verò addiderat: Non ſumus filii Dei extrinſeca Dei benevolentia. Nam ſi non extrinſeca *ſolùm* acceptatione divina ſumus Dei filii. Ergo etiam extrinſecâ benevolentiâ. Voces enim: *non ſolùm, ſed etiam* ſemper duo ponūt: Si etiam extrinſeca, ergo falſum eſt, nos non eſſe filios Dei extrinſecâ ejus benevolentiâ, quod margo habet. Deinde quòd diceret, Deum nos regenerare, aliquod eſſe ſpirituale in nos infundendo, idque per baptiſmum aquæ. Prior levior eſt, in Smiglecio tamen doctore, & tam elato non tolerandus: Poſterior gravior eſt, præſertim ultima ſui parte, & defendi nullo modo po-
teſt, nec tamen a Smiglecio correctus fuit, aut ſaltem agnitus. 9.

Audaciam, maliciam, & calumniam Smiglecio (in re ſcilicet maximi momenti) objeceram, qui ſemel enumerans ea, ob quæ Chriſtum filium Dei eſſe credimus, ſic ait: *Fingamus Chriſtum ſumma ſapientia, poteſtate, immortalitate præditum, charitate (quod impoſſibile eſt) deſtitutum, profectò Paulo teſte ſtatuemus, hæc omnia in Chriſto non eſſe tanta, ut Chriſtus filius Dei eapropter dicatur, cùm ſine charitate iſta omnia nullius ſint momenti.* Omiſit enim id,
quod a nobis primo loco ponitur, nempe ſanctitatem, in qua chari- 10.
tatem etiam contineri, quis non videt? Præterea impudenter admodum cum donis linguarum & miraculorum, quæ ſcilicet poſſunt
nos non ſervare, jungi dixeram immortalitatem. Nam qui verè im- 11.
mortalis eſt, eum ſanctum reipſa eſſe neceſſe eſt. Deinde verò, cùm iterum illud idem Socino objiceret, *mirum ſibi videri eum omnia alia commemoraſſe, quæ ad Filii Dei rationem non ſpectant, ut ſapientiam, poteſtatem, immortalitatem, id verò, quod potiſſimum eſt*

in Filio Dei, quodque ad eſſentiam filii Dei conſtituendam pertinet, ſtudio quodam prætериiſſe, charitatem ſcilicet, quæ eſt cor, vita & eſſenſtentia filiorum Dei, & iterum addidiſſet: *id ita a Socino ſilentio præteritum eſſe, ac ſi ad rem non faceret, & ſine eo, filius Dei eſſe quis poſſet.* Ego iſtum paragraphum brevem quidem verbis, longum autem calumnia, & perverſitate appellaram, ut pote in quo iterum datâ operâ a Smiglecio omittatur, quod in fronte a nobis poſitum ſit, nempe ſanctitatem, quæ plus omnino eſt quàm charitas; & contra charitatem graviſſimè hîc a Smiglecio peccari queſtus fueram; &, niſi doli hujus eum pudeat, nec conſcientiæ, nec exiſtimationi eum conſulturum dixeram, ut eum tandem ex iſto veterno calumniandi exuſcitarem: ſtertit tamen Smiglecius, & quid ego dicam nihil curat, dummodo calumniæ ſuæ virus in nos innocentes evomuerit. Sed vivit Deus, Smigleci, qui iſta videt; Vident etiam homines iſta pii & cordati, & viderent, imò repræhenderent plures, niſi, ſervitute quadam preſſi, mallent vobis propitiis uti, quàm, verum dicendo, veſtrũ in ſe furorem convertere.

82. Theologiam peculiares habere loquendi formas, quæ extra eam in uſu non ſint, quod ego dixeram, nec verum eſſe agnovit, nec refutavit. Et tamen hoc ſtante, magna eorum, quæ Smiglecius docet, pars corruat neceſſe eſt.

83. Blaſphemias ab illo injuriâ appellari, quæ errores tantùm eſſent, ſi vera eſſent, quæ ipſe adverſus eos ſcribit, non ſemel docueram: At hoc apud Smiglecium nihil valet, apud quem convitiari, Theologi

84. doctoris ornamentum eſſe videtur, & fortaſſis etiam officium.

Quæ Chriſto, a Deo data fuiſſe dona Spiritus S. teſtatur propheta, ea Chriſtum in ſe recepiſſe, ait Smiglecius. Nec tamen illud correxit.

85. Dolũ Smigl: objeceram, qui de cauſis, ob quas Chriſtus filius Dei eſt, adverſus nos diſputans, ſolam poteſtatem cõmemorat, quam etiam in Prophetis & Apoſtolis apparuiſſe (quanquam falſò) affirmat, omiſſa natura immortali, quàm prophetis & Apoſtolis datam eſſe probare non potuiſſet. At ille & hîc mutus eſt.

Vocem *Hodie* Pſalmo 2. de die certa intelligendum eſſe, inter alia probaveram eo, quòd de Davide, in Typo & ſenſu priori, dictum

86. ſit illud: Sed & hoc non curavit Smiglecius.

87. Ratiunculas adverſariorum: 1. Si Deus non genuit Filium ex ſubſtantia, aut non potuit, aut noluit. Si non potuit, non fuit omnipotens: ſi noluit, fuit invidus. 2. Si aliis rebus dedit, ut id generent, quod ipſæ ſunt, potuit etiam ipſe generare, quod ipſe eſt: 3. Melior eſſet humana conditio, ſi Deus ad patris formam non potuit pervenire, nugato-

nugatorias appellârã,&certè nimis nugatorias esse luculenter ostenderam. Smiglecius, quem fortasse puduit istarum nugarum, silendo deserere eas fortasse voluit;sed præstitisset reprehendendo id facere.

Homiliam quandam ex patribus de loco Ioan: 3. Sic Deus dilexit mundum, concinnârat.In qua ego multa reprehenderam, potissimùm verò illud, quòd verba, *dedit filium suum*, de incarnatione accipiant, quæ de datione in mortem accipienda esse ipse contextus docet, & alii etiam Pontificii autores, & Iesuita Maldonatus disertè testantur. Hoc etiam deseruit Smiglecius,falsum tamen esse agnoscere noluit.Cur id factũ sit,judicent alii. 18

Cùm Smiglecius ait, Christum non esse nobis propositum per modum imaginis, sed per modum doctoris, & non ad spectandum, sed ad audiendum datum esse nobis,dicente patre: Hic est filius meus dilectus,illum audite,dixeram ego, ista nihil pugnare, & ineptè huc a Smiglecio adduci, quod verissimum esse, ipsemet, ut puto perspexit,nec tamen se perspexisse indicavit. 19

Ostensurus Smiglecius verba, *quæ sunt in cœlo & in terra*, non excludere, ipsum cœlum & terram, attulerat etiam verba orationis dominicæ: *Fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra*, id verò quàm ineptè factum esset, ego docueram, & nemo non videt: nec tamen erratum hîc a se esse,vel indicare voluit Smiglecius. 20 21

Cùm quatuor a Ioanne recenseri,quæ a Christo,antequam caro fieret, facta essent, inculcaret non semel Smiglecius, ego istud vanissimum esse, &multò plura (si vera sit sententia Smiglecii) recenseri disertè ostenderam.Nihil tamen movetur Smiglecius, ut istud a se fieri non debuisse agnoscat.

Cùm diceret Smiglecius,satis esse, se æternitatem generationis filii, ex loco Ioan: 1. ostendisse, ego oscitantiam ipsius accusabam, quòd nec Ioannes quicquam de generatione diceret, nec ipse eam Smiglecius ex loco Ioan: ostendere conatus esset, sed solam Christi æternitatem; æternitatem autem non inferre generationem æternam. Hoc ille etiam gnaviter omisit, cùm, perperam a se id dictum esse,confitendum esset. 22

Atque hæc pauca enumerasse sufficiat. Nimis enim tædiosus essem, si omnia exagitare pro meo jure vellem. Lectorem meum rogo, ut ex hoc respondendi modo, responsionis Smiglecianæ vim & naturam consideret: Smiglecium verò, ut hominem se esse agnoscat, & proinde alios mitiùs & modestiùs tractare, quàm hactenus solitus est, addiscat.

LAUS DEO ET CHRISTO.

REFUTATIO LIBRI
MARTINI SMIGLECII JESUITÆ,
DE SATISFACTIONE CHRISTI.

Responsio ad Præfationem.

HACTENUS de Christi persona disputatum est, & abunde ostensum, quanto in errore omnes ii versentur, qui alium Dei filium, præter & ante eum, qui ex virgine Maria natus est, confinxerunt. nam & in Deum injurii sunt, quod omnia, quæ Christus habet, Christo tanquam naturâ Deo tribuant, quæ Deus sibi vult tribui; & salutis suæ certitudine, quæ non ex Christi divina natura, sed ex ejus, quam a Deo habet, exaltatione, pendet, quantum in ipsis est, semetipsos privant: Nunc de munere Christi, ejusdem gratia nobis favente, disputaturi, & Smiglecium, strenuè, sed otiosè, semel dicta & prostrata, repetentem, denuò refutaturi, hoc proœmii loco dicere, præfatiuncula Smiglecii libro huic præfixa, coëgit. Ante omnia autem ob rudes & rerum imperitiores dicendum est, quid a nobis impugnetur. Impugnatur igitur, non quòd Christus omnibus illis satisfecerit, quæ illi a Deo ad salutem nostram procurandam imposita erant: sed quòd justitiæ Dei, ob quam nullum peccatum impunitum dimittere posse creditur, satisfecerit, ex irato Deo propitium reddiderit, eum nobis reconciliârit, pœnas, quas nos luere debebamus, nostri loco perpessus & salutem nobis meritus sit, & alia his similia. Hoc ita præmisso, Smiglecium audiamus. Is ait, *Christi satisfactionem tollere, aliud nihil esse, quàm Christum unicum Redemtorem, Mediatorem, Salvatorem nostrum abnegare, sanguinemq; & mortem ejus conculcare, & summo ipsius amori ac beneficio injuriam facere, deniq; omne salutis nostræ negotium funditus tollere.* Quæ verba, vel excæcationis cujusdam divinę, vel malitiæ Smiglecii indicium sunt. Nam si non intelligit, redemtionem & salutem dari absq; satisfactione, & posito genere non poni speciem affirmatè, pœnâ aliquâ eum premi dicendum est; cùm non possit alioquin, ut pote, cui nec ingenium nec eruditio deest, istud non agnoscere. Iam si hoc intelligit, & tamen istiusmodi verbis in nos involat, & nos omnibus exosos reddere cogitat, quid in eo aliud accusemus, quàm malitiam, quòd, dummodo noceat adversario, calumniari eum nihil vereatur. Quid enim? num abnegat is unicum redemtorem, mediatorem & servatorem, qui nullum nomen sub cœlo hominibus

Incommoda sententiæ Smiglecii de Filio Dei ante Mariam.

Qualis satisfactio Christi impugnetur a nobis.

Smiglecius audax repellitur.

Vnde constet, aliquem non negare Christum unicum redemtorem.

minibus datum esse ex animo credit, in quo nos servari oporteat, præter nomen Iesu,& salutis viam per eum nobis annunciatam,confirmatam & ostensam, salutem deniq; ipsam per eundem fidentibus dandam esse confitetur? Qua in re& ejus cognitione,Deus, alto consilio suo, Ecclesias nostras ita illustravit, ut habeant in quo glorientur; quæ scilicet tam expeditam & jucundam viæ salutis, & ipsius salutis rationem perspectam habeant; reliquis ecclesiis, ut videmus, hîc perpetuò caligantibus,& eam salutis viam sectantibus,quæ & intricata est, & conscientias hominum, si sana ratione uti velint, nunquam pacatas reddere potest. Sanguinem Christi conculcare, est, a Christo deficere,& eundem blasphemare,teste autore ad Hebr: Hoc verò quomodo sine malitia & malevolentia de iis dici potest, qui sanguinem Christi tanti faciunt, ut salutis æternæ causam illum esse confiteantur? etiamsi tandē aliqua ex parte circa hanc rem errarent. Sed ita tumultuari & convitiari eos oportet, qui errores suos aliter venditare nequeunt. Amori & beneficio Christi,quomodo is injuriam facere dici potest, qui summum amorem, summum beneficium Christi erga se in morte illius exhiberi agnoscit? Omne deniq; salutis negotium, quomodo is tollere dici potest, qui, ut antea diximus, omne salutis negotium ut expeditissimum habet,ita totum illud uni Iesu Christo servatori nostro acceptum refert?

Heb. 10. Quid sit sanguinem Christi conculcare.

At enim ait Smigle:, *si sanguis Christi nullam vim ad tollenda peccata nostra,ut isti volunt habet, sed solùm in testificationē divinæ erga nos benevolentiæ fusus est,verè nos Christus non redemit,non liberavit a peccatis* &c. Sed hîc calumnia est,eaq;duplex,& dolus. Vna calumnia est, quòd nos velimus,sanguinem Christi nullam vim ad peccata tollenda habere. Sentimus enim,sanguinem Christi omnem & perfectam vim habere ad peccata tollenda;licèt non eo modo eam habeat, quē credit Smiglecius. Altera calumnia est,quòd dicamus, *solùm* in testificationem divinæ erga nos benevolentiæ fusum esse sanguinēChristi. Sentimus enim, eum fusum esse, ut salus ipsa nostra ad effectum perducatur, idque per ipsum Christum. Et, hanc causam Christi mortis præcipuam esse, disertè docemus. Vnde constat etiam, quàm ineptè huc martyres & sanguinem eorum adduxerit Smiglecius. Hi enim, tantùm abest, ut per mortem eorum salus ad effectum perduci queat, ut nec isto fine moriantur, ut divinæ erga nos benevolentiæ testificationem edant,ut infrà fusiùs docebimus.

Sanguinem Christi perfectam vim habere ad peccata tollenda.

Differentia mortis Christi & martyrum.

Porrò,cùm misericordiam Dei isti satisfactioni opponimus,quod argumentum est validissimum ad eam evertendam, Smiglecius non habet,quod directè vel mutire queat. Ait enim: *nos,in sacris literis mi-*

sericor-

sericordiam Dei, non nisi conjunctam Christi redemtioni, passioni & morti agnoscimus. Quid tum postea? Num nos misericordiam Dei sejunctam a redemtione passione & morte Christi agnoscimus, ut dicat, se eam non nisi junctam cum morte agnoscere? Certè utrumq; pleno ore profitemur. Non, an misericordiam conjunctam cum Christi redemtione, passione & morte agnoscas Smigleci, sed, an misericordiam Dei, conjunctam satisfactioni per mortem Christi, agnoscere vel debeas vel possis, quæritur. Itaq; ictum declinas, & ad rem non respondes. Redemtio enim, passio & mors sine satisfactione esse non tantùm potuit, sed etiam debuit, ob id ipsum, quia summa Dei misericordia in ista redemtione, passione & morte commendatur. Quæ verò de justitia Dei hîc mussitat Smiglecius, quæ scilicet exigat, ut Deus peccata non remittat, nisi ob satisfactionem, ea ne nominari quidem debuerunt. Nullam enim talem in Deo esse justitiam, eamq; naturalem, ista Dei misericordia validissimè efficit. Vbi enim est misericordia, ibi est remissio: At ubi talis est justitia, ibi necessariò pœna sequitur. Sed hæc omnia fusiùs in hoc libro deinceps tractabuntur.

Misericordia Dei uni cum morte Christi juncta.

Iustitiam, quæ necessariò peccata puniat, in Deo nullam esse.

Christum sua passione & morte non Deum nobis reconciliasse, vel ex offenso placatum & propitium reddidisse, sed nos Deo reconciliasse, & Deum nobis propitium declarasse, demonstratur.

CAPUT I.

FALSUM esse, quod ait Smiglecius, inde apparet, quòd in sacris literis nusquam reperiatur scriptum, Christum nobis Deum reconciliasse, vel ex offenso placatum reddidisse, nec ex illis id deduci possit: Verum autem esse, quod nos sentimus, vel hinc constat, quòd disertè testantur sacræ literæ, Christum Deo nos reconciliasse, vel, Deum nos sibi reconciliasse: Christum verò eundem Deum propitium nobis declarasse, & ipsum Deum se nobis in eo propitium exhibuisse, evidenter ex illis colligitur, dum dicitur, Christum esse propitiationem pro peccatis nostris, vel, Deum propitiationem eum proposuisse, ut in sequentibus docebimus. Quò accedit, quòd Deus nos, antequam Christus moreretur, dilexisse dicitur. Diligere autem aliquem, &, vel reconciliatione opus habere, vel offensum esse, ex diametro pugnant.

Cur præstet nostra sententia Smiglecianæ.

Hanc veritatem Smiglecius antea miro quodam modo exagitaverat

verat potiùs, quàm refutârat, quod in responsione ad Monstra illius satis etiam detexi: Nunc cùm defendenda essent ipsisemel dicta, quomodo veritati ei insultet iterum, diligenter expendamus. Primùm igitur argumentum contra nos format. Qui modus respondendi an sit legitimus, judicent eruditi. Equidem hac ratione indicari crediderim, adversarium pressum argumento id dissimulare velle, & spem simulare, & ita incauto lectori facilè imponi, persuasum habeo. Sed prodeat argumentum, quo Smiglecius nos potenter urgeri ait: *Quam diu Deus peccata non remittit hominibus, manet hominibus offensus & iratus. At Deus dando Christum, peccata omnibus hominibus (sic habet Smiglecius) non remisit. Mansit igitur offensus & iratus, donec per Christi sanguinem & peccata illis remitteret, & se benevolum placatumq; iis exhiberet.* Dico igitur, in hoc argumento nihil esse, præter ipsas fallacias & errores. Fallacia est & error, Deum, quam diu non remittit hominibus peccata, manere hominibus offensum & iratum. Potest enim is etiam, qui peccata nondum remittit actu, cessare esse offensus & iratus. Cujus rei indicia sunt, quòd irâ abjectâ, gratiam suam ei, qui offendit, offert sponte sua, & de eo sibi reconciliando cogitat, & eatenus etiam remittere peccata dici potest, quatenus non cogitat ampliùs, ob peccata præterita, quibus offensus erat, offendentem punire. Talem autem Deum fuisse, antequam Christus moreretur, ipsa luce clarius est. Nam si non cessasset esse offensus & iratus, quomodo gratiam nobis offerre, & de nobis per filium suum reconciliandis cogitare potuisset, quod tamen eum fecisse testatur scriptura? Imponit igitur lectori Smiglecius, dum ait, *Deum semper velle peccata punire, quamdiu peccata non remittit*, scilicet, reipsa. Potest enim Deus tunc etiam non velle punire, cùm non remittit peccata reipsa, quatenus iram abjecit, & offendenti propitius est factus sponte sua.

Modus rescribendi Smiglecianus indicatur.

Errores Smiglecii insignes.

Potest is, qui peccata actu nondũ remittit, cessare esse iratus.

Fallacia & error est, Deum, dando Christum, peccata hominib: non remisisse. Nam, si Deus in Christo fuit cùm in terris degeret, & tunc mundum sibi reconciliavit, non imputatis delictis illorum, quod ait Paulus, certè Deus, dando Christum, (ut sic cum Smiglecio ineptè loquar) & ante mortem peccata hominibus remisit. Idem enim sunt, peccata non imputare, &, peccata remittere. Fallacia proinde & error ista est appendix, Deum per Christi sanguinem demum peccata remisisse, & se benevolum placatumq; exhibuisse.

Deus, dando Christum, peccata quomodo remiserit. 2. Cor. 5. 19.

Minores errores Smigl: non exagito, quales sunt, dũ ait in assumtione, *Deum dando Christũ hominibus, peccata omnib: hominib: non remisisse.* Nam per verba *dando Christum* procul dubio intelligit Christi nativitatem, vel etiam initium prædicationis illius, vel certè aliquid aliud

Errata Smiglecii minora. 1.

aliud præter mortem Christi. cùm tamen per hanc vocem, cùm de Christo sermo est, mors illius indicetur,& sic Smiglecius,si cum scriptura loqui velit,seipsum refutat. Deinde Christum *datum esse hominibus* insolens & absurda phrasis est,sacrisq;literis novi Fœderis prorsus ignota. Porrò cùm ad vocem *hominibus* addidit *omnibus*, & pro eo, quod satis erat dicere: nam dando Christum, peccata hominibus non remisit,dicit: *Nam dando Christum hominibus,peccata omnibus hominibus non remisit*,sensum valde obscurum effecit,& causam se castigandi justam præbuit. Possent enim verba Smiglecii ita accipi, ac si Deus aliquibus peccata remiserit dando Christum, quod contradictionem in ejus oratione efficeret.Deniq;,captiosè benevolum cum placato jungit. Nam benevolus etiam aliquis esse potest, qui non est placatus, nempe qui sponte sua iram deponit. Sed hæc mitto. Dico autem iterum jam constare, quanta sit potentia argumenti Smiglecianí. Equidem, non vero argumento, sed mera sophisticatione nos pressos esse a Smiglecio, conqueror. Cùm non minùs sit difficultatis in sophismate, quàm in argumento. Credo autem manifestum futurum,me istud sophisma, in ignorantia rerum sacrarum fundatum, ita disjecisse,ut,nihil in se sanum continere, jure censeri possit. Et certè istam Theologiam non possum non contemnere, quæ Deum, antequam Christus moreretur, offensum & iratum fuisse, post mortem autem Christi demum,eum placatum se exhibuisse,contendit. Quãquam & antea etiam dixi,ad efficiendum quod nos volumus,nempe Christum non satisfecisse pro nobis Deo, satis est, Deum decrevisse nobis peccata remittere, & id nobis obtulisse.Nam qui tale quid decrevit, idq; offert, is jam non potest non esse propitius. Si propitius est, quomodo placari eum opus est? Taceo, quod Smiglecius parum diligenter rem tractat,dum loco satisfactionis,quam probandam susceperat,solam placationem nunc urget, cùm tamen ista multùm inter se differant. Potest enim alicui satisfieri, nec tamen placari is, cui satisfit: Rursus potest aliquis placari,cui non satisfiat; imò si satisfiat, placatione nulla opus est: ubi verò satisfactio præstari non potest,ibi ad placationem itur.

[Margin notes: 4. (beside "Deinde Christum datum esse hominibus"); 5. (beside "Porrò cùm ad vocem"); 4. Benevolum esse & placatum differunt.; Decretum Dei de remittendis peccatis tollit satisfactionem.; Ineptè placatio pro satisfactione substituitur.]

Vnde constat,quanti sit facienda Smiglecii explicatio,quam super verba Christi, *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret*, affert, nempe istam dilectionem, non peccatorum remissionem continere,sed oblatam Dei gratiam.Iam enim docuimus,oblationem etiam gratiæ sufficere ad ostendendum, non esse opus satisfactione. Nam qui gratiam affert, is, iam propitium se esse,hoc ipso declarat.Adde quòd ea verba,ut ante,tum ratione tum autoritate le-

Quid sit, Christũ dari, Ioan.3.

ſuitæ Maldonati & aliorum docui, de datione Chriſti non nobis, ſed in mortem accipienda ſunt. Vnde conſtat, tunc gratiam non tantum oblatam, ſed peccata remiſſa eſſe. (ut nunc Smiglecii Theologiæ inſiſtam) ſi peccata tunc remiſſa ſunt, quomodo non falſum erit, quod ait Smiglecius, iſtam dilectionem non continere remiſſionem peccatorum?

Sed ut omnia Smiglecii verba in hoc initio, quæ fundamenta ſunt reliquorum, accuratè examinemus, hoc Smiglecius amplius objicit: *Alioquin ſi antequam Chriſtus mitteretur, Deus offenſam hominibus remiſiſſet, & fuiſſet ex offenſo placatus, non fuiſſet neceſſe, Chriſtum eo fine in mundum mitti, ut peccata tolleret, & pro illis moreretur.* Hîc, antequam ad rem, quæ agitur, reſpondeam, dico, Smiglecium veritatem mirum in modum intricare, dum phraſibus ſcripturæ ex ſuo ſenſu utitur. Nam ut antea, cùm de datione Chriſti loqueretur, id de ejus nativitate accipiebat, ſic etiam nunc miſſionem Chriſti in mundum, pro eadem accipit. Quod tamen aliter ſe habere, jam aliquoties dictum & comprobatum eſt, jam ut dari, cùm de Chriſto dicitur, dationem ejus in mortem; ſic miſſio ejus in mundum, tempus, quando munus ſuum obiit, ſignificat. Vt igitur Deus, cùm Chriſtus natus eſt, remiſſionem peccatorum nemini per Chriſtum obtulit: ſic, quando Chriſtus in mundum venit, eam illum obtuliſſe per Chriſtum, ſupra ex ſcriptura indicatum eſt. Erat enim tunc Deus in Chriſto, mundum ſibi reconcilians, non imputatis delictis illorum; atque ita dicendum eſt, quando miſſus fuit, tunc peccata Deum hominibus remiſiſſe. Deinde ad ipſam rem reſpondeo. Etiam ſi Deus peccata remittere decreverit, adeoque ex parte ſui remiſerit certo modo, antequam Chriſtus in mundum veniret: neceſſe tamen prorſus fuit, ob cauſas maximi momenti, ut in mundum veniret ad tollenda peccata, & ut pro illis moreretur; de quibus mox dicemus. Priùs enim aliquid dicendum eſt de duabus rebus, quas hîc Smiglecius inſeruit. Vna eſt, gloriatio illius, *dum me prorſus non habere ait, quod reſpondeam ad hoc argumentum illius, etiamſi omnes in partes me torqueam.* Dico igitur, argumẽtum hoc ante a Smiglecio non fuiſſe propoſitum, vel ſaltem non iſto modo. Quomodo igitur ad illud reſpondere potui, vel non habere quod reſponderem? Dico iterum, ex jam dictis lectorem judicare poſſe, an, quod ad illud reſponderem, habuerim. Forma argumenti fuit aliqua: at materia ita vitioſa, ut nihil in ea rectè dictum ſit, captione tantùm & ſophiſtia tanquam larva quadam tecta, quâ detractâ, ſpero, jam omnibus ejus vitioſitatem manifeſtam fore. Altera eſt, quòd me reſpondentem facit, Deum mittendo Chriſtum in mun-

Quid ſit Chriſtũ mitti in mundũ.

Vana Smiglecii gloriatio.

mundum decrevisse, ita homines tractare, ac si nulla peccata antea fuissent, si modò in posterum Deo obedire vellent. Vbi iterum iure conqueri possum de dolo Smiglecii, qui ita mea verba citat, ac si directè ad istud argumentum illius diluendum prolata fuissent, & sola quidem. Cùm tamen, ut antea dixi, ad argumentum istud respondere non potuerim, ut pote quod propositum antea non fuerat; & præter ea, quæ hîc allegat, multò plura dixerim. Ita scilicet pro libitu suo mecum agit Smiglecius, ut, omnibus sursum deorsum versis, judiciũ lectoris perturbet, & ita rem ipsam & veritatem hominibus ex oculis & mente eripiat: sed frustra. jam enim in lucem producam ipsius technas.

Dolus Smiglecii.

Attulerat Smiglecius duas rationes, ad ostendendum, peccata non fuisse remissa absque Christo, ut ille captiosè loquebatur, hoc est, ante Christi in mundum adventum. Vna est, *quòd hac ratione secuturum sit, filium Dei frustra venisse ad tollenda peccata.* Altera est, *hac ratione peccata non esse in mundo*, Ad priorem ego respondens, attuleram rationes, quare Christũ in mundum venire necesse fuerit, etiãsi ante Christi adventũ peccata remissa suo modo fuerint. Ad alteram respõderam, id sobrio sensu acceptum verissimum esse. Deum enim decrevisse, ante Christi in mundum adventum, ita homines tractare, ac si peccata nunquam antea in mundo ab illis commissa fuissent. Hæc est eorum, quæ antea dixi, vis & series. Vnde lector videre potest, me, qui ferè perpetuò de hoc agendi modo cum Smiglecio confligor, nunc ita conquerendi causam habuisse justissimam. Nam rationem illam suam alteram, ad quam diluendam ego verba ista ascripseram, prorsus hîc omisit: ad priorem verò rationem suam hæc verba mea refert, ad quam nullo modo possunt pertinere. Nam si quis dicat, frustra Christum in mundum venturum fuisse ad tollenda peccata, si antea Deus peccata remisit, & alius respondeat, Deum antea decrevisse homines ita tractare, ac si peccata in mundo non essent, tantùm non de allio unus, alter de cæpis loquitur. Itaque speciosè dicere potuit Smiglecius de ista mea responsione: *Sed quis non videt, ipsum ad rem non respondere*, quia me respondentem ex suo cerebro, non sine perversitate, vel saltem negligentia, facit.

Rationes Smiglecii priores repetuntur, & earum solutiones.

Iam si dicatur iterum, peccata in mundo non futura, si Deus ante Christi adventum ea remisit, ego denuo verissimam esse responsionem illam assero, Nam si Deus decrevit peccata remittere, perinde fuit, ac si peccata nulla essent. Nec quicquam obstat, quòd Smiglecius ait, *Deum tunc tantùm paratum fuisse ad remittenda peccata, non autem re ipsa remisisse.* Nam & illud ipsum, quòd Deus paratus fuit pecca-

Quomodo jure dici possit, peccata non esse in mũdo, si Deus illa ante Christi advẽtũ in mundum remisit.

peccata remittere, tantundem valet, ac si Deus jam remisisset, ex parte scilicet Dei; & non minùs evincit, Deum nullam satisfactionem aut reconciliationem requisivisse a quoquam.

Falsum esse autem, quod ulterius ait Smiglecius, *nam si re ipsa non remisit, offensam non remisit, nec iram deposuit, ac proinde mansit offensus, & reconciliari per Christum debuit*, antea ostensum est. Potest enim is, qui nondum re ipsa & actu peccata remittit, offensam remittere, iram deponere & cessare esse offensus, nec reconciliationem ullam exigere, idque Deum fecisse vel hinc constare diximus, quòd gratiam hominibus, qui se offenderant, sponte sua obtulit, & modum, quo secum reconciliari possent, per Christum ostendit.

Potest is, qui nõdum reipsa peccata remittit, iram deponere.

Sed hæc omnia, quæ sunt puerilia & futilia, antea argumento invicto refutâram, quod nunc repeto, Deum scilicet ante mundum conditum, adeoque ante lapsum Adami, & non obstantibus peccatis hominum, qualiacunque tandem futura essent, decrevisse Christum in mundum mittere; (elegit enim nos in Christo ante constitutionẽ mundi, & gratia nobis data est in Christo ante tempora secularia) Vnde constat, Deum antequam offenderetur, nedum antequam placaretur, jam decrevisse, propitium esse humano generi, & nihilominùs tamen salutem illius per Christum procuraturum. Tanta scilicet fuit φιλανθρωπία Dei: Smiglecius autem somniat, Deum post peccatum demum, offensum & iratum factum; Deinde verò, interveniente Christi, intercessione & satisfactionis promissione, iram tam diu fovisse, donec illa per mortem Christi aboleretur. Quæ fabula verè turpis est & anilis, ut Paulus de similibus loquitur.

Deum ante mundum conditũ decrevisse peccata hominib⁹ remittere.

Ephes. 1. 4.

2. Tim. 1. 9.

1. Tim. 4. 7.

Iam hoc ita expedito, & Smiglecio ex deviis, in quæ astutè exorbitaverat, reducto, videamus, quomodo se gerat, in recitanda & refutanda responsione nostra ad priorem suam rationẽ. Ratio est: *Si Deus ante Christi adventum peccata remisit, frustra Christus venißet in mundum ad tollenda peccata.* Negata est consequentia, quòd alię causæ magni momenti dari possint, quare Christum in mundum venire oportuerit ad tollenda peccata, etiamsi antea Deus ea remiserit, quàm Christus in mundum veniret. Recitat igitur causas istas Smiglecius, sed non omnes, &, quod magis est, potissimam prorsus omittit. Tantùm enim meminit, *quòd venerit ad annunciandam & confirmandam istam Dei voluntatem, & ad disponendos exemplo vitæ suæ homines ad eam gratiam Dei recipiendam*: omisit autem illam, cum dico: venit, ut eandem voluntatem Dei ad exitum tandem perduceret. Qui dolus an deceat virum gravem & Theologum, judicet lector. Equidem victoriæ non veritatis studium illi propositum esse, dicere me jure posse

Ratio Smiglecii examinatur.

Dolus Smiglecii

posse existimo. Iam quia in recitanda mea responsione tam turpiter lapsus est, vel potiùs tam iniquè se gessit, quomodo responsionem meam legitimè refutare potest? Nam si constet, Christum ideo in mundum venire debuisse, ut Dei voluntatem ad exitum perduceret, nonne constat, causam maximi momenti fuisse, quare Christus in mundum venerit? Ad exitum enim perducere Dei voluntatem, est, peccata tollere. Iam si quis dicat, potuisse eam a Deo ad exitum perduci, is non expendit, quanta sit in eo Dei benignitas, & quanta nostra consolatio, quòd non ex persona sua, sed per Christum id effectum voluerit, de quo nunc plura dicere hæc scribendi ratio non permittit. Nunc enim polemica non didactica scribimus: præstitimus autem id alibi.

Adventûs Christi in mundũ causa potissima.

Cur Deus voluntatem suam per Christum ad exitum perduci voluerit.

Sed præterea ipsa responsio prorsus est inepta, captiosa & calumniosa etiam, dum ait: *Non advertit homo peracutus, Christum non annunciando solùm, & vitæ exemplo provocando homines ad omnem pietatem, remittere peccata debuiße, eo enim modo & Prophetæ, & Apostoli, & omnes prædicatores, qui verbo & opere inducebant homines, ut converterent se ad Deum, remittebant peccata, verùm præterea Christum sanguine suo pro nobis effuso obtinere debuiße remissionem peccatorum.* Hæc sunt ipsa Smiglecii verba. Scomma non curo. Acumen non glorior: sufficit tamen mihi, me non ita esse hebetem, ut sophismata Smiglecii me fugiant. Rem persequor. Et primùm miror, cur Smiglecius terminos ita mutet, & pro eo, quod est in controversia, nempe cur Christus peccata tollere dicatur, supponat, cur Christus peccata remittat. Hoc enim nihil est aliud, quàm rem obscurare, quod perpetuò sibi propositum habere videtur Smiglecius: At ii, qui Theologiam tractant, semper id agere debent unicè, ut veritas ex obscuritate eruatur, & saluti hominum consulatur. Deinde alterius doli Smiglecium accuso, dùm dicit, *Christum non annunciando solùm, & vitæ exemplo provocando homines ad omnem pietatem, peccata remittere vel potius tollere.* Omittit enim iterum aliquid, quod non solùm ego disertè dixeram, sed ipse Smiglecius paulò ante repetierat, nempe *confirmationem divinæ voluntatis.* Hæc enim non minimum est eorum, ob quæ Christus peccata tollere dicitur: imò excepto eo, quòd ipsemet tandem re ipsa voluntatem divinam ad exitum perducet, potissima est. Sic autem Smiglecium facere oportuit, ut prophetas & prædicatores mihi obiicere posset; Hi enim, & annunciare divinam voluntatem, & exemplo vitæ suæ, homines ad pietatem provocare potuerant; de quibus tamen dicere non potuisset, eos etiam venisse in mundum, ad confirmandam divinam voluntatem de remissione peccatorum.

Smiglecius terminos mutat.

Obscuritatẽ vitandam iis, qui Theologiam tractant.

Dolus Smiglecii novus.

Ob confirmationem divinæ voluntatis dici posse Christum peccata tollere.

Causa doli detegitur.

Propheras & prædicatores non venisse in mundum, ut voluntatē divinam confirmarent.

Nam quòd ad prophetas attinet, nunquam id illi fecerunt, ut pote quibus de remissione peccatorum, præsertim tali, qualem Christus revelavit, nihil unquam constitit: imò nec Apostolis id cognitum revera fuit, antequam Christus exaltaretur. Unde Christus ipsemet ait: *Sic oportebat Christum pati & resurgere a mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes, incipiendo ab Hierosolyma.* Reliqui verò prædicatores, nempe Evangelii, non ad confirmandam divinam voluntatem de remissione peccatorum constituti sunt, sed ad eam, quæ semel a Christo satis superque confirmata fuit, aliis ulteriùs proponendam & commendandam. Et tamen de his etiam dicitur, quòd, dum officium suum sedulò faciunt, se ipsos servent, & eos qui illos audiunt; quia scilicet ad salutē aliquo modo illis etiam prosint. Iam quòd Apostolos attinet, illi quidem voluntatem divinam de remissione peccatorum annunciārunt & confirmârunt etiam: sed longè alia ratione. ut hac de re fusè disseris, adversus Covetum illud idem objicientem, Socinus in lib: de Servatore. Atque ita, si aliqua vis in verbis Smiglecii inest, tantùm id ex illis colligi potest, in causis quibusdam, ob quas Christus peccata tollere dicitur, Apostolos aliquid cum Christo commune habere; quod verissimum esse, ea, quæ paulò ante ex Paulo de prædicatoribus adduximus, verba comprobant. Nam si is, qui tantùm alios docet, interim non facit ea, quæ adconfirmandam doctrinam ab aliis fiunt, servare tamen alios dicitur: quantò magis is id facere dicendus est, qui & docet, & doctrinam confirmat eo modo, quo ipse Christus, in certis rebus.

Luc. 24. v. 46.

1. Tim: 4. 16.

Differentia inter Christum & Apostolos in confirmatione divinæ voluntatis.

Porrò, nonné hæc est calumnia gravis, errore etiam suffulta, dum ait Smiglecius, *Christum etiam sanguine suo effuso obtinere debuisse omnibus remissionem peccatorum?* Ita enim loquitur, ac si ego negem, Christum etiam mori debuisse ad tollenda peccata, sed tantùm annunciare, & vitæ exemplo aliis præire ad pietatem. Quò vix aliquid dici potest iniquiùs. Nonné, dum dico, Christum etiam confirmandæ divinæ voluntatis causâ in mundum venisse, inter ea, quibus confirmavit voluntatem divinam, mors illius numerari debet, tanquam præcipuum? Et hæc causa fuit, quare Smiglecius causam hanc de confirmatione divinæ voluntatis, datâ, ut puto, operâ, omitteret. Sed jam dolus patet omnibus. Illud verò, quod de confirmatione divinæ voluntatis dixi, tam latè patet, ut non solùm Christi innocentiam, miracula & mortem, sed etiam ipsius exaltationem comprehendere possit. Hæc enim omnia ad confirmandam divinam voluntatem facta sunt, & ad hæc omnia facienda & obtinenda in mundum Christus venit.

Quænam ad confirmationem divinæ voluntatis pertineant.

Illud

Illud obiter perstringo, quòd Smiglecius, iterum terminos mutans, pro eo, quòd dicere debebat, Christum etiam sanguine fuso peccata sustulisse, (hoc enim nunc in quæstione versatur,) dicit, *obtinere debuisse omnib: remissionem peccatorum*, quæ vox *obtinere* ambigua est, & eum sensum inferre potest, quasi scilicet Christus morte sua meritus sit remissionem peccatorum, quo nihil falsius dici potest. Iam enim reipsa Deus peccata remissurum se promiserat, adeoq; ex parte sui remiserat, antequam Christus moreretur.

Vocis *obtinendi* ambiguitas detegitur.

Quid verò ad hanc absurdam sententiam faciunt verba Apoc:1. v.5. *Lavit nos a peccatis in sanguine suo.* Hîc enim tantùm ablutionis per sanguinem Christi mentio est: quo verò modo ista ablutio per sanguinem Christi facta sit, nullo verbo exprimitur. Vnde tandem constat, verissimè dictum esse a me, Christum in mundum venire debuisse ad peccata tollenda, ut hominibus id patefaceret, quod Deus de illis decreverat, ut idem hominibus variis modis confirmaret, ut eos ad id amplectendum permoveret, & ut tandem illud reipsa eis donaret. Quæ Smiglecius cavillis suis denigrare quidem voluit, interim suam vel ignorantiam vel astutiam nimis apertè prodidit.

Cur Christus in mundum venerit.

Porrò, *in errore me semper versari* ait, *cùm existimo, idem esse, Deum deponere omnem offensam, & paratum esse ad deponendam offensam.* At ego nunquam id dico, quomodo igitur hic error meus esse potest? Non, paratum esse ad deponendam offensam, & deponere offensam, dico idem esse: sed offerre gratiam supponere dico, jam iram esse depositam. Quia verò Deus per Christum antequam moreretur, gratiam obtulit hominibus, hinc colligo, illum jam tunc propitium fuisse, non verò iratum, nec ullam sui reconciliationem postulasse. Quod verò Deus certis conditionibus & pactis gratiam obtulit, ex eo nullo modo sequitur, quod Smiglecius urget perpetuò, eum non remisisse actu aut deposuisse offensam, antequam conditiones impleantur. Nã si non deposuisset re ipsa offensam, gratiam non obtulisset, nec de reconciliatione secum offendentis cogitasset: sed tantùm ex eo colligitur, gratiam oblatam nemini datum iri reipsa, nisi conditiones admittat, & puniturum Deum eos, qui illas non exequantur. Hoc autem in Deo non ex ira vel offensa, quæ ob peccata præterita mansisset, sed ex ira & offensa, quam in Deo peccata post oblationem gratiæ commissa excitârunt, proficiscitur. Vnà enim cum Evangelio & in eo contenta Dei gratia, revelatur (ut Apostolus ait) tanquam res nova, ira Dei de cœlo. Gratia est in eo, quòd Deus offensam ob peccata præterita prorsus abjecerit: Ira, quòd si gratiam oblatam homines aspernentur, gravissimè eos puniturus sit. Quod etiam antea in respõ-

Sensus noster exponitur.

Cur conditionibus certis Deus gratiam obtulerit.

Rom.1.18.

Quomodo gratia & ira simul in Evangelio revelet ur.

Smiglecius omittit ea, quæ refutare nequit

ſione ad Monſtra dixeram diſertè, nempe id, quòd Deus poſt ictum fœdus homines punire velit, non fieri vi alicujus iræ, quam Deus adversùs homines in ſe retinuiſſet, ut ait Smiglecius, ſed fieri vi novæ conditionis, ſub qua Deus fœdus illud cum hominibus pepigit, ad quæ Smiglecius ſuo more connivet.

Odiũ non inferre pœnam neceſſariò.

Sed contrarium adhuc urget Smiglecius, *quòd Deus, quamdiu peccata non remittit, habet tàm peccatum quàm peccatorem exoſum, odium autem cum amicitia non conſiſtere.* Ego verò, omiſſis aliis quæ dici poterant, dixeram antea, odium non inferre iram vel pœnam. Tantùm enim odium requirit, ut quis averſetur & improbet illud, quod odit: non verò, ut iraſcatur vel puniat. Odium peccati de natura Dei eſt, & tale quid, quod Deus nunquam non poteſt facere, ubi eſt peccatum: Ira autem vel pœna eſt actio voluntatis liberrima, quam Deus ſalvâ ſuâ juſtitiâ poteſt aut inferre aut deponere. Hanc igitur nos unà cum ſcriptura, Deum depoſuiſſe ſponte ſua affirmamus, cùm Chriſtum in mundum miſit, ut miſericordiam ſuam oſtenderet: rurſus verò novam iram propoſuiſſe, ſi id, quod Chriſtus hominibus obtulit, non recipiatur, ut juſtitiam ſimul & ſapientiam ſuam manifeſtaret. Itaq; non paradoxon hoc eſt re ipſa, ſed religionis myſterium, quod quàm diu non intelliget Smiglecius, ſemper in gravi errore hærebit. Nec ex eo

Non iraſci eum neceſſariò, qui pœnas proponit.

etiam, quòd Deus pœnas proponit non reſipiſcentibus, ulla ratione ſequitur, eum iraſci, vel iram retinere. Poteſt enim etiam benigniſſimus & ab omni offenſa liberrimus pœnas alicui proponere, ſi ſcilicet grato animo beneficium ſibi oblatum non excipiat.

Porrò cùm dico, Chriſtianos etiam peccata teneri odiſſe, & tamen eosdem teneri vel non iraſci vel iram deponere, riſu me quodammodo excipit Smiglecius, qui neſciam diſtinguere inter iram bonam & malam, juſtam & injuſtam; et deinde de odio juſto & injuſto, de ira juſta & injuſta diſſerit: Sed otiosè & ineptè. Nam quæ vera ſunt in hoc ejus diſcurſu, nemo Theologorum poteſt ignorare: Bona verò eorum, quæ hîc dicuntur, pars prorſus rejicienda eſt. *Odium*

Non licere Chriſtianis odiſſe peccatores.

eſſe licitum, ait, *quo ob peccata odimus peccatores*: Sed hoc licitum eſſe Chriſtianis, non probat; Tantùm enim ex Pſalmis quædam allegat de tali odio: ex ſcriptis verò N. F. nihil. Chriſtiani autem ex Chriſti præceptis vivere tenentur, quę multa eorum prohibent, quæ durante lege permittebantur. Iram etiam licitam eſſe ait, *cùm peccatoribus iraſcimur, & illis mala, quæ ob peccata juſtè merentur, infligi cupimus ex affectu juſtitiæ.* Sed & hoc nulla ſacrarum literarum autoritate comprobat, & falſiſſimum eſſe, ut multa taceam, univerſa Chriſtianæ religionis analogia, evincit. Etſi enim & olim ſub V. F. leges extiterint, &

Chriſtianis non licere, ut cupiant mala peccatoribꝰ infligi.

nunc

nunc etiam leges extent, quæ variis peccatis varias decernunt pœnas: tamen homo Christianus, nunquam debet cupere, ut eæ infligantur peccatoribus: sed semper dolere debet, si vel infligantur; vel infligendæ sint, ut Christum fecisse legimus, qui, licet justissimè pœnam desolationis civitati Hjerosolymitanæ destinatam esse sciret, tamen recordans illam, lachrymatus est. Cupere autem debet, ut omnes peccatores resipiscant, & ita serventur. Tantùm autem abest, ut Christianus ea mala peccatoribus infligi cupere debeat, quæ maxima sunt, nempe quæ vitâ vel valetudine eos privant, ut nec minima infligi cupere debeat, quantumvis ea interdum infligi utile esse possit. Quanquam non de eo, quid ita absolutè loquendo, liceat vel non liceat Christiano, nunc agitur; sed tantùm de eo, quid liceat homini Christiano adversus fratrem suum, a quo offensus est. Licere autem illi, irasci & iram fovere, ex diametro cùm præceptis Evangelii pugnat. Sic enim Paulus hac de re (ut unum locum adducam) ait: *Induite* Col. 3. v. 12. *sicut electi Dei, sancti, & dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, mansuetudinem, longanimitatem, supportantes alii alios, & condonantes vobismetipsis, si quis adversus aliquem habet querelam, sicut & Christus condonavit nobis, ita & vos.* Et quid opus est ista probare apud eos, qui quotidie orant: *Remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris*, & quibus revelatum est, si debitoribus suis non remittant, debita illorum, nec patrem cœlestem remissurum eis debita? Sed hæc hodie exsibilata sunt ex Ecclesia Christi: interim regnat in ea vindicta & crudelitas; hostes istius, quam novum & suum præceptum appellavit Christus, charitatis. Sed hac de re nunc plura dicere non est necesse.

Quæ huic veritati opponit Smiglecius, *Irascimini & nolite peccare*, ea iterum ipsius produnt ignorantiam. Quam enim permittit i- Quæ ira sit licita. ram Apostolus, ea alius generis est ab ea, de qua nunc agimus. Nos enim de ea agimus, quam vindicta vel saltem pœna consequatur. Paulum verò de commotione tantùm & perturbatione animi agere statuendum est, cùm eam absq; peccato fieri posse affirmat, & non diu in nobis eam manere velit; quemadmodum etiam alibi præcipitur, ut ad eam simus tardi. Nam quæ per se peccata sunt, ad ea non tan- Iacob. 1. 19. tùm tardos nos esse oportet, & in iis non tantùm diu non licet manere, sed nunquam ea nobis permittere, salva salute, possumus aut debemus. Quæ per se peccata sunt ad ea nec tardum esse licet.

Illud denique pronunciatum Smiglecii, *Deus, quia bonus est, odisse peccata debet: quia iustus, impunita non relinquere*, tanquam ineptum, falsum, & blasphemum proclamo, & ex s. literis nunquam

probari posse, pleno ore constanter assero. Non enim quia Deus bonus, peccatum odit, sed quia purus ipse & sanctus est. Bonitas autem Dei in aliis rebus consistit. Debere autem Deum peccatum odisse, imprudenter dictum est. Tantùm enim Deus odit peccatum: nihil autem facere *debet*: Deum deniq; debere peccata non relinquere impunita, impudenter & blasphemè dictum est. Deus enim, quia omnia peccata in eum tanquam in privatum committuntur, & ipse est absolutissimus dominus, potest, quæ vult punire, quæ non vult, impunita dimittere. Tales scilicet opiniones pepereret de Deo, satis factio Christi: vel potiùs tales de Deo opiniones pepererunt satis factionem Christi istam fictitiam.

Cur Deus bonus & justus sit.

Deum nec debere peccatum odisse, nec impunitum relinquere.

Dum ego dico, Deum & olim iratum fuisse, & nunc etiam irasci peccatis, neminem negare; quæri autem, an Deus tunc iratus fuerit, cùm Christum in mundum misit, Smiglecius ait, *me meipsum jugulare*. Quomodo verò? Sic igitur ait: *Si enim & ante & nunc peccatis irascitur, ex eo duo consequuntur. Primum est, voluntatē illam Dei paratam ad remittenda peccata, non excludere iram Dei in peccatores, sed moderari. Alterum est, tunc etiam, cùm Christum in mundum mitteret, iratum peccatorib: fuisse, neq; enim illis peccata remisit aut pœnas cōdonavit, sed paratum se ad condonandum exhibuit: interim tamen, dum non condonavit, iram & voluntatem puniendi retinuit, nisi resipiscerent*. Verba nunc Smiglecii sæpe ipsa & omnia ascribo, ut, quanta sit illius in hac materia tractanda vanitas, tantò uberiùs appareat. Dico igitur. Non constare primùm, quomodo responsio Smiglecii meam sententiam petat. Docendum enim erat, ex eo, quod ego concedo, Deum scilicet & olim iratum fuisse & nunc irasci peccatoribus, consequi, eum tunc etiam iratum fuisse, cùm Christum in mundum misit, alioquin extra oleas vagabimur. Deinde non ostendit etiam Smiglecius, quomodo ista duo, quæ ascripsit, ex eo consequantur, quod ego concedo. Prius enim nudè absque probatione posuit: in altero id, quod antea aliquoties in hoc capite dixerat, tantùm repetit. Itaque, omissis Smiglecii otiosis verbis, id quod res est explico iterum: Potuit Deus irasci peccatoribus modò his modò illis, & eos punire, antequam Christus in mundum veniret, quia fœdus cum illis tale non pepigerat, in quo gratiam remissionis peccatorum obtulisset, quemadmodum id de N. F. legitur; potest & nunc irasci peccatoribus, quia unâ cum fœderis novi pactione, in qua gratiam obtulit, iram etiam & pœnas denuncivit, iram, inquam, & pœnas non pro peccatis præteritis, sed post oblatam gratiam commisis: At tunc, cùm Christum in mundum misit, per eum fœdus novum cum humano genere pepigit, & ita planè omnem

Smiglecius ad rem non respondet.

Cur Deus antea & nunc peccatoribus iratus fuerit & sit.

omnem

mnem iram deposuerat, eamq; resumturus non fuisset unquam, nisi homines inobedientiâ suâ ad eam illum provocassent.

Nunc duo, quæ fundamentum nostræ sententiæ appellat Smiglecius, quomodo dissolvere conetur, videamus. Diximus, Deum dilexisse mundum, antequam Christus in mundum veniret, itaq; non fuisse opus, ut Christus eo fine in mundum veniret, ut Deum reconciliaret: sed Deum antea fuisse propitium, (non reconciliatum, ut ineptè nos loquentes facit Smiglecius) quàm Christus in mundum veniret. Smiglecius responsurus, negat tantùm, *ex ullo scripturæ loco colligi posse, Deum ita dilexisse mundum, ut toti mundo peccata remiserit, & si non remisit*, ait, *mansisse offensum*. Ego verò accuso primùm Smiglecium, qui loci huius Ioan: 3. tractationem hîc iteret, de quo in initio hujus capitis jam egerat, quemque a nobis propositum fuisse dixerat. Deinde dico eum nihil ad rem respondere. Ad id enim demonstrandum, quòd Deus antea mundum dilexerit, quàm Christus in mundum mitteretur, non est opus, Deum ita dilexisse mundum, ut toti mundo peccata remitteret, ut ait Smiglecius: sed satis est, Deum ita mũdum dilexisse, ut peccata illi omnia remittere decreverit, gratiam suam illi obtulerit, & modos, quibus homines secum reconciliari possent, proposuerit. Hinc enim id colligitur necessariò, eum antea quàm Christum mitteret, non fuisse iratum, nec reconciliationem sui expetivisse. Et falsum esse dico, Deum, si peccata non remisit, nempe actu, mansisse offensum. Potuit enim offensus esse desistere, & revera esse desiit, quando peccata se remissurum decrevit: & non sola remissione, quæ actu fiat, offensa tollitur, ut ait Smiglecius, sed etiam decreto & oblatione remissionis. Quod per se ita clarum est, ut probatione egere nulla videatur. Et certè de Deo ita sentire, ut sentit Smiglecius, quòd scilicet iram retinuerit, cùm gratiam offerret, dogma est prorsus absurdum & religione indignum. Quod enim de ira Dei, quâ nihilominus peccatores punire decrevit, objicitur, id jam antea dissolutum est, nempe eam non esse illam in Deo retentam, sed denuo concipiendam, si homines non admittant oblatam gratiam.

Ioan. 3.

Vnde dilectio Dei agnoscenda ante Christi adventum.

Offensa tollitur etiam decreto & oblatione remissionis.

Præterea locum Ioan: 3. ineptissimè, vel saltem contra se, huc adducit Smiglecius. Nam nos qui dicimus, Deum dilexisse mundum, antequam Christus in mundum mitteretur, non ex verbis istis Christi id docemus unquam, sed ex aliis, ut ex modò dictis constat, testimoniis & rationibus id colligimus. Locus autem Ioan: 3. de tali dilectione Dei, quâ mundum complexus est, loquitur, ut filium suum unigenitum daret, nempe in mortem, ut tum ipsa rerum complexio, & auto-

Deum ante Christi mortẽ mundũ dilexisse.

& autoritas multorum patrum ostendit. Hæc verò tanta dilectio, teste etiam Smiglecio, documento est, eum jam propitium esse, qui id facit. Nulla enim alia ex re præter hanc, dilectio Dei luculentiùs apparere potest. Iam si tanta Dei dilectio causa fuit, cur Christum in mortem daret, nonné evicimus, Deum antea quàm Christus in mortem traderetur, fuisse propitium, & sic opus non fuisse, ut per mortem Christi placaretur Deus vel propitius redderetur, quod perpetuò affirmat Smiglecius?

Vnde constat, cujus sint momenti sequentia Smiglecii verba: *Deinde, etsi propensum se obtulit hominibus ad remittenda peccata, eam tamen conditionem hujus gratiæ esse voluit, ut Christus pro peccatis sanguinem funderet & moreretur. Non igitur sine placatione & satisfactione Christi.* Quid enim ineptiùs dici potuit, quàm mortem Christi esse conditionem gratiæ Dei? Cùm jam ostenderimus, mortem Christi fuisse documentũ gratiæ Dei validissimũ & evidentissimum. Non igitur, si Christus moreretur, Deus peccata se remissurum & propitiũ fore constituit: sed quia Deus peccata se remissurũ jam ante cõstituerat, Christũ mori voluit, ut hæc illius voluntas & decretũ quàm perfectissimè cõfirmaretur, & sic nulla placatione opus fuit aut satisfactione.

Mors Christi, non conditio sed argumentũ est gratiæ Dei.

Sed verba scripturæ pro se adducit Smiglecius: *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris tantùm, sed etiam pro totius mundi.* Ego verò, ista verba nihil prorsus ad rem facere, contendo. Primùm enim non docuit Smiglecius, Christum ob mortem suam solam propitiationem appellari. Christus verò propitiatio dici potest, tam respectu ejus temporis, quod mortem illius antecessit, quàm quod eam consecutum est, ut ex dicendis constabit. Deinde fallax est ista consequentia: Si Christus est propitiatio, Ergo placatio. Neq; per illud stabiliri potest, quod ait Smiglecius, *propitiare enim aliquem, est propitium & placatum reddere.* Nam Ioan: non dicit, Christum propitiasse Deum: sed Smiglecius est, qui verba Ioan: ad sensum hunc detorquet. Potest autem propitiatio aliquis dici, non quòd aliquem propitium reddat, sed quòd propitium declaret. Vt exemplum, quod fortassis unicum habemus de operculo arcæ fœderis, testatur. Illud enim non ideò propitiatorium appellatum esse, ut Deum hominibus propitium redderet; sed quòd Deus in illo propitium sese ostenderit: & ita operculum Deum propitium esse declarârit, tum sana ratio, tum ipsa sacra scriptura testatur. Declaravit autem Deum nobis propitium Christus, non tantùm cùm mortuus fuit, sed etiam cùm voluntatem ejus tam benignam, de remissione peccatorum, in verbo suo annunciavit; declarat etiam nunc Deum esse propi-

Christus non ob solam mortẽ propitiatio.

Cur Christus sit propitiatio.

propitium nobis & universo mundo, quatenus ut potestatem ita etiam voluntatem habet, & nobis & omnibus hominibus peccata remittendi, dummodo resipiscant.

Multò magis etiam constat ex ante dictis, quàm ineptè Smiglecius differat de dilectione Dei varia, quâ scilicet hominem ob naturam diligere, ob peccata verò irasci illi possit & eum odisse. Vbi enim est odium & ira Dei, ibi nullam esse dilectionem veram, sensus communis comprobat: Nec unquam scriptura testatur, aut cum ratione dici potest, hominem, qui peccator sit, ob naturam a Deo diligi, vel naturam hominis dilectione Dei dignã esse, ut ait Smiglecius. Quidvis potius aliud id dicendum est, quòd Deus naturam hominis peccatoris non delet, quàm dilectio. Præterea non de tali dilectione nos loqui, iam ante ostendimus. Loquimur enim de dilectione, quâ Deus decrevit, se peccata hominibus remissurum, & quâ illis eandem gratiam offert, quæ dilectio magna Dei charitas, divitiæ misericordiæ, & φιλανθρωπία appellatur. Hanc verò dilectionem cum ira & odio consistere posse, nulla ratio permittit: Quãquam si ista dilectio spernatur, iram denuò concipi & pœnam infligi posse, confitendũ est.

Deum naturã hominis diligere, ineptè dici.

Qualis dilectio cum charitate cõsistere nequeat.

Quæ denique de distinctione Theologorum, quam insignem appellat Smiglecius, voluntatis divinæ in antecedentem & consequentem disserit, ea etiam huc nihil faciunt. Differunt enim voluntas & dilectio: & plùs est dilectio quàm voluntas. Potest enim Deus velle, ut homines serventur, interim nihil facere, unde appareat id Deum velle: At ubi dilectio Dei accedit, ibi etiam statim ejus effecta apparent. Deinde non constat, an ista distinctio vera vel saltem evidens sit, nedum insignis. Potest enim Deus simul & semel utrumque velle, nempe ut omnes serventur, & ut multi, si in peccatis maneant, damnentur. Et certè ita se res habet in negotio salutis. Deus enim simul & semel proposuit suam gratiam & iram omnibus. Gratiam obedientibus, iram peccatoribus. Decretum ejus ad omnes pertinet: effectus ad obedientes tantùm. Ex quo perspicere potest Smiglecius, nullam se causam habuisse, cur me ad Theologorum libros evolvendos relegaret, & Socinum etiam sugillaret. Nihil enim in libris Theologorum invenissem, quod me in hac quæstione erudire potuisset. Quæ verò ego affero, ea non Socini, sed sacrarum literarum & sanæ rationis nituntur autoritate & fundamento. Socinum denique non Arianismi novi architectum, sed Christiani corrupti unà cum aliis instauratorem fuisse, iam multis innotuit, & dies magis magisq; docebit. Et hactenus de uno, quod appellat, fundamento nostro egit Smiglecius.

Voluntatem & dilectionem differre.

Distinctionẽ voluntatis in antecedentem & consequentem, non esse veram.

Alterum, quod est, nos Deo reconciliatos esse, non Deum nobis, ut Paulus testatur, ita aggreditur Smiglecius: *Dei reconciliationem in nostra cum Deo reconciliatione contineri.* Sed primùm ad rem non respondetur. Nos enim dicimus, scripturam tantùm dicere, quòd Christus nos Deo, non verò, quòd Deũ nobis reconciliârit. Docendũ igitur erat, hoc etiam in scriptura dici, præsertim cùm hoc semper urgeat Smiglecius, Deum nobis esse reconciliatum, & magis etiam ad rem, quæ agitur, constituendam pertineat, quàm nos Deo esse reconciliatos. Prodidit igitur suam causam Smiglecius, imò etiam perdidit, dum tacitè fatetur, nihil in scriptura legi de eo, quod Deus reconciliatus sit nobis, sed in reconciliatione nostri Dei etiam reconciliationem contineri ait. Deinde verò videamus, quomodo sententiam suam desperatam probare nitatur. *Et enim*, ait, *tunc Deo reconciliamur, cùm Deus peccata remittit.* At hoc falsissimum est, vel saltem fallacissimum. Nos enim Deo reconciliamur, cùm ad eum convertimur. Hinc enim jubemur, ut Deo reconciliemur. Reconciliari Deo, actio nostra est, vel actionem nostram requirit. Ergo dici nequit, tunc nos Deo reconciliari, cùm Deus peccata remttit: sed antea quàm nos de reconciliatione nostri cum Deo cogitaremus, Deus jam peccata se remissurum decreverat, &, si cum Deo reconciliemur, peccata re ipsa remittet. PorròDeum tunc primùm desinere esse offensum, cùm peccata remittit, nempe re ipsa, falsum etiam esse ante docuimus. Potest enim aliquis desinere esse offensus, cùm remissionem peccatorum offert. Addo nunc illud, Deum peccata re ipsa nõ remittere, nec remissurum, nisi in adventu Christi. Hinc enim nostra beatitas in remissione peccatorum consistere, imò beatitas cum remissione peccatorum idem esse dicitur. Vnde constat, nec tunc Deum remisisse peccata reipsa, quando Christus mortuus est, ut sentit Smiglecius: sed tantùm decretum illum suum de remissione peccatorum confirmasse. Vnde & illud, quod ex consequenti addit Smiglecius *tum* scilicet, *cùm quis peccata remittit, incipere esse placatum & reconciliatum*, quàm sit a veritate alienum, apparet. Nam etiam, cùm quis offert gratiam alicui, & multò magis, cùm eam gratiæ oblationem confirmat, jam propitium eum esse, nemo sanæ mentis negarepotest. Propitium dico, eum esse. Nam voces placatus & reconciliatus, quibus utitur Smiglecius, captiosæ sunt, imò falsum continent. Nam placatus & reconciliatus semper aliquem supponunt, qui placaverit & reconciliaverit; qualis nemo est respectu Dei, qui illum scilicet placaverit aut reconciliârit: At propitium esse neminem supponit, qui eum talem reddiderit. Potest enim, ut homo, sic etiam Deus sponte sua absque ulla

Smiglecii tergiversatio.

Reconciliari nos Deo, cùm ad eum convertimur.

Is etiam desinit esse offensus, qui peccatorum remissionẽ offert.

Deum in adventu Christi demũ peccata remissurum.

Placatum vel reconciliatũ, & propitium esse differunt.

ulla placatione vel reconciliatione iram deponere, & loco iræ gratiam offerre.

Porrò quæ assumit Smiglecius, *remissionem fieri propter Christum, id est, propter mortem & passionem ejus, ideoq; Christum, ut sanguine suo fuit causâ, ut nos Deo reconciliaremur, ita & ut Deus reconciliaretur nobis*, ea ipsissima nituntur falsitate. Nuspiam enim, ne semel in universa scriptura legitur, remissionem fieri propter Christum, vel propter ejus mortem, ut mirari possis temeritatem Smiglecii, qui dicit, *omnem scripturam id testari:* sed tantum per Christum vel in Christo, & per mortem vel in sanguine eam factam fuisse, testatur scriptura. Quantùm verò differant propter Christum & per Christum aliquid fieri, nemo non videt. Propter Christum enim aliquid fieri, & propter ejus mortem, causam quandam meritoriam vel saltem effectricem principalem; per Christum autem aliquid, & per sanguinem, vel in sanguine ejus aliquid factum esse, tantùm causam instrumentalem mediam significat. Ita scilicet errores Smigle: & aliorum circa hoc negotium comparati sunt, ut defendi nequeant, nisi scripturis etiam sacris id affingatur, quod nunquam in eis dicitur. Quod equidem, ut omnes, qui veritatem amant, observent, in primis hortor. Effecit igitur Christus morte sua, ut nos cum Deo reconciliaremur, hoc enim testantur scripturæ. Commendavit enim nobis morte sua divinam charitatem, fœdus novum obsignavit, ipse etiam factus est salutis administrator perfectus, atq; ita feros nos & a Deo alienos cicures reddidit, & ad Deum, jam ante sponte sua nobis propitium, adduxit: at ut Deus etiam nobis reconciliaretur, nullo modo Christi morte effectum est. Imò ex eo ipso, quòd Christus nos morte sua Deo reconciliavit, apparet, Christum nobis Deum non reconciliasse. Frustra enim est, offendenti reconciliationem persuadere, quamdiu de offensi animo propitio non constat. Quia verò Christus nos Deo reconciliavit, hinc apparet, jam constitisse illi de Dei propitio erga nos animo, atq; ita non ideo mortuū esse, ut istum in Deo propitium & benevolum animum excitaret, sed in Deo iam existentem declararet & confirmaret. *Causa etiam fuit mors Christi*, quod addit Smiglecius, *ut nobis peccata remitterentur a Deo, & causam fuisse ut Deus nobis peccata remitteret* sobriè dici potest; nec tamen hinc sequitur, Deū per eā ex offenso placatum factum fuisse. Causa enim esse potuit & fuit, ut modò diximus, efficiens media, non principalis. Hæc enim fuit voluntas & benignitas Dei. Itaque quemadmodum Deus non est factus per mortem Christi ex offenso propitius; sic nec, Deum per eam nobis reconciliatum esse, dici potest: imò Deum reconciliatum esse, ut

Nuspiam legitur, nos propter Christum remissionem peccatorum consequi.

Propter Christū & per Christum aliquid fieri, differunt.

Quomodo Christus effecerit, ut nos Deo reconciliemur.

Christum nobis Deum non reconciliasse, quia nos Deo conciliāvit.

Quo sensu causa sit mors Christi remissionis peccatorum.

ſcriptura non dicit,ſic nec dici poteſt aut debet.Antea enim propitius ex ſeipſo fuit,quàm Chriſtus nos illi reconciliaret.

Vrget adhuc Smiglecius, & quia concedam Deum peccatores odio habere,quamdiu manent in peccatis, concludit, *eos,cùm ad Deum convertuntur,obtinere id, ut odium Dei in gratiam convertatur.obtinere autem gratiam ejus, qui ante oderat, eſſe ipſum reconciliare.* Sed ut ut ſe torqueat Smiglecius, nihil tamen efficit. Quis enim ei concedet, obtinere gratiam ejus, qui ante oderat, eſſe ipſum reconciliare? Nonné enim gratia alicujus,qui antea oderat,obtineri poteſt,ſi ipſemet offenſus ſponte ſua iram deponat,& gratiam ſuam offerat? Præterea quam aſtutè terminos mutat Smiglecius.Non enim nunc quæſtio eſt de eo,an hominesDeum reconciliare poſſint,quem offenderunt:ſed an Chriſtus,qui ad fœdus cum hominibus Dei nomine pangendum venerat,Deum tunc illis reconciliaverit.Facilè autem concedi poteſt, hominem, ſi in peccatis hæreat poſt agnitam Dei gratiam, ut Deum offendit, ſic etiam eum reconciliare poſſe & debere. Iam enim minæ iræ divinæ interceſſerunt, & non promiſerat Deus, ſe illam depoſiturum,niſi homines reſipiſcerent:At tunc,cùm Deus gratiam offert, non eſt opus,ut homo Deum reconciliet;ſed ſufficit eum reſipiſcere, ad Deum converti,& totum ſeſe illi dedere, absque ulla de reconciliando Deo cogitatione.

Obtinere gratiã alicujus, non eſt, ipſum reconciliare.

Terminos turpiter mutat Smiglecius.

Quando homo Deum reconciliare teneatur.

Sed audiamus alia: *Quòd ſcriptura dicat,nos reconciliari Deo,id non propterea fit, quòd Deus ſimul non reconcilietur nobis, ſed quòd Deus ex parte ſui, ſemper eſt paratus ad reconciliationem, idq; propter mortem Chriſti pro peccatis acceptatam, homines autem huic reconciliationi reſiſtunt.* Sed,ut antea dixi,ſi abſq; eo,quòdChriſtus Deum nobis reconciliavit,ut ſentit Smiglecius,reconciliatio noſtri cum Deo nulla eſſe potuit, & in toto hoc negotio, non, an nos Deo ſimus reconciliati, ſed,anDeus nobis reconciliatus ſit,quęritur,quid cauſſę eſt,cur hoc, quod ad errorem Smiglecii tuendum maximè pertinet, non dicatur in ſ. literis,dicatur autem illud, quod ad illum evertendum eſt aptiſſimum? Præterea, parũ eſt dicere eò, quòd Deus ſemper paratus eſt ad reconciliationem, dici non debuiſſe alicubi, Deum nobis eſſe reconciliatum:imò ſi paratus Deus fuit ad reconciliationem,annunciari nobis id ſaltem debuit,ut ad illam Dei voluntatem nos accomodaremus. At nunquam in ſ. literis proditum invenimus, nec Deum reconciliatum, nec paratum ad reconciliationem fuiſſe: Smiglecius tantùm eſt,qui quidvis dicere non dubitat,dummodò dixiſſe aliquid videatur,quo rem & adverſarium intricet.

Sententiam noſtram in Scriptura haberi, adverſariorum minimè

Nusquam dici, Deum reconciliatum aut paratũ ad reconciliationem fuiſſe.

Ait porrò Smigle: *ſecundùm uſitatiorẽ loquendi modum is dicitur reconci-*

liari, qui offendit, quia is sicut causam odio dedit, ita & reconciliatione indiget, & eam quærere debet, quamvis, dum ipse reconciliatur, ei quem offendit, consequenter ille offensus quoq; ipsi reconcilietur. Ego verò usitatiorem loquendi modum esse dico, cùm is dicitur reconciliari, qui offensus est, idq; sana suadet ratio. Reconciliari autem offendentem impropriè quodammodo dicitur, ad exprimendum istum paternum Dei affectum, quo in servandis nobis per Christum usus fuit, quòd scilicet non tantùm iram deposuerit, sed pro eo, quòd ipsius iræ & indignationi homines occurere debebant, ipsemet viam & modum ostenderit, quomodo homines gratiæ ipsius participes fieri possent, nempe si ad Deum se converterent. Hoc enim solo modo homines Deo reconciliantur. Iam dum dicit, eum, qui offendit, sicut causam odio dedit, ita & reconciliatione indigere, & eam quærere debere; dico, id tunc demum verum esse, si offensus reconciliari velit vel postulet: aliàs enim, si sponte sua iram deponat, non est opus tali reconciliatione, quam ipse qui offendit, quærat: sed satis est eum id facere, quod offensus ad gratiam suam acquirendam & obtinendam requirit; & ita falsum esse apparet, dum aliquis isto modo, ei, qui offensus erat, reconciliatur, reconciliari etiam consequenter eum, quem offendit. Offensus enim, qui hîc est Deus, reconciliationem cum eo, qui offenderat, ipsemet quærit & offert, & sic nulla prorsus ex parte illius est reconciliatio.

Reconciliari eum propriè dici, qui offensus est: qui verò offendit, impropriè.

Quādo is, qui offendit, reconciliationem quærere debeat.

Addam & alia Smiglecii verba: *Neq; vero ista sunt pugnantia, nos egere reconciliatione cum Deo, & oportere Deum nobis reconciliari. Utrumq; enim diverso sensu verum est. Nam respectu causæ datæ, quæ in nobis est, nos egemus reconciliatione, non Deus, qui in se nullam odii causam habet, nisi ex nobis, quoad rem autem ipsam necesse est, ut & nos reconcilimur Deo, submittendo nos ipsi, & ipse reconcilietur nobis, gratiam suam nobis exhibendo & condonando peccata.* Sed hîc cum umbra sua pugnat Smiglecius. Non enim dicimus, pugnantia esse, nos reconciliatione cum Deo egere, & oportere Deum nobis reconciliari: sed pugnantia esse dicimus, Deū nostram secum reconcilationē quæsivisse per Christum, & tamen eundem Deum reconciliari debuisse vel voluisse, ut credit Smigle:. Nam qui ei, qui offendit, mediū ostendit perveniendi ad gratiam suam, is jam propitius est, & proinde, ut reconcilietur, opus non est. Quanquam neutrum eorum, quæ proposuerat, rectè explicavit Smiglecius. Nos enim, licèt causam iræ dederimus, non egemus reconciliatione, hoc est, ut ambigua verba, quibus se tegit Smiglecius explicem, non egemus, ut Deum reconciliemus, quia Deus

Reconciliationē quærere, & velle ut ab alio reconcilieris, cōtraria sunt.

ſponte ſua iram depoſuit. Nec verum eſt, Deum gratiam ſuam exhibendo, & peccata condonando nobis reconciliari. Cùm gratiam exhibere & peccata condonare potuerit Deus, & porrò etiam exhibuerit & condonaverit absque ulla ſui reconciliatione, quod encomia iſta divinæ bonitatis, per quam iſta gratia exhibita & peccatorum remiſſio oblata eſt, de quibus ſuprà diximus, ſatis ſuperq; comprobant.

Porrò cùm *Deum requirere* ait, *ut vel nos vel alius noſtro nomine illum commoveat, ut nobis reconcilietur & offenſam ſuam deponat*, iterum rem intricat. Nam, quòd Deus a nobis requirat veram pœnitentiam & dolorem pro peccatis, quâ commoveatur & remittat nobis peccata, id ad propoſitum non facit, ut antea etiam docuimus. Hoc enim Deus requirit a nobis poſt oblatam ſuam gratiam de remiſſione peccatorum: nec verò quæritur, an Deus ad gratiam offerendam, quando ſcilicet N. F. per Chriſtum nobiſcum pepigit, commotus ſit a nobis. Noſtra pœnitentia non eſt cauſa, quæ Deum moverit ad gratiam & peccatorum remiſſionem offerendam: ſed conditio, ſine qua Deus peccata reipſa nobis remittere non vult. Quòd verò a Chriſto etiam requiſierit, ut ſanguinem pro peccatis funderet, id minùs etiam ad propoſitum facit. Tunc enim, cùm Deus jam ardentiſſimo amore mundum proſequeretur, requiſivit a Chriſto, ut ſanguinem pro peccatis funderet. Qui verò jam aliquem vehementer amat, eum reconciliari non eſſe neceſſe, res ipſa loquitur. Deum ſponte ſua & nullo movente offenſam depoſuiſſe, falſum eſſe ait Smiglecius, quo tamen nihil de Deo veriùs, nihil ſanctiùs dici poteſt. Omnis enim gloria Dei perit, ſi ab alio motus offenſam depoſuit, & plus tribuendum eſſet in noſtra ſalute ei, qui Deum commoviſſet, quàm ipſi Deo, quod blaſphemum cenſeri poteſt. Rationem iſtam futilem aſſcribit iterum: *Quia depoſitio offenſæ ſine peccati remiſſione eſſe non poſſit, peccata autem non niſi in Chriſti nomine, & propter Chriſti ſanguinem, nobis a Deo remittantur*, quæ falſa eſſe ſi verba, in Chriſti nomine, excipias, antea oſtendimus aliquoties.

Pœnitentiam Deus poſt oblatam gratiam poſtulat.

Pœnitentiam eſſe conditionem oblatæ gratiæ.

Deum a Chriſto requiſiviſſe ut ſanguinem funderet reconciliationem eum non quæſiviſſe arguit.

Deum ſponte ſua offenſam depoſuiſſe.

Ad locum 2. Cor. 5. v. 19. auguſtum valde, quo totum hoc negotium explicatur his verbis: *Deus erat in Chriſto, mundum reconcilians ſibi, non imputans illis peccata ipſorum*, ſic reſpondet Smiglecius: *Deus dicitur mundum ſibi reconciliaſſe, non quòd reconciliatio jam tunc actu eſſet conſecuta, ea enim ſine remiſſione peccatorum eſſe non poteſt, ſed quòd eſſet parata*. At Smiglecius quid dicat, parum perpendit, imò ſeipſum refutat. Nam ſi ſine remiſſione peccatorũ reconciliatio eſſe nequit, jam ubi eſt remiſſio, ibi etiam eſt reconciliatio actu. At hîc Paulus diſertè exprimit unà cum reconciliatione noſtri cum Deo, quòd peccata

Smiglecius ſeipſum refutat.

cata mundi Deus illi non imputaverit. Præterea nonne tacitè Smiglecius, quod de reconciliatione nostri cum Deo dicitur, ad reconciliationem Dei nobiscum trahit, dum dicit, omnia fuisse parata ex parte Dei, quæ ad istam reconciliationem pertinebant. Cùm tamen reconciliationis Dei nulla usquam fiat mentio, nec parata fuisse dici debet reconciliatio ex parte Dei, sed parata fuit gratia, quæ non ex reconciliatione, quam aliquis alius extra Deum præstitisset, sed ex spontaneo iræ depositionis, & peccatorum remissionis decreto pendebat. Itaq; dicendum est omnino, quod se nec velle nec debere dicere ait Smiglecius, si Dei, non reconciliatio sed gratia fuit parata & hominibus oblata, Deum tunc prorsus omnem iram deposuisse, quæ antea in eo manebat ob peccata hominum: &, dum homines cum Deo reconciliari nolunt, non dicendum est, Deum manere offensum & hominibus inimicum, sed ex propitio fieri denuo iratum & offensum, ut suprà non semel explicavimus.

Non reconciliationem, sed gratiam fuisse paratam apud Deum, cùm Christus venit, dicendum esse.

Pergit ineptire & veritatem obscurare Smiglecius, dum me existimare ait, *Deum nobis reconciliatum fuiße, antequam nos Deo reconciliemur.* Ego enim nunquam ita loquor, ut pote qui negem, Deum fuisse reconciliatum, sed dico, Deum ante fuisse nobis propitium, quàm nos illi reconciliaremur; quod ita clarum est, ut nihil clarius. Nostra enim cum Deo reconciliatio aliud nihil est, quàm admissio & impletio conditionum, quas Deus nobis imposuit; si gratiæ illius, quam nobis sponte sua obtulit, participes esse velimus. Quis verò nescit, priùs esse gratiam, quàm conditionem, cum qua gratia recipienda est? Idq; Paulus comprobat cum ait: *Cùm adhuc eßemus peccatores, Deum pro nobis Christum in mortem tradidiße.* Peccatorem enim esse, est, nondũ Deo esse reconciliatum, filium autem in mortem pro nobis tradi, animi propitii infallibile est argumentum. Et tamen cùm adhuc essemus peccatores, adeoq; non reconciliati, Deus gratiam suam immensam nobis exhibuit, quod Smiglecius appellat, Deum se reconciliatum exhibuisse.

Veritatis sensus inculcatur.

Gratia semper conditione prior est.

Obfuscat tamen & hoc Smiglecius, dum ait: *dicendum eße, uti id sine charitate, & quidem in suo genere maxima, fieri non potuit, ita eam charitatem non eò spectaße, ut hominibus actu tunc peccata remißa eßent, sed ut haberent homines, per quod remissionem peccatorum consequi poßent, nempe Christi mortem.* Ita, quidem dicendum est, si erroris patrocinium abjicere nolit Smiglecius: sed quia istud, quod Smiglecius dicit, nulla ratione vel testimonio sacrarum literarum comprobatur, jure rejici potest. Quanquam admisso eo, quod dicit Smiglecius, nihil tamen ad rem respondetur. Firmum enim manet, quod impugnã-

Smiglecius premitur.

dum

dum susceperat, Deum fuisse nobis propitium, antequam nos ei reconciliaremur, siquidem ante reconciliationẽ, nostri cum Deo charitatem eamq; maximam exhibuit, licèt tandem aliquid aliud consecuturum esset, si gratia ista spernatur. Notabit hîc lector, quàm miserè se gesserit superiùs Smiglecius, dum ad locum alium, in quo de eadem maxima Dei charitate sermo est, nempe Ioan: 3. *Sic Deus dilexit mundum*, *ut filium suum unigenitum daret*, respondens, nescio quid de variis dilectionis Dei modis disseruit, quæ etiam reliquis animalibus quodammodo convenit, nempe de dilectione ob naturam. cùm tamen satis evidens sit, Christum ibi de dilectione Dei tali loqui, quâ major nulla datur in Deo erga homines.

Porrò cùm dico, posse aliquem remittere offensam, etiamsi is qui offendit, id non curet, vel etiam contemnat, respondet Smiglecius, *id de Deo secundùm scripturas dici nullo modo posse*. Agnoscit igitur id dici posse de aliis. Ego verò, si de aliis id dici potest, de Deo multò rectiùs dici existimo. Ergo potest alius quis facere rem dignam laude, quam Deus facere non possit? Omnes enim eum laudant, qui offensam remittat, etiamsi is, qui offendit, id minimè curet vel etiam contemnat; & id facere tenentur omnes Christiani, ut nimirum iis, a quibus offenduntur, ex animo remittant; etiamsi illi non tantùm nõ resipiscant, sed in deterius ruentes, de offensione iteranda cogitent. Cur verò de Deo id dici nequit? *Is enim*, ait, *peccata non remittit*, *nisi verè pœnitentibus*. At potest decernere, se remissurum peccata, etiam peccatoribus, & in gratiam peccatorum ea facere, unde de ipsius benignitate abunde constet. Iam si decernit id se facturum & offert, propitius ut sit necesse est: si facit ob peccatores, propitius est antequam pœnitentiam agant. Quòd verò peccata non remittit Deus in peccatis hærentibus, hoc non fit ideo, quòd antea propitius non fuerit; (nam si non fuisset, gratiam non obtulisset,) sed quòd qui propitius fuerat, prædixerit, etiam se, si homines non resipiscant, denuo iratum futurum & peccata non remissurum. Hæc toties iterare oportet, quia cum iterante eadem Smiglecio res mihi est; & spes affulget, agnituros tandem, quibus veritas chara est, ex hac repetitione, ubi error Smiglecii lateat.

Offensam remitti posse, etiamsi is, qui offendit, id non curat vel etiam contemnat.

Propitius est, qui gratiam offert.

Cur is, qui se propitiũ offert, peccata possit nõ remittere.

Cùm etiam dico, ut Deus nobis sit propitius, non necesse esse, ut reipsa offensas remittat, sed satis esse, ut remissionem offensæ offerat, id a se suprà refutatum esse ait. Videat igitur lector, quid suprà etiam a nobis ad id responsum sit. Nolo enim cum Smiglecio idem in eodem capite decies repetere. Summa est: Qui remissionem offensæ offert, is jam iratus esse desiit, etiamsi re ipsa vel actu non remittat

Repetitur antea non semel dictũ.

offen-

offensam, & potest offensa tolli in aliquo, priusquam ejus oblationis effectus consequatur. Porrò si is, qui remissionem offensæ offert, iratus esse desiit, parumné constat, eum reconciliationem nec quærere nec quærere posse. Contraria enim sunt prorsus: Propitium esse, &, reconciliari velle. Propitium esse & reconciliari velle repugnant.

Deniq; cum dico, neq; passionem Christi, nec pœnitentiam nostram esse causam efficientem remissionis peccatorum, sed causas, sine quibus Deus peccata se non remissurum decreverit, nihil prorsus habuit, quod opponeret Smiglecius. Ait enim, *negari non posse, cùm ad reconciliationem quis imponit aliqua opera pœnalia delinquenti, illa opera esse non solùm conditionem sine qua non, sed etiam aliquo modo causam, propter quam fit reconciliatio, sive ea dicatur efficiens, sive dispositiva & materialis. Ideò enim offensum pœnas ab offendente exigere, ut sibi aliquo modo pro offensa satisfaciat, pœnâ enim compensari culpam.* Sed dum ego conditionem, sine qua non detur remissio peccatorum, esse dico pœnitentiam, hoc ipso causam eam remissionis peccatorum aliquo modo confiteor & contendo. Frustrà igitur dicit Smiglecius id negari non posse. Cùm verò ipse talem causam remissionis peccatorum constituit pœnitentiam, quâ pro offensa satis fiat, dogma prodit valde absurdum ecclesiæ suæ, de quo alibi contrà ipsum Smiglecium egimus fusiùs. Nunc hoc addo, ineptè pœnitentiam appellari opus pœnale, vel pœnam etiam. Nec enim ideò Deus pœnitentiam requirit, ut sibi satisfiat aliquo modo, nisi fortasse duas pro peccatis satisfactiones postulet, Christi & nostram: sed quia non deceat sapientiam divinam, eum ad gratiam suam re ipsa admittere, qui priùs valedicto omni impietati & mundanis cupiditatibus, sobriè justè & piè non vixerit in hoc seculo, quæ est vera pœnitentia; & similis Deo in sanctitate priùs esse noluerit, quàm similis ei in immortalitate evadat. Somniavit fortasse Smiglecius aliquid de istis operibus pœnalibus, quas ecclesia ipsius peccatoribus ad satisfactionem pro peccatis imponere solet: sed ista nunc ampliùs non valent quicquam, posteaquam lux Evangelii iterum accensa est.

Cõditio, sine qua non datur effect⁹, causa illius est.

Cur Deus pœnitentiam ab hominibus requirat.

Quod verò ex Davide adducitur, *vide humilitatem & laborem meum & dimitte universa delicta mea*, id huc nihil facit. Nec enim tunc Deus cum Davide ullum fœdus tale pepigerat, in quo remissionem peccatorum ei obtulisset. Itaq; cùm David, Deum sibi propitium esse vi fœderis, nesciret, hac illum ratione Deum ad misericordiam commovere oportuit, ut etiam hodie, qui post oblatam N. F. gratiam in peccata relabuntur & in illis hærent, eadem ratione Deum ad misericordiam commovere necesse habent, quia scilicet vi

Quando tenentur homines Deũ ad misericordiã commovere, & quando non.

N. F. gratiam divinam polliceri sibi non possunt: At dum ipse Deus remissionem peccati offert, quamvis necesse est, ut pœnitentia consequatur: tamen non ideo ea consequitur, ut Deum ad peccata remittenda commoveat; jam enim Deus remissurum se illa sponte sua promisit; sed, quia Deo visum sit, sine illa nemini remissionem reipsa impertiri. Cur verò ita Deo visum sit, paulò ante explicavimus. Atq; ex his tandem satis superq; constat, dogma, Deum nobis reconciliatum esse affirmans, ipsissimum errorem esse.

Christum pro nobis satisfecisse, ex redemtione per sanguinem ejus probari non posse.

Caput II.

Satisfactionem & meritum Christi, non esse prima fidei Christianæ principia.

PRIMUM frustrà queritur Smiglecius iterum, quòd satisfactionem & meritum Christi in dubium vocemus, tanquam prima fidei Christianæ principia. Nam fidei Christianæ principia hæc non esse, vel inde constat, quòd in scriptis Apostolorum nihil de illis expressè scriptum extet. Fidei autem principia in scriptis Apostolorum non posse non extare expresse, quivis prudens intelligit. Non extare autem ea in scriptis Apostolprum ipse Smiglecius confitetur, dum non de nominibus, sed de re agi contendit. Quia igitur nominum istorũ satisfactionis & meriti nulla extat mentio in f. literis, principia ea prima esse fidei Christianæ prorsus falsum est. Nam principia fidei Christianæ prima non tantùm quo ad rem, sed etiam quo ad nomina in f. literis extare necesse est, ut pote in quibus salus ipsa sita est. Non negamus, dogmata multa verissima esse, quorum expressa & diserta mentio nõ extet in f. literis: sed, ad salutem æternam necessaria, vel principia fidei ea esse, concedi non potest. Pro omniũ enim captu ea esse oportet, quæ ad salutem necessaria, & quod magis est, quæ sunt prima fidei principia. At consequentiæ, quas vocant, non pro omnium sunt captu, nempe simplicium, quorum semper maximus in ecclesia Christi fuit numerus. Itaq;, aut expresse ista dogmata satisfactionis & meriti Christi nominata esse in f. literis docendum est; aut confitendum, ea non esse ad salutem necessaria, vel prima fidei Christianæ principia. Principia in hoc negotio sunt, Christum nos redemisse sanguine suo, pro peccatis mortuum esse. Hæc si quis non credat, Christianus ipso facto non est: At nos ista Dei beneficio non tantùm credimus, sed ipsâ vitâ nostrâ chariora habemus, ex quo constat, quanta sit vel audacia Smiglecii, vel saltem ignorantia, qui tam facilè nos

Principia fidei expressa esse in Scriptura.

Quænam sint principia in hoc articulo de morte Christi.

nos Christianorum titulo privare audeat, quo ipse non aliter gaudere potest, quàm ut Iudæi, tempore Christi, se Abrahami semen esse gaudebant & jactitabant. Hoc verò non ob eam causam de Smiglecio dicimus, quia eum in hoc de satisfactione & merito Christi negotio errare persuasissimum habemus, sed ob alias causas, quas alibi expressimus, quasq; ipse Smiglecius non ignorat. Errorem absurdum, pernitiosum & multis modis in Deum injurium hîc Smiglecio objicimus, eumq; demonstramus, dum ex iis, quæ ad eum stabiliendum affert Smiglecius, colligi eum non posse firmiter docemus, quod mox ad oculum patebit. Reliqua quæ hîc loco præfationis disserit Smiglecius, datâ operâ prætereo. Sunt enim ita futilia & anilia, ut hominem ista dicentem pudere debeat. Qualia sunt, *quòd Apostolorum Evangelium toti mundo sit prædicatum, & secundùm promissa Christi permanere debuerit ad mundi finem.* Nam non de doctrina Apostolorum nunc sermo est, sed de doctrinis, quas ex Evangelio deducere conatur Smigl:. permanere etiam potuit Christi Evangelium, etiam si istæ doctrinæ non essent. Quanquam etiam falsum est, doctrinam Apostolorum, absolutè loquendo, permanere debuisse usq; ad finem mundi. Nam de corruptione illius, & de defectione, nempe ab Evangelio, non paucas continet vaticinationes, de quo alibi contra ipsum Smiglecium disputavimus.

Cur Smiglecium pro Christiano titulo tenus tantùm habeamus.

Errores Smiglecii perstringuntur.

Calvam esse ait *excusationem, quando dicimus, libros eorum, qui idem nobiscum senserint, potuisse tolli ab hostibus*: & tamen testantur historiæ, eos, qui fortasse nobiscum faciebant, vel saltem non erant tunc ejus ecclesiæ, cujus est Smiglecius, multa ingentia volumina reliquisse, quorum hodie ne vestigium quidem extat. Ita scilicet gnaviter eos refutarunt Patres Ecclesiæ Smiglecianæ. *Hæreticum esse, ait, inauditam doctrinam pro Apostolica venditare.* At ego præstare dico, semper suas doctrinas ad Apostolos referre, quàm ad ecclesiam vel pontificem Romanum. Nam qui ad Apostolos provocant, illi tandem veritatem assequi ex ipsorum scriptis, quæ omni exceptione majora sunt, possunt; qui verò ad ecclesiam vel pontificem Romanum provocant, hi nunquam ad veri cognitionem pervenire possunt: cùm, ecclesiam unà cum Pontifice Romano errare posse, jam ipsa experientia satis superque docuerit.

Libros aliorum sublatos.

Cur præstet ad Apostolos provocare, quàm ad Ecclesiam Romanã.

Quod deniq; non extet in historicis, quando dogma hoc satisfactionis introductum sit, id non docet, non esse introductum: sed historicos illos ea scripsisse docet, quæ ipsis placebant, reliqua verò omisisse. Sed nunc satis est præfationis. Vnum tamen adhuc inserit Smiglecius, antequam ad ipsam rem accedat, cùm ait, summam esse

Cur de introductione satisfactionis nil extet in historiis.

ignorantiam,cùm dico,apudDeum neminem quicquam mereri posse. Deum enim omnia ex gratia facere. Gratiam verò per meritum tolli. Quo nescio an aliquid rectiùs dici possit. Sed quia de eo antea disputavimus,& iterum inferiùs in hoc eodem capite de conciliatione gratiæ & meriti disputandum nobis erit, ut ipsemet Smiglecius fatetur,nolo actum agere.

Modus scribedi Smiglecianus reprehenditur.

Iam ad argumentum Smiglecii accedens, primùm non possum iterum non accusare & contemnere modum scribendi Smiglecianũ. Antea enim in Monstris longè alia ratione rem persequebatur,quàm nunc, ad quæ ego eo ordine, quo ab ipso erant proposita, responderam: Nunc verò pro suo libitu tractat res, & argumenta ita miscet,ut citiùs nescio quid expedias,quàm ad aliquem ordinem dicta Smiglecii revoces.Sequar igitur hominem, &, argumenta illius denuò diligenter expendens,quàm sint infirma & falsa, ad oculum demonstrabo.Argumentum Smiglecii in fronte positum est: *Si Christus nos sanguinis sui pretio redemit, negari non potest, sanguine suo pro peccatis nostris Deo satisfecisse. At Christus nos redemit sanguine suo tanquam pretio pro nobis redimendis oblato. Negari igitur nullo modo potest, eum pro peccatis nostris tanto pretio impenso satisfecisse.*

Næ\viargumenti Smigleciani ostenduntur.

1. Possem hìc dicere, minorem non ex scriptura conceptam esse. Nullibi enim dicitur,Christum nos redemisse sanguine suo,tanquam pretio pro nobis redimẽdis oblato. Et certè non licuit Smiglecio verba scripturæ immutare, si ex scriptura deducere aliquid voluit. Aliàs enim non ex scriptura, sed ex sua scripturæ immutatione eum argumentari,deducere,& fallere alios jurè dici potest. Nec certè talis loquendi modus dignus est Spiritu S.: Christus nos redemit sanguine suo tanquam pretio pro nobis redimendis oblato. otiosè enim repetuntur verba *pro nobis redimendis.*

2. Possem etiam accusare Smiglecium, qui in conclusione plura verba ponat, quàm in ipsa majori posuerat, nempe *tanto pretio impenso.* Hoc enim negligentiæ saltem indicium est,quæ Smiglecio condonari non debet. Sed ista mitto. Consequentiam majoris negamus, ex eo scilicet, quòd Christus nos sanguinis sui pretio redemit, sequi, Christum sanguine suo pro peccatis nostris Deo satisfecisse.

Redimere aliquẽ sanguinis pretio, & pro eo satisfacere, differunt.

Quis enim non videt, quantum illa inter se differant, Redimere aliquem sanguinis sui pretio, &,sanguine suo pro aliquo alicui satisfacere. Nam,ut alia multa omittam, redemtio alicujus,sanguinis etiam pretio, neminem exprimit,a quo redemtio sit obtenta:sed simpliciter intelligi potest de redemtione, quæ sit facta ab aliqua re mala. Vnde etiam dicitur,nos redemtos esse ab omni iniquitate,vel a mala conversatione: Satisfactio autem Deo præstita pro peccatis,Deum ipsum

psum exprimit, & sine expressa mentione Dei satisfactio etiam nominari nequit. Sed non meum est, falsitatem istius propositionis demonstrare: Audiamus Smiglecium eam probantem: *Etenim*, ait, *qui pretium aliquod justum Domino pro captivo solvit, is Domino captivi satisfacit. pretium enim pro re emta solutum, cedit in satisfactionem justam venditori, & solutio est satisfactio pro re emta.* Hîc vide, benevole lector, in ipso limine vitiositatem & falsitatem sententiæ Smiglecii. Nam pro eo, quod docere debebat, quomodo ex eo, quòd Christus nos redemit simpliciter, non addito aut expresso eo, a quo ista redemtio sit obtenta. (Sic enim scriptura loquitur,) sequatur, eum Deo pro nobis satisfecisse, supponit talem redemtionem, ubi is etiam nominatur, a quo redemtio obtinetur, nempe Dominus captivi. Qui in negotio nostræ redemtionis nusquam exprimitur, nec exprimi potest. Vt igitur, si Domino captivi pretium pro captivo solvatur, pro captivo satisfactum dici potest: ita, quia nemini pro nobis quicquam solutum est nec solvi potuit, redemtio nostri satisfactionem nullam importat. Hîc jam Smiglecio subsistendum erat, & illud inprimis docendum, Christum aliquid ei, qui nostri ut captivorum dominus est, solvisse. Quod quia non facit, & rem differt, tergiversari & subterfugere conflictum videtur: Sed tamen non elabetur. Statim enim protrahemus in medium, quod infra dicit, ea de re, pag. 295. *Deus est is Dominus, qui peccatis nostris offensus, Dæmoni nos captivos tradiderat æternis pœnis cruciandos, pretium ergò pro nostra redemtione Deo debetur.* Vbi verò legit Smiglecius unquam, Deum nos captivos detinuisse, & isto modo nostri, ut captivorum, dominum esse? Nonné si id ita se haberet, alicubi scriptum extaret, Christum nos redemisse, ut ex mundo, ex iniquitate, a diabolo, sic etiam apud Deum? Si dicat Smiglecius, dici posse apud Deum etiam nos Christum redemisse, quia a Diabolo (Dæmone habet Smiglecius) nos liberaverit, cui nos Deus cruciandos dederat. Primùm id putida fabula est, cujus nullum extat in sacris literis vestigium. Si dicat, nos a diabolo redemtos esse, nego hinc consequi, Deum nos ei tanquam captivos tradidisse. Eatenus enim homo captivus diaboli appellari etiam potest, quatenus semetipsum diabolo emancipat, idq; ex eo constat, quod non tantùm captivi a diabolo detinebamur, sed etiam ab aliis rebus, quibus nos Deus tradere tanquam captivos non poterat. Captivi enim eramus ab hoc seculo nequam, ab iniquitate, & aliis his similibus. Deum verò nos istis rebus captivos tradidisse, quàm sit falsum, nemo non videt. Itaq;, falsum prorsus censendum est, Deum in negotio redemtionis nostræ considerari, ut dominum, cui sit aliquid solutum pro nobis captivis:

Dolus Smiglecii

Scriptura cùm de redemtione nostri agit, non meminit alicujus, a quo redemtio sit obtenta.

Error Smiglecii ingens.

Deum nuspiam appellari Dominum, qui nos captivos detinuerit.

Smiglecius premitur.

Deus nos Satanæ non tradidit.

Redimi a Diabolo potest, qui a nemine alio illi fuit traditus.

Qualis Dominus, Deus agnoscẽdus sit in nostra redemtione.

sed agnoscendus est Deus pro tali Domino, qui, cùm videret homines suâ malitiâ & culpâ factos esse mancipia iniquitatis, hujus mundi, vanæ conversationis & diaboli, misertus illorum, ipsemet eos redemerit ab illis dominis: redemerit autem per Iesum Christum; qui, ut aliis suis factis, sic morte inprimis sua effecit, ut homines a dominio istarum rerum liberati, hîc sanctè, & postea æternùm viverent, in quo utroq; omnis nostra redemtio consistit.

Ostensa hac absurditate Smiglecianæ sententiæ, reliqua huc facientia in aliud tempus differo: Nunc verò revertor ad ea, quæ adversus nos scribit astutulus Smiglecius, cùm ei probatio argumenti propositi incumberet. Sic enim ineptissimè nos respondentes ad argumẽtum facit, nos non negare vim sanguinis Christi, quia non nisi interveniente sanguine Christi dicamus, remissionem peccatorum nobis donatam esse, idq; *fraudulenter & dolosè a nobis fieri ait.* Quid mirum est, homines, qui scripta non legunt, si audiant, nos ita Smiglecio, respondere, nos contemnere & execrari etiam. Verè enim contemtu dignus esset, qui sic responderet. Sic scilicet, dum me fraudulenter & dolosè aliquid dicere ait Smiglecius, ipsemet in fraude & dolo deprehenditur. Non sumus ita obtusi, ut, quid ad argumentum Smiglecii directè respondendum sit, non intelligamus; nec ita improbi, qui ad illud respondere etiam directè nolimus. Smiglecius est, qui, ut omnia misceat, & mentem etiam, si fieri posset, lectori eripiat, sic respondentes nos facere non erubuit. Quanquam ea, quæ hîc nos respondere dicit, per se sint verissima, nec per ea, quæ Smiglecius objicit vel moveri quidem loco possint. Nam quod ait, *scripturam expresse dicere, sanguinem Christi vim pretii habere in redemtione peccatorum nostrorum, quia sanguine Christi tanquam magno pretio solutum est pro nobis, hanc verò quia ego negem, negare me veram sanguinis Christi vim ad nostram redemtionem, & ita me, quod verbo affirmo, reipsa negare,* in eo nos cavillatur. Vim enim pretii, etiam in redemtione nostri, sanguinem Christi habere confitemur. Credimus enim, ita nos liberatos esse ab omnibus inimicis nostris sanguine Christi, quemadmodum captivus liberatur pretio pro ipso soluto. Si dicat, nos non talem pretii vim agnoscere, qualem ille agnoscit, aliter sibi loquendum fuisse consideret, & fraudem ac dolum parciùs objiciat. Vt enim levitas in ista criminatione meliùs appareat; quæ fraus, qui dolus esse potest, si quis iisdem planè verbis, quibus scriptura utitur, utatur ad exprimendam vim sanguinis Christi. Hac enim ratione fraus & dolus scripturæ tacitè objicitur. Iam verò & ipse Smiglecius fatetur, disertè scriptum esse Hebr: 9. v. 15. morte Christi interveniente,

Modus respondendi Smiglecianus iterum, iterumq; ostenditur.

Vim pretii habere sanguinẽ Christi in redemtione nostri cõceditur, sed modus, quem Smiglecius fingit, negatur.

Nulla fraus est, cùm quis verbis Scripturæ de re aliqua loquitur.

ente, ad redemtionem eorum, quæ sub priori testamento (erant) transgressionum, promissionem accepturos vocatos æternæ hereditatis. Ex quo loco tota hæc res de morte & sanguine Christi, quatenus ad salutem nobis prodest, decidi potest. Nam quæ alibi dicta sunt paulò obscuriùs, quatenus modus non exprimitur, quo Christi mors & sanguinis salutis nostræ causa est, sed tantùm nudè salus ei tribuitur vel effectio salutis, id hîc clarissimè exprimitur, factum id scilicet esse, Christi morte interveniente. Vnde constat, tunc etiam, cùm pretium vel Christus ipse, vel sanguis ejus appellatur, id ideò fieri, quia Christus vel sanguis ejus tanquam pretium intercesserit, quo factum est, ut nos liberaremur: & eatenus tantùm esse causam salutis effectricem sanguinem Christi, quatenus sine illo salus nostra nec perfecta est, nec perfici debuit; aut tandem etiam, postquam decretum Dei accessit, potuit. Iam si hoc modo sanguis Christi considerari debet, nullo modo consistere potest, quod de sanguine Christi sentit Smiglecius. Causa enim, sine qua effectus non datur, non est eadem cum causa efficiente principali, qualem Smiglecius sanguinem Christi esse affirmat.

Modus quo sanguini Christi redemtio tribuenda est, quòd ea interveniente facta sit.

Causa sine qua non, non est meritoria.

Insultat hîc mihi Smiglecius, cùm dico, decretum Dei fuisse, ut sine sanguine & morte Christi peccata non remitterentur, & ait: *Fateor: at hoc suo decreto requisivit Deus sanguinem Christi non otiosum, sed vim pretii & redemtionis habentem.* Quasi verò sanguis Christi otiosus sit, etiamsi satisfactio per eum non sit præstita alicui pro nobis. Nam id, sine quo salus & redemtio nostra perfici non potuit, aut saltem non debuit, certè magni ponderis & efficaciæ esse oportuisse, quivis prudens intelligit. Dum verò ex magna Christi sanguinis efficacia infert Smiglecius satisfactionem, suo more errat, & alios fallit, qui scilicet ex genere deducat affirmatè speciem. Datur enim magna sanguinis efficacitas sine satisfactione: ista verò efficacitas, quæ sit cum satisfactione conjuncta, dari non potest. Quia is, quem Dominum captivorum statuit Smiglecius, jam propitius erat, antequam Christi sanguis funderetur.

Sanguis Christi non est otiosus, etiamsi satisfactio per eum non sit præstita.

Magna sanguinis Christi efficacia, non infert satisfactionem.

Malè autem meam mentem explicat, dum dicit, *me velle, non ex virtute aliqua sanguinis Christi esse redemtionem nostram, sed ex intrinseco Dei decreto.* Vt ut enim decreto vel voluntati Dei unà cum scriptura tribuam potissimam vim, & efficaciam redemtionis nostræ: tamen Christi sanguini eam non denego, sed decreto & voluntati Dei principaliter, Christi verò sanguini minùs principaliter eandem tribuo. Quanquam huc nihil prorsus facit, quòd sanguis Christi pretiosus appellatur, quasi scilicet vim pretii & eum valorem habue-

Redemtio nostra, & decreto Dei & sanguini Christi tribuenda est.

Christi sanguis cur preciosus appellatus.

habuerit, quem redemtio postulabat. Alio enim sensu Christi sanguis pretiosus appellari potest, quatenus nimirum auro & argento opponitur. Vt verò aurum & argentum sunt res corruptibiles, ut Petrus ibidem ait: sic sanguinis Christi pretiosus dici potest, quia sit quasi æternus. Æternus autem non simpliciter & absolutè, sed quatenus æterni fœderis sanguis est, hoc est, quatenus per eum æternum fœdus confirmatum est.

Duo posse ad eandem rem perducendam requiri, sed diversimodè.

Dum verò me magis a se urgeri ait Smiglecius, *quòd decreto Dei ad nostram redemtionem pœnitentia etiam requiratur, & sine illa redemtio perfici nequeat; nec tamen idcircò dicatur, pœnitentiam habere vim redimendi nos eandem, quam sanguis Christi, & nos esse nostros redemtores*, videat ipsemet, an, etiamsi dicatur, nos sine pœnitentia non posse redemtionem consequi, dici debeat, eandem vim habituram pœnitentiam ad redemtionem efficiendam, quam habet sanguis Christi, ut sophisticè loquitur Smiglecius. Nonnè enim inter causas, sine quibus effectus non datur, differentia eaq; maxima esse potest? Sine ratione & calamo librum Smiglecius conscribere non potest. Ergo eandem vim habet ad librum conficiendum calamus, quam ratio illius? Potest scilicet concurrere ad efficiendam redemtionem nostrã sanguis Christi, & nostra pœnitentia vel potiùs fides, ut causæ, sine quibus redemtio non datur; sed diversa ratione; quæ diversa ratio argumentum Smiglecii dissolvit penitus, & cavillos etiam detegit. Etiamsi enim non simus nos nostri redemtores, tamen, ut rectè dictũ est ab aliquo ex patribus, Deus qui creavit nos sine nobis, non servabit nos sine nobis, hoc est, sine nostra pœnitentia vel fide. Vnde etiam fidei nostræ toties justificatio & beatitas nostra tribuitur; & Paulus, disserens de causis justificationis nostræ, principalem constituit gratiam Dei, mediam verò, seu sine qua non datur ista justificatio, cõstituit redemtionem, quæ est in Christo Iesu, quem Deus proposuit propitiatorium: deinde verò ea, quæ ad redemtionem perficiendam intervenerunt, disertè nominat duo, fidem & sanguinem Christi, dum ait: Deum propitiatorium proposuisse Christum, per fidem, in sanguine Christi, ut scilicet constaret, & aliquid in nobis inhærens, quod est fides, & aliquid extra nos existens, licèt alterum altero magis, ad justificationem requiri, ut est mors Christi.

Nos sine pœnitentia servari non posse.

Rom:3. Causæ justificationis accuratè descriptæ.

Sed jam causas, ob quas Christi sanguini redemtionem nostram tribui asserimus, refutare aggreditur Smiglecius: & primùm, dum per mortem Christi divinas promissiones confirmatas esse contendimᵉ, & fœdus novum obsignatum, quemadmodum & vetus fœdus sanguine animalium fuit obsignatum, tantùm dicit, *me non advertere aliam*

liam esse vim sanguinis Christi, quàm ad confirmandas promissiones, nempe redemtionem. Testificari autem divinas promissiones esse certas, non esse nos redimere. Sed quis non videt, quàm infirma sit ista responsio. Primùm enim non refutatur id, quod per se est verissimum, & in sacris literis fundatum, Christi sanguinis vim esse, ut promissiones divinas nobis confirmet. Vt enim sanguis animalium sanguis fœderis veteris appellatur, quòd suo modo fœdus illud confirmaret: sic etiam sanguinem Christi, sanguinem novi fœderis ob eandem causam appellari, per se manifestum est. Deinde huic efficaciæ opponitur alia, quæ opponi minimè debet. Etsi enim, testificari promissiones divinas esse veras, non sit nos redimere, ut ait Smiglecius, si verba respicias, est tamen, si effectum respicias. Nam qui promissiones divinas verissimas esse testificatur, & easdem perfectissimè confirmat, is causam præbet non minimam, & quantum in illo est, efficit, ut promissionibus istis divinis fides adhibeatur. Rei enim perfectè confirmatę quis non crederet? Iam si quis promissionibus divinis fidem adhibeat, nonné certò sibi persuadebit, se servatum iri? Hæ enim sunt promissiones divinæ, quas Christus sanguine suo confirmavit: & rursus, quia sine sanctimonia neminem visurum Dominum novit, nōné sanctimoniæ etiam studebit, & ita redemtus per mortem Christi erit, licèt non proprio, vero tamen modo? cùm omnis nostra redemtio consistat in spe salutis (dum hîc mortales degimus) & vera pietate. per illam enim redimimur a metu mortis, & ipsa morte: per hanc, a peccato.

Sanguine Christi promissa Dei confirmari.

Testificari, promissa divina vera esse, & nos redimere, non pugnare.

Quomodo confirmatio promissorū Dei nos redimat.

Iam & aliam repetit paucis verbis responsionem, quam antea in responsione ad Monstra fusissimè refutâram, nempe *hinc secuturum, miraculis etiā Christi nos esse redemtos, quia & illa sint confirmatio promissorum divinorum.* Sed nihil affert Smiglecius, unde constet, absurdè dictum, miracula etiam Christi ad nostram salutem aliquid emolumenti attulisse, quod idem est cum nostra redemtione vel liberatione. Nam si spiritus etiam testatur, ut sanguis, Iesum esse Christum, teste Ioan:; certè ut sanguini Christi, sic etiam spiritui, hoc est, miraculis, idem tribui posse suo modo, nemo non videt: Imò si res rectè inspiciatur, quemadmodum mors Christi majorem vim habet ad cōfirmandas divinas promissiones, quàm ejˢ miracula, quod antea prolixè docui, quia scilicet mortem consecuta sit resurrectio & exaltatio: ita, si mors absq; istis eam consecutis rebus consideretur, majorem vim in miraculis esse quàm in morte, deprehendetur. Hinc ipse Ioan., cùm dixisset, Christum venisse in aqua & sanguine, hoc est, cum vitæ summa innocentia & morte, addit, *Et spiritus est qui testificatur,* ad-

Miracula Christi etiam ad nostram redemtionem facta.

1. Ioan: 5. 6.

Quatenus miracula superare Christi mortē dici possint, & quatenˢ non.

dens scilicet ad istos duos testes, tertium, & de hoc disertè pronunciaturus, magnam esse ejus in testimonio vim, sic ait: *Quia spiritus ille est veritas*, hoc est, spiritus ille non potest fallere. Sed nos, quia mortem Christi absq; ejus resurrectione considerare non possumus aut debemus, majorem morti Christi infinities virtutem & efficaciam ad nos salvandos tribuimus, quàm ejus miraculis, & ita nos, per eam redemtos esse, gloriamur.

Porrò cùm alias causas affero, quare dicamur Christi sanguine redemti, primùm Smiglecius, suo more, me convictum esse ait ipsius argumento. Qui triumphus sanè vanissimus est. Licèt enim causas quis plures unius rei afferat, easq; alias aliis præstantiores vel sufficientiores, tamen id non arguit, eum convictum esse, sed potiùs copiam ejus in responsionibus prodit. Deinde causâ aliâ expositâ, quæ est, quòd sanguis Christi causa fuerit potentiæ illius divinæ, quâ nos ab æterna morte liberare & immortalitatem nobis donare potest, simpliciter *me nugari* affirmat, ut ita rem tanti momenti vocula hac elevet. Sed hoc pii & eruditi judicent: videamus nos, quid ipse dicat. Quatuor enim in margine rationum numeros ascripsit, quanquam quinq; revera afferat. Prima est: *Scriptura docet, sanguinem Christi esse causam redemtionis per modum pretii, quia est pretium pro nobis impensum, non autem quòd sit causa potentiæ, quâ nos possit redimere.* At hæc non sunt contraria. Potuit enim Christi sanguis pro nobis impendi, ut idem effectus ex eo consequeretur, qui consequitur, dum pro aliquo pretiũ alicui solvitur: & causa etiam esse potentiæ divinæ Christi, quâ nos servare potest.

Secundo ratio est. *Redemtio a peccatis facta est in cruce: potestas verò Christi nec est potestas (secundùm nos) a peccatis nos liberandi, sed tantùm a morte, nec nisi post ascensionem Christo contigit.* Sed cur Smiglecius redemtionem a peccatis ponit pro simplici & nudè posita redemtione, ut antea ipsemet locutus fuerat, quâ redemtio non tantùm ab ipsis peccatis, sed etiam a pœna peccatorum comprehẽditur? Sensit scilicet, redemtionem integram non dari, nisi per Christi divinam potentiam, ideoq; certam redemtionem supposuit, quam absque Christi potentia dari credidit. Sed duplici ratione detegitur hîc dolus. Prior est, quòd, licet etiam dici possit, nos a peccatis ipsis morte Christi redemtos esse vel liberatos, dici nihilominus etiam possit, nos Christi potentiâ ab illis liberatos esse. Tam enim nos movet, ut peccatis prorsus valedicamus, Christi divina potentia, quàm ejus mors, ne dicam plus, suo modo. Posterior est, quòd redemtio nostra, integra redemtio a peccatis appellari potest; quatenus vox peccati, & actum

Nõ victus est, qui plures unâ respõsiones affert.

Rationes Smiglecii refutantur.

Vim pretii habere, & causam potentiæ esse, non pugnant.

Smiglecius terminos mutat.

Et mors & potentia Christi nos a peccatis ipsis liberat.

actum peccati & reatum significat. De actu non est dubium. De reatu unum nunc testimonium sufficiat, dum Ioan: ait: *Si in luce ambulamus, ut ille in luce est, communionem habemus inter nos: & sanguinis Iesu Christi filii ejus emundat nos ab omni peccato.* Ii enim, qui ita in luce ambulant, ut Deus est in luce, jam a peccati actu liberi sunt; nec alio modo a peccato emundari possunt, quàm si a reatu peccati, quæ est mors æterna, liberentur, & vita immortali donentur. Deinde parum est dicere, redemtionem nostram factam esse in cruce, nisi doceatur, eam tantùm in cruce factam vel potiùs perfectam esse, quod neutrum Smiglecius probabit unquam. Redemtio enim nostra in die judicii demum perficietur. Hinc dies judicii, dies redemtionis appellatur, & fidelium redemtionem tunc appropinquaturum disertè dicitur. Porrò quodnám hoc pungendi alios cacoethes est, *potestas illa Christi divina, secundùm Smalcium, non est potestas nos liberandi a peccatis, sed tantùm a morte?* Vnde enim novit Smiglecius, potestatem Christi divinam non esse potestatem nos liberandi a peccatis? Num quia dico, Christum nos divina potestate sua a morte liberaturum, nego, Christi potestatem esse potestatem nos a peccatis liberandi? Minimè verò. Nam qui aliquem a morte æterna liberare potest, quomodo non a peccatis etiam liberare eundem possit? Et parumné est Smiglecio, liberatio a morte, quòd dicit, me Christi potestatem *tantùm* a morte nos liberare affirmare. Certè nihil hoc sublimius de ipso Deo dici potest. Quanquam & hoc obiter hìc indicasse non abs re erit, Christum nos potentia sua liberare a morte, quæ est pœna peccati, absolutè: a peccatis verò ipsis non absolutè, sed quatenus, si velimus, per potentiæ eius considerationem a peccatorum jugo liberari possumus. Vnde apparet, magis propriè dici, Christum nos potentiâ suâ a morte, quàm ab ipsis peccatis liberare. Denique nihil proficit, dum dicit, *Christo, ex nostra sententia, non nisi post ascensionem potestatem divinam contigisse.* Nec enim necesse est, quia mors Christi causa est Christi potentiæ divinæ, effectum ipso mortis momento contigisse: sed satis est, postea istam potentiam Christo contigisse, & contigisse per mortem. Sic enim & scriptura loquitur, dum ait, *Iesum participasse carni & sanguini, ut per mortem aboleret diabolum, & liberaret eos, quicunq; timore mortis per omnem vitam suam obnoxii erant servituti.* Certum enim est, Christum non per ipsam mortis actionem utrumque hoc præstitisse, sed per suam divinam potestatem.

Tertia ratio est, *quòd nos non veram causam potestatis Christi mortem eius agnoscamus, alioquin fore meritoriam, sed tantùm causam sine qua non.* Quasi verò causa sine qua effectus non datur, non sit vera causa

Redemtio a peccatis, pro actu & reatu peccati sumitur.

1. Ioan: 1. 7.

Redemtionem in cruce non esse perfectam.

Ephes: 4. 30. Luc: 21. 28.

Liberatio a morte, est liberatio a peccatis.

Christum nos potentiâ suâ aliter a morte aliter a peccatis liberare

Potentia Christi quando sit consecuta mortem.

Heb: 2. 14.

Causam sine qua effectus nõ datur, esse verã causam.

causa effectus; & quasi, quæ non est meritoria, non sit etiam vera causa? Vera causa potestatis Christi est, divina voluntas: vera etiam causa est mors illius: sed illa efficiens principalis, hæc efficiens intermedia, minùs principalis.

Duplex vera causa potestatis Christi.

Quarta ratio est: *diceremur non magis sanguine, quàm resurrectione & ascensione Christi redemti, quia (ex nostra sententia) Christus non minùs interveniente sanguine quàm resurrectione & ascensione potestatem divinam adeptus sit. Cùm tamen scriptura redemtionem a peccatis soli passioni & morti Christi tribuat, resurrectioni verò justificationem, ascensioni glorificationem.* Sed quid quæso absurdi est, si dicatur, nos, per Christi etiam resurrectionem & exaltationem esse redemtos, si vox redemtionis pro liberatione accipiatur? Nonné eo fine Deus Iesum ex mortuis suscitavit, ut nos liberaremur a peccatis & morte? Nonné ipse locus a Smiglecio adductus idem comprobat, dum Paulus ait, *Christum esse resuscitatum propter iustificationem nostram?* Num fortassè differunt reipsa nostra redemtio & justificatio, quia verbis differunt? At, ut suprà etiam docuimus, promiscuè ista in sacris literis accipiuntur, & ut justificatio, sic etiam redemtio hîc in spe a nobis obtinetur, & in Christi adventu demum perfecta nobis continget. Vnde etiam redemtionem sperare dicuntur fideles. Et ut resurrectioni, sic etiam morti Christi nostra justificatio tribui potest, quemadmodum vicissim Christi resurrectioni, considerata ex mente s. literarum cum potentia eam consecuta, nostra redemtio. Glorificationem autem ascensioni tribui, nusquam scriptum extat, nec extare potest. nam glorificatio a justificatione ratione potiùs, quam reipsa differt; & si tamen differt, ita Dei decreto & voluntate sub N. F. conjunctæ sunt, ut alterum sine altero dari nullo modo possit. Hæc autem glorificatio non continget alicui per Christi ascensionem, sed per illam ejus exaltationem & summam potentiam, quam nunc in omnia, Deo excepto, obtinet.

Per Christi etiam resurrectioné & exaltationem nos redétos esse.

Quinta ratio est: *Scriptura, cùm dicit, nos sanguine Christi redemtos, nusquam facit mentionem potestatis, sed solùm pretii in sanguine constituti.* Hæc ultimo loco poni merebatur, ob robur, scilicet. Num causam etiam poni necesse est, cur Christi sanguine redemti dicamur, quando nos sanguine ejus redemti dicimur? & non sufficit, dixisse, nos sanguine ejus redemtos esse: causam verò vel alibi expressam esse, vel aliunde colligi posse, idq; nobis investigandum relinqui? Firma igitur stat ista causa, cur Christi sanguini redemtio nostra tribuatur, quia sanguis Christi causa extiterit divinæ potestatis, quâ Christus nos perfectè redimere potest. Causæ autem tribui, quod effectus est, tropus

Non necesse est, unà cum redemtione causam ejus poni.

tropus est valdè usitatus in sacris literis. Dum verò ista ad scholas Racovienses amandanda censet Smiglecius, scommate se oblectare voluit, sed sua eruditione & vocatione indigno. Quid enim impedit, quo minùs etiam in schola Racoviensi intelligatur aliquid, ut in Calisiensi? Sed hæc mitto.

Argumentum invictum in redemtione nostri non esse satisfactionē.

Accedo nunc ad defensionem argumenti, quo probamus, in redemtione nostri non esse satisfactionem. Hoc autem est, quòd ad redemtionem propriè acceptam, in qua veræ satisfactioni locus est, requiratur, ut pretium pro captivo alicui detur, in nostri autem redemtione nemini datum sit, nec dari potuerit. Non diabolo, quia id blasphemum est, licèt ita Patres quidam senserint, ut docet Socinus in libro de Servatore: non Deo, quia is redemtionem procuravit, & sanguis Christi, ut & ipse Christus, totus Dei fuit, antequam Christus moreretur. Pretium autem Christum & ejus sanguinem appellari, quia idem eventus Christi traditionem in mortem consecutus est, qui pretium propriè solutum sequitur; nempe ut captivus liberatur dato pretio: sic nos etiam fuso sanguine Christi liberatos esse. Smiglecius primùm ambagibus utitur & fallaciis, ut solet. Ait enim, *Christi sanguinem verum pretium redemtionis nostræ fuiße.* Quasi verò id etiam non sit verum, quod impropriè describitur? Impropriè Deus redemtor appellatur, quia nemini quicquam pro nobis solvit: & tamen verus est redemtor, quia redemtionem reipsa præstitit, & olim præstiturus est. Ait iterum, *Legi, pretium illud datum eße.* Sed nō hoc quæritur. Dari enim id etiam dici potest, quod impenditur, licet nemo reipsa sit, qui illud accipiat. Probetur alicui datum esse pro nobis istud pretium. Nominat igitur tandem Deum, quem Dominum nostri, qui simus captivi, ideo nominat, *quia peccatis nostris offensus Dæmoni* (sic habet Smiglecius) *nos cruciandos tradiderit.* Hoc verò quam sit falsum, paulò ante suo loco docuimus. Cùm nos aliquid dicimus, quod Smiglecio novum est, quantumvis clarissimis sacræ scripturæ testimoniis, vel evidētissimis ex iis deductis rationibus nitatur, Chimæras nos in mundum introducere, Smiglecius clamat: at cùm ista plusquam absurda figmenta, quæ nec in scripturis, ipso Smiglecio teste, continentur, nec probari ulla ratione possunt, Smiglecius ad argumenta solvenda affert, pro mysteriis adorandis ea nos vult recipere. Quis verò unquam audivit, Deum tanquam Dominum nostrum, nos diabolo cruciandos tradidisse? Num in infernum etiam descendit Smiglecius, ut ista nobis panderet? Exaggerarem & exagitarem ista pluribus: sed fabula nimis est manifesta. Iam si absurdissimum censeri debet, Deum tanquam Dominum nostrum, nos alicui tradidisse cruci-

Nemini pro nobis pretium datū est.

Cur Christus & ejus sanguis pretium.

Fallaciæ Smiglecii deteguntur.

Verum & illud est, quod est improprium.

Dari aliquid potest, etiamsi nemo id accipiat.

Chymeram Smiglecii introducere in religionem.

Deum nos nō tradidisse cruciādos Diabolo.

cruciandos, nonné absurdissimum pariter censerit debet, Christum, vel sanguinem Christi, Deo datum esse pro nobis apud eum rediméndis. Præterea, nonné Deus, etiamsi nos diabolo cruciandos tradidisset, iram istam sponte sua deponere potuit? nonné, si aliter dicatur, Deum nempe iram suã non deposuisse aut deponere voluisse, Deus quodammodo blasphematur? Hac enim ratione tantùm Deus non teneretur nostri misereri, & vana essent, quę de visceribus misericordiæ, quâ nos anteverterit, testatur scriptura. Sed hæc omnia dixeramus in responsione ad Monstra, ubi non tantùm eadem res, sed verba etiam eadem habentur, ita ut me repetitionis hujus valdè pœniteat & pigeat: & nunc etiam puderet, nisi cum tali antagonista, qui solis repetitionibus tempus terit, res mihi esset. Quæ huc pertinent, ex superiùs dictis, huc transfer. Summa est: ut captivi eramus mortis, peccati, diaboli, sic etiã redemti, hoc est, liberati ab illis sumus. Mancipia eramus mortis, peccati & diaboli, quatenus sponte nostra nosmetipsos illis emancipaveramus: Redemti sumus ab illis hostibus a Deo per Christum, quatenus & a peccati actu & reatu liberationis spem consecuti sumus, & ipsam etiam liberationem consecuturi sumus.

Potest is, qui aliquem cruciãdum tradidit, irã sponte sua deponere.

Ex captivitate nostra de redemtione nostri judicium faciendum.

Quæ porrò dicit Smiglecius adversùs nos, ea nullius sunt momenti. Nam cùm dicimus: Si Deus Christum dedit, qui est pretium redemtionis, quomodo eum accipere potuit, & non potiùs retinere apud se, respondet, *Christum non esse pretium redemtionis, ut a Deo datus est, sed ut seipsum & sanguinem suum per mortem Deo obtulit.* Quasi verò datio Christi non sit ipsa ejus in mortem traditio, & prorsus nõ sit ineptum dicere, Deum dedisse filium suum, vel nobis tanquam rem possidendam, vel alio modo, quàm in mortem eum tradendo. *Christum se Deo obtulisse per mortem*, locutio est insolens & sacris literis ignota. Eæ enim Christum se Deo obtulisse testantur non per mortem, sed per ingressum in cœlum. Nec mirum. In sanctis enim, quæ cœli figura erant, tantùm, sub lege hostiæ expiatoriæ solennes & anniversariæ, quæ sacrificiis Christi figura erant, offerebantur. Cùm igitur Christus ipsemet sit & sacerdos & sacrificium, consequens est, cum in cœlo demum seipsum Deo obtulisse, de quo in responsione ad 2. de erroribus Arianorum Smiglecii librum, disputatum est uberiùs.

Christus se Deo per ingressum in cælum obtulit.

Illud etiam, quod addit Smiglecius, *etiamsi Christus missus esset in mundum, si tamen mortuus non fuisset pro nobis, non fuisset redemtus*, verum quidem est: sed ad rem nihil facit. Primùm enim hoc eatenus tantùm verum est, si decretum Dei attendatur. hoc firmo stante, non tantùm

Quatenus sine morte Christi mundus redimi non potuerit.

tantùm mitti in mundum Christum oportuit, verum etiam pro mũdo pati & mori. Deinde ista necessitas mortis Christi, non Dei sed nostri causâ facta est. Nec enim Deus erat, qui sanguinis Christi fusione egeret, ut sentit Smiglecius. Iam enim, antequam Christus mitteretur in mundum, propitius erat mundo: sed nos eramus, qui ista Christi sanguinis fusione egebamus, ut scilicet hac ratione nobis persuaderetur, Deum verè nos diligere, & promissa præstiturum, quæ per Christum nobis proposuit. Quo uno observato, quod & verissimum est & clarissimum, tota Smiglecii machinatio corruat necesse est. Iam enim constat, non necesse fuisse, ut Deo aliquid daretur, nec etiam datum esse pro nobis redimendis, in quo perpetuò hæret & errat Smiglecius. De verbis Pauli Ephes.5. v. 2. nihil nunc dico. Satis enim superq; tractata illa sunt alibi contra Smiglecium, & ostensum est, Paulum non dicere, quòd Christus semetipsum Deo tradiderit: sed quòd semetipsum tradiderit in mortem pro nobis, oblationem & hostiam Deo in odorem suavitatis, quibus verbis Christi illud factũ, quod semetipsum pro nobis tradidit, nobis ut imitandum commendatur, ut loca similia declarant.

Christũ mori oportuit, non Dei, sed nostri causâ.

Cur nostri causâ Christus mortuus sit.

Quo sensu Christi mors hostia à Paulo appelletur.

Phil:4. 18.

Iam cum stultum esse dicimus, si quis alicui debitum remittere velit, dari ipsi pecuniam, quâ debitum solvatur, Smiglecius id tantùm nudè opponit, *ipsam sapientiam in eo, quod Deus fecit, esse. Non enim dedisse eum, qui ex sua nimia charitate pro nobis pretiũ sanguinis sui solvit.* Sed nodus sic non solvitur. Nam, ut ante diximus, non tantùm sanguis Christi, sed ipse Christus traditus est a Deo pro nobis, & tam ipse Christus quàm sanguis ejus est pretium redemtionis nostræ. Si igitur Christus ipse est pretium redemtionis nostræ, quis non videt, Deum dando Christum, dedisse etiam pretium redemtionis, & ita stultitiam istam sese prodere, quam obieceramus.

Stultum est ei, qui debet, pretiũ dari a creditore, quo debitum solvat.

Sed nunc videamus aliud. Dicimus, si remissio esse debuit, solutionem nullam exigendam fuisse. Adversa enim fronte pugnant, remittere debitum & solutionem exigere. Smiglecius, pressus hoc argumento, nihil, quod a nobis antea copiosissimè non refutatum & per se non sit ineptum, affert. Tantùm enim cantilenam illam vulgarem canit, *remissionem esse respectu nostri, quibus peccata sint gratis remissa: solutionem verò, respectu Christi.* Sed hæret hîc Smiglecius nimis turpiter. Iam enim ostensum a nobis est, remissionem duo requirere, nempè ut is qui debet, nihil solvat; & ut is, cui debetur, nihil pro debito accipiat. Nam si Deus nobis remisit debita, interim a Christo solutionem eorum exigit, non remisit debita; satisfactum enim illi est pro nobis: sed tantùm modus exigendi debitum suum novus ostensus

Duo in remissione requiri.

Urgetur Smiglecius.

ſtenſus eſt. Cuius argumenti tanta vis eſt, ut a nemine infringi ulla ratione poſſit. Nam & illud quàm ineptum eſt, dum porrò ait Smiglecius, *remiſſionem quæ ſit per redemtionem Chriſti, non præjudicare gratiæ divinæ.* Non enim remiſſio, quæ fit per redemtionem Chriſti, ſed ſatisfactio opponitur gratiæ, & nunquam iſta conciliabit Smiglecius. Illud etiam quàm otioſè dictum eſt, ad oſtendendum, gratis ex parte noſtra nobis eſſe remiſſa peccata, *quòd ipſa pretii explicatio tota ſit in Dei gratia poſita.* Num præterquam quod jam diximus de requiſitis remiſſionis, quid hoc ad rem facit, ipſam applicationem eſſe in Dei manu poſitam. Nam ex eo ſequitur, ſatisfactionem non eſſe contrariam gratiæ? Deinde quis unquam audivit de applicatione pretii alicuius, idque ab ipſo Deo? Nonné fabulæ iſta ſunt omnia & affaniæ, quæ vix æquis animis admitti poſſunt? Et tamen Smiglecius errores aliis, & neſcio quid nõ objicit, qui vix unquam ſine errore dicere poteſt aliquid. Deniq; quæ iſtius fabulæ probatio? *Chriſtus dixit, non ſuum eſſe dare ſeſſionem ad dexteram in regno cœlorum, ſed quibus paratum eſt a Patre cœleſti. Idem ait de Apoſtolis: Tui erant; & tu eos mihi dediſti; de eodem Chriſto dicitur: Ecce ego & pueri, quos mihi dedit Deus. & iterum, prædeſtinavit nos (Deus) per Chriſtum, ſecundùm propoſitum voluntatis ſuæ, ergo Chriſti pretii applicatio tota poſita eſt in Dei gratia.* Expendat illa altius lector prudens: Ego verò dico, iam prorſus claudicare reſponſiones Smiglecii, & hinc conſtare, non dari progreſſum in erroribus his defendendis ulteriorem. In primo enim teſtimonio nulla pretii (ut nunc ineptiam cum Smiglecio) applicationis fit mentio. Nec mirum. Chriſtus enim, antequam illud pretium impenſum eſſet, iſta verba protulit. Accomodatio autem non niſi rei iam præteritæ eſt. Adde quòd non de applicatione pretii, ſed de datione ſeſſionis ad dexteram & ſiniſtram erat ſermo. Differunt autem applicare & dare: differunt etiam multò magis pretii applicatio, & datio ſeſſionis ad dexteram Chriſti vel ſiniſtram. Nam per applicationem pretii, ex mente etiam Smiglecii, ſola ſalus intelligitur: at per ſeſſionem ad dexteram & ſiniſtram Chriſti, dignitas quædam ſingularis; ſine qua ſalus alicui, adeoq; pretii illius, ut ait Smiglecius, applicatio, contingere poteſt. Taceo quòd iſti Apoſtoli non de vera beatitate locuti ſunt, ſed de terreſtri quodam regno Chriſti. Hoc præterea addo, non conſtare, ibi ſermonem eſſe de eo, quòd ſit in patris poteſtate ſitum. Non enim opponitur ibi Chriſti potentia Dei potentiæ, ſed tantùm opponuntur inter ſe ii, quibus dandum ſit, quod iſti rogabant, ut ipſa verba docent: *ſedere a dextris meis & a ſiniſtris meis, non eſt me-*

Non remiſſio, quæ fit per redemtionem, ſed ſatisfactio gratiæ opponitur.

Nugæ Smiglecii.

Applicationis nulla uſpiam mẽtio.

Accommodatio non eſt niſi rei præteritæ.

Dare & applicare differunt.

Applicatio pretii, & ſeſſio ad dexteram, differunt.

Matth: 20. non opponi Chriſti poteſtatem patris poteſtati, ſed eis quibus ſit danda ſeſſio ad dexteram Chriſti.

est meum dare, sed quibus paratum est a patre meo. Nam si Christus dicere voluisset, non esse id in sua, sed in patris potestate situm, dicere debuisset, non meum est dare, sed patris mei. Iam, cùm opponit loco patris dantis, eos, quibus id dandum est, quod rogabant isti duo; constare videtur, Christum non de eo loqui, quod in patris potestate esset situm: sed de eo, quod in sua potestate non minus quàm in patris potestate erat, vel saltem futurum erat. Cur verò dixerit, suum non esse dare illis qui petebant, sed quibus paratum est a patre suo, jam alia quæstio est. Satis est nunc docuisse, verba Christi nihil prorsus ad propositum facere, si talis sensus illis adhibeatur. Quem sensum etiam ipsa vulgata versio sequitur, quæ ita habet: *Non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a patre meo.* Quanquam vox *vobis* otiosè prorsus inserta esse videtur. Nam hac ratione excluderentur prorsus ii, quos Christus alloquebatur. Poterant autem & illi ex numero illorum postea esse, quibus hoc a patre esset paratum, quod petebant; & ita illis dari id a Christo poterat. Addam hîc illud etiam, quod Maldonatus Iesuita, autorem operis imperfecti hîc nō audiendum esse, dicit, qui ait, *patris fuisse dare illud de quo sermo est, & in eo Arianizare illum asserit.* Hinc enim videre potest Smiglecius, quàm imprudenter patri hîc assignari aliquid dicat.

Cur vox *Vobis* otiosè inserta sit in vulgata.

Ex eo verò, quòd Deus Christo Apostolos dedit, quomodo quæso per speciem colligi potest, in patris potestate sitam esse istam gratiam, nempe applicationem pretii a Christo soluti? Potuitné fieri applicatio pretii, antequam pretium esset datum? At, antequam Christus moreretur & pretium illud solveret, Christus dixit, datos sibi fuisse Apostolos? Porrò quomodo ex eo, quòd Christus populum suum pueros appellat, quos illi Deus dederit, colligi potest, applicationem pretii in Dei gratia esse positam? Cùm hæc verba dicta sint ab autore Epist: ad Hebræos de re, quæ jam esse desiit; applicatio autem ista pretii (si Deo placet) procul dubio hodie etiam fiat. Hinc est, quòd nusquam legimus, Deum nunc dare aliquem Christo. Semel enim omnes, quicunq; sunt animi probi vel sanabilis, Deus tradidit Christo regendos & servandos. Denique, quid in mentem venit Smiglecio, cùm verba Pauli huc pertraxit? Quid enim commune habet prædestinatio nostri per Christum, secundùm propositum voluntatis suæ, cum applicatione ista pretii sanguinis Christi? Nonné jurè ista scopæ dissolutæ sunt appellanda? Sed nolo plura dicere, ne, & Smiglecium nimis confundere velle, & de lectoris judicio & fide dubitare videar.

Inertia Smiglecii.

Deū Christo post exaltationem nihil dare dici.

Non intelligere me ait, propositionem illam: *Quod quis per alium*

De propositione: quod quis per al-

terum facit, id ipse facere videtur.

um facit, id ipse facere videtur, ex qua probamus, siquidem Deus istam nostri redemtionem procuravit, non fuisse opus, ut illa apud Deum procuraretur. Smiglecius autem id, quod fortè intelligit, intelligere non vult, & nihil non faciens, sophisticando omnia perturbaturum se credidit. Sic enim ait: *Tunc veram esse illam propositionem, cùm ii, per quos facimus, non suo sed nostro nomine faciunt: at si quis inducat alium, ut alteri donet pecuniam vel bona aliqua, is non dicitur per se donasse, sed alterum ad donandum induxisse, qui non inducentis sed suo nomine proprio donavit.* At unde constat, eo sensu veram propositionem illam esse, quem hîc exponit Smiglecius, cùm nulla vel ratione vel autoritate denique id confirmârit? Siccine nos tractare tandem incipiet, ut, quod ipsi libet, pro solutione argumentorum afferat? Sed hæc ferenda nunc sunt, quia mutari nequeunt. Duplicem errorem in responsione Smiglecii notamus. Primùm enim tacitè sumit, Christum, non Dei sed suo nomine fecisse, quod fecit, quod falsissimum esse copiosè testantur f. literæ. Vt alia ferè infinita loca taceam, nonné Christus hoc ipso sese distinguit ab aliis seductoribus omnibus, dum ait: *Ego in nomine patris mei veni, & non recipitis me: si alius venerit in nomine suo, eum recipietis.* Vt autem Christus in nomine patris sui venit: sic etiam omnia ejusdem nomine perfecit, quamdiu in terris fuit. Post exaltationem demum legitur, in nomine Christi cœpisse fieri, quæ ad salutem nostram pertinent: sed hoc nihil ad propositum Smiglecii, cui probandum incumbit; Christum non Dei sed suo nomine, cùm in terris degeret, & antequam moreretur, vel saltem moriendo, fecisse quod fecit. Ergo ex sensu etiam Smiglecii verum est, quod dixi. Deinde astutè terminos mutat, dum ait, *si quis inducat aliquem ad faciendum aliquid, eum non dici per se fecisse, sed alterum ad id faciendum induxisse.* Nec enim propositio illa ita habet, aut ego dixeram, qui per alium facit, is per se dicitur facere; sed, eum ipsum id videri facere. Quod hîc etiam locum habet. Nam revera, qui alium inducit (ut cum Smiglecio loquar) ut pro alio solvat, is ipse id facere videtur. Adde quòd Smiglecius, cùm, quod ante proposuerat, Christum scilicet suo proprio nomine nobis aliquid donasse, declarare velit, iterum terminos mutat, & ait, *Eum id pro sua in patrem charitate fecisse libentissimè.* Quis enim non videt, quantùm differant, libentissimè aliquid donare, & donare aliquid suo proprio nomine? cùm & is libentissimè donare possit, qui alieno nomine donat: imò libentiùs ea donare solemus, quæ alieno quàm quæ nostro nomine donamus, & ideò multi libentissimè donant, quia de alieno donant. Quod tamen de Christo vel

Christum nihil suo nomine fecisse.

Ioan: 5. 43.

Aliud est, aliquē videri quid facere, & illum id per se facere.

Libentissimè donare, & suo nomine donare, differūt

vel

vel cogitare nefas est. Credimus enim, eum libentissimè & sponte sua, vel, ut ipse Christus ait, a semetipso, animam suam posuisse, & neminem eam ab illo abstulisse: Ex eo verò consequi, cum id suo proprio nomine fecisse, negamus. Nam idem Christus ibidem, postquam dixisset, se potestatem habere animam ponendi, & potestatem habere eam accipiendi, hæc verba addit: *Hoc præceptum accepi a Patre meo.* Qui verò ex præcepto alieno aliquid facit, is non suo sed alieno nomine id facit. Ioan: 10.18.

Vnde etiam constat, quàm verum sit, a Christo nihil Deo dari potuisse, quod Dei non esset, quantumvis sponte sua Christus id dederit. Et certè, ut de hominibus stultum esset dicere, eos aliquid dare Deo, ut aliquid apud eum hac ratione mereantur, quia scilicet omnia a Deo habeant: sic etiam non minùs stultum est, dicere, Christum sanguinem suum dedisse Deo, ut aliquid apud eum mereretur nobis. Dari autẽ posse aliquid a nobis alio fine, ut scilicet vel nostrã ergaDeũ reverentiam testificemur, vel aliorum commodis consulamus, libenter concedimus: Sed hoc Smiglecio nihil proderit.

Christum nihil dedisse Deo, ut per id aliquid mereretur.

Præter hactenus ineptè a se dicta, hoc etiam addit, *quædam dici dari alicui, quia in illius gratiam impendantur & consumantur, & hoc modo Christum dedisse sanguinem suum pro nobis.* Sed ista verba, *in gratiam,* ambigua sunt. Nam & is facit aliquid in gratiam alicujus, licèt minus propriè, qui ob præceptum illius id facit; & is, qui ideo aliquid facit, ut ei, in cujus gratiam id facit, prosit; vel saltem, quia is, in cujus gratiam id facit, ea re egeat. Priori modo sumta vera sunt, sed nihil juvant causam Smiglecii: posteriori modo, falsissima sunt. Deus enim sanguine Christi non opus habuit, nec necesse fuit, ut aliquid per ejus fusionem apud Deum conciliaretur. Iam enim erant parata omnia, ex Dei spontanea miseratione. Ergo & falsissimam esse Smiglecii sententiam, quæ hoc posteriori verborum, *in gratiam,* sensu nititur, necesse est. Et sanè absurditas sententiæ Smiglecii ex hoc ipso apparet, quòd aliter defendi nequeat, quàm si dicatur, contra omnem rationem sanam & sacras literas, vel saltem extra sacras literas, Christi sanguinem *in gratiam Dei* impensum esse vel effusum. Non autem in Dei, sed nostri gratiam id factum esse, copiosè testantur sacræ literæ.

In gratiam alicujus fieri quid dupliciter dicitur.

Quo sensu dici nequeat, Christi sanguinem in gratiam impensum.

Frigida & illa est exceptio, *ideo de patre dici, quòd nos redemerit, licèt nullum pretium alicui solvat, quia nos non redimat per seipsum, nec suo sanguine, sed per Christum.* Quocunq; enim modo nos Deus pater redimat, si absq; solutione pretii redimit, jam vis argumenti, quæ voce redemtionis nititur, debilitata est & annihilata. Præterea & illud

Quo sensu dici possit, Deum nos per sanguinem Christi acquisivisse.

docuimus antea, dici posse figuratè, Deum patrem nos per sanguinem suum acquisivisse. Sic enim & ipsa scriptura loquitur Acto.20. quatenus scilicet sanguinem filii sui pro nobis impendit. Dum verò Smiglecius in illam nostram loci illius explicationem invehitur, & *inauditum esse dicit, quod de eo affirmamus*, relego illum ad refutationum libelli ipsius, *Verbum caro factum est*, in quo locus ille copiosè tractatur, & præter non pauca, quæ ad eum intelligendum pertinent, ostenditur etiam, per modum loquendi non inusitatum, sanguinem Christi dici posse Dei sanguinem, quo sensu, corpora & spiritus fidelium, dicuntur esse Dei, & non fidelium. Smiglecius etiam moneri se patiatur, ne tantùm inveteratis opinionibus tribuat, ut quicquid adversùs eas dicitur, absurdè dictum putet.

Quo sensu sanguis Christi Dei sanguis dici queat.

1. Cor: 6. 19. 20.

Nec minùs frigida illa est exceptio, quòd, cùm dicimus, Deum de nobis redimendis cogitasse ante constitutionem mundi, cùm, ut adhuc nulla erat offensa, sic etiam pretium redemtionis locum habere non potuerit, Smiglecius me *aut non intelligere* dicit, *quod loquor, aut ad propositum non loqui.* Nam *si*, ait, *existimet, Deum ab æterno peccata nostra, & modum redemtionis ignorasse, non intelligit, quid sit æterna illa electio: si verò id non ignorat, nihil concludit. nam id Deus elegit ab æterno, quod facturus erat in tempore.* Illud nunc non examino, quòd Smiglecius, ab æterno, & ante constitutionem mundi, vel tempora secularia aliquid factum esse, pro uno & eodem promiscuè accipit. factum enim est id alibi. Illud insidiosè dictum esse conqueror, Deum ignorasse peccata, & modum redemtionis, & præsertim hoc alterum. Hoc enim ex sola Dei voluntate pependit, ideoq; ignorantia ejus rei in Deum cadere nullo modo potuit. De peccatis autem alia ratio est. Non ignoravit quidem Deus peccata nostra ante mundi constitutionem, quatenus sciebat, illa contingere posse, ideoq; etiam illum tunc remedium ipsis parasse, jure statui potest: sed certò ea futura fuisse, an scivisse dici possit Deus, jure dubitatur. Futurorum enim contingentium, quâ contingentia sunt naturâ, nulla est determinata veritas. Nihil est autem in eo absurdi, si dicatur, Deum non absolutè, sed cum conditione decrevisse nos redimere vel servare; vel etiam aliud in tempore fecisse, quod non decreverat ante mundi constitutionem. Constat id ex diluvio & exustione Sodomæ. Hæc enim in tempore facta sunt: & tamen, ab æterno eadem decreta fuisse, nemo nisi mentis inops affirmare ausit. Statuendum enim esset, Deum ab æterno scivisse, isto modo peccaturum mundum & Gomorrham, quo peccârunt. Quod dici non debere, vel ex eo constat, quòd Deus ait, pœnitere sese, quòd hominem creaverit. Pœnitere autem cum

Differunt ab æterno & ante cōstitutionem mundi.

Quatenus Deus peccatum sciverit.

Deum cum conditione decernere aliquid posse.

cum non potuisset, si id certò & immutabiliter futurum scivisset. Sed hac de re, quæ & latissimè patet, & non minimis difficultatibus intricata est, plura nunc dicere non est necesse.

Sanguinem Christi longè aliam vim ad peccata tollenda habuisse, quàm habuerit sanguis animalium sub lege, ostenditur.

Caput III.

Duo gravissima absurda Smiglecius secutura ait, si non concedatur, Christi sanguinem esse tale redemtionis pretium, per quod Deo satisfactum sit pro peccatis nostris, quod ille verum pretium, suo more, appellat, cùm dicere deberet, proprium vel propriè acceptum. Videamus ista. Vnum est, *quòd eodem modo expiarentur peccata sanguine Christi, quo in lege sanguine pecudum expiabantur. Vtrobique enim sanguinem intercedere tantùm: & porrò non opus fuiße, ut Christus moreretur, siquidem sacrificia legalia præstabant expiationem peccatorum.* Hoc argumentum solutum a nobis antea fuerat copiosè in refutatione Monstrorum, quò lectorem remittimus: Nunc tamen semel dicta breviter repetimus. Dicimus igitur, vitiosè ex eo, quòd in una aliqua re conveniant sanguis animalium & sanguinis Christi, concludi, eodem modo sanguine animalium peccata expiata fuisse, quo nunc peccata sanguine Christi expiantur, vel, ut Smiglecius audacter loquitur, eandem prorsus vim sanguinem Christi ad expianda peccata habuisse, quam habuit sanguis taurorum. Potest enim inter ea etiam, quorum interventu aliquid fit, maxima esse differentia, & alterum ab altero longissimè superari. Concordantiam autem, in una saltem aliqua re, nihil differentiæ illi & præstantiæ obesse, vel hinc constat; quòd, si nulla prorsus esset ulla in re convenientia, inter sanguinem animalium sub V. F. & Christi sub Novo, sanguis animalium, & quæ tunc illo fiebant; non potuerint esse umbra sanguinis Christi, & eorum, quæ nunc illo fiunt. Itaq;, etiamsi utrobiq;, interveniente sanguine & decreto Dei, expiatio fiat: facit tamen differentia, quâ utrobiq; fit expiatio, ut expiatio nullo modo æquari debeat. Hanc solutionem argumenti Smiglecius loco movere non potuit: sed tantùm otiosè semel a se dicta ad nauseam usq; iterat. Deinde ad elevandas rationes nostras, quibus docemus, sanguinem Christi majorem vim habuisse ad peccata expianda, quàm sanguinem bruto-

Concordantia duarum rerum in aliquo, non tolli alterius præstantiam.

Cur concordãtia aliqua inter sanguinem Christi & animalium requiratur.

rum in lege, accedit. Hoc verò quo successu faciat, videndum est iterum diligenter.

1. Ratio. Cur præstet sanguis Christi sanguini animaliũ.

Prima ratio nostra est, quòd sanguis Christi, per se sit perfecta confirmatio N. F., & summæ Dei erga nos charitatis indicium; quod neutrũ de sanguine brutorum sub V.F. dici poterat. Smiglecius ait, *me verbis ludere, aliud enim esse confirmare fœdus novum, aliud peccata expiare in novo fœdere.* Sed ego dico, eum re ipsa ludere. Non enim nunc id probandum est, an sanguis Christi peccata expiet: sed an eadem prorsus fuerit vis sanguinis brutorum, quæ est sanguinis Christi. Hoc autem falsum esse satis probatur, si doceatur, sanguinem Christi esse perfectam confirmationem N. F. Adde, quòd, etiamsi phrases sint diversæ, perfectè Novum Fœdus confirmare, & expiare peccata: tamen sensu non ita different, ut aliud ex alio non consequatur; ac proinde quasi pro uno accipi possint. Nam si perfectè N F. confirmatum sit, nonné sequitur ex eo, confirmatam esse promissionem de remissione peccatorum in N.F. propositam? hæc enim est pars N. F. essentialis. Rursus confirmata promissione de remissione peccatorum, nonné ipsa peccata expiata sunt, respectu Dei: imò etiam respectu nostri iam expiata esse dici possunt; quia fieri non possit, ut aliquis veras esse credat promissiones de remissione peccatorum, quin peccatis ipsis valedicat, perspectum habens, se absq; vera sanctitate promissiones Dei non consecuturum reipsa.

Smigleci⁹ ludit.

Confirmatio N. F. quatenus sit expiatio peccatorum.

Porrò cùm fœdus vetus sanguine brutorum etiam confirmatum fuisse ait, non attendit, quàm infirma illa & egena fuerit cõfirmatio, ut pote quæ nihil cum ratione recta commune habebat. Quomodo enim promissiones Dei sanguis brutorum revera confirmare potest? Itaq; Smiglecius datâ, ut puto, operâ, vocem *perfectam*, quam addideram ego ad confirmationem, omisit. Confirmatio, quæ fiebat per sanguinem brutorum fœderis illius, nedum ut perfecta fuerit, sed nec solida nec rationalis fuit; & opinione potiùs quàm aliqua ratione justa nitebatur: at sanguinis Christi effusio res solida est & rationalis, & loqui quodammodo videtur de certitudine promissorum divinorum. Et cui quæso non persuadeat perfectissimè, fœdus novum, & omnia in eo contenta, esse verissima? Nec enim Deus, filium suum unigenitum in mortem tam truculentam tradidisset; nec eam Christus sponte sua subjisset, si vana ea essent, quæ Deus per Christũ nobis promisit. Iam quia id Deus impendit, quo nihil habuit charius, necesse est statuere, Deum pro re certissima haberi voluisse ea, quæ Christus annunciavit: Quia etiam Christus sponte sua illud subjit, necesse

Confirmatio per sanguinẽ animalium nec perfecta nec rationalis fuit, ut est confirmatio N. F. per sanguinem Christi.

necesse est pariter statuere, persuasissimum ei fuisse, ea, quæ tunc annunciabat, fuisse verissima. Quis enim, nisi mentis inops, afflictiones & mortem subire velit, ut ea confirmet, quæ ipsemet falsa esse optimè novit?

Sed præterea, cùm dico, sanguinem Christi summam Dei erga nos charitatem testificari, nonne id dico, quod de sanguine brutorum ne cogitari quidem potest? Quid enim in eo charitatis, non dico summæ, sed vulgaris etiam est, si sanguis brutorum alicujus causâ fundatur? Itaq; Smigl: etiam nihil directè ad hoc alterum respondet, unde constet, eandē fuisse vim sanguinis brutorum, quæ est sanguinis Christi. Manifestum autem est, illud quod nullam Dei charitatem declarat, nullo modo conferri cum eo posse, quod summæ Dei charitatis erga nos, testimonium est & confirmatio. Quod verò ait, *vim majorem certificandi de expiatione, non esse vim ipsam expiandi peccata*, ad id paulò ante responsum est, cùm docuimus, ista verbis quidem differre, revera autem ita alterum ex altero consequi, ut suo modo pro uno haberi possint. Quæ de miraculis addit, *ea etiam expiatura peccata, si testificatio vel cōfirmatio divinarū promissionum peccata expiet*, suprà jam refutata sunt. Tandem & hoc addit: *Dubium non est, sanguinem in sacrificiis veteribus fusum, certificandi vim habuisse de expiatione peccatorum; cùm ad hunc finem essent a Deo instituta, ut peccata expiarent. Quocirca si certificare de expiatione peccatorum, sit expiare peccata, sequitur, sacrificia quoque veteris legis fuisse sufficientia ad peccata expianda, quod ita Paulo in epist: ad Hebr: repugnat, ut nil magis. Is enim docet non semel, sacrificia veteris legis ex se nullam prorsus vim ad expianda peccata habuisse, & ideò tanquam imperfecta & insufficientia rejecta fuisse, & in eorum locum perfectum sacrificium novæ legis successisse cap: 9. & 10.* Quæ verba ideo omnia ascripsi, ut et contradictionem & errorem Smiglecii crassum ex illis ostenderem. Contradictionem. Semel enim ait, *ad hunc finem fuisse instituta sacrificia veteris legis, ut peccata expiarent:* iterum verò ait, *autorem epist: ad Hebr: non semel docere, sacrificia veteris legis ex se nullam prorsus vim ad expianda peccata habuisse*. Error est, quòd credit, *sacrificia legalia nullam prorsus vim habuisse ad expianda peccata.* Habebant enim vim expiandi peccata ea, quæ sub lege remittebantur, nempe ignorantias & infirmitates. Quod verò dicitur, ea peccata non abstulisse, vel impossibile fuisse ut peccata auferent, id de peccatis veris & gravibus, & de ablatione tali, quæ in futurum etiam respiciat, intelligendum esse paulò post docebimus.

Sanguis animalium nullam Dei charitatem expressit.

Contradicit sibi Smiglecius.

Sacrificia legalia quomodo vim peccata expiandi habuerint, vel nō.

Quæ

Sanguis Christi non ex se peccata expiat.

Quæ de expiatione sanguinis Christi *ex se* disserit Smiglecius, ea figmentum ipsius sunt. nusquam enim ita scriptura loquitur; nec vox *pretiosus*, ut suprà docuimus, eam vim habet. Sed ut sub V. F., peccata per ignorantiam vel errorem commissa, expiabantur per sacrificia, quatenus Deus, quando illa fiebant, quæ pro expiatione peccatorum instituerat, peccata remittebat vel condonabat: ita hodie etiam peccata quævis, gravissima licèt, expiantur; quatenus Deus, quando ista facta sunt & fiunt, quæ pro expiatione peccatorum fieri voluit, peccata ipsa condonat. Quę verò ad peccata expianda hodie requiruntur post Dei voluntatem, duo sunt: Christi potentia divina, & hominum fides & obedientia.

Requisita expiationis post Dei gratiam duo.

Si dicat Smiglecius, me ipsum ita alicubi loqui, sanguinem Christi *per se* vim habere ad expianda peccata, primùm non esset causa in me invehendi, si ita loquerer, ut loquitur Smiglecius. Deinde verò dico, me nuspiam affimare, sanguinem Christi ex se habere vim expiandi peccata, sed per se. Per se autem, opponi iis rebus, quæ Christi mortem consecuta sunt, & ad peccata expianda potissimùm pertinent; & dicere volo, ipsam mortem Christi, consideratam etiam absq; consecuta eam exaltatione Christi, magnam vim habere ad expianda peccata, qualem nemo in sacrificiis legalibus ostendere potest. Nihil enim per se præstare poterant illa ad expianda peccata.

Ex se & per se differunt.

Per se cuinam rei opponatur.

2. Ratio. Cur sanguis Christi præstet sanguini animaliũ.

Alia peccata per sanguinem Christi expiari, quàm per sanguinem animalium expiabantur.

Altera ratio nostra, quâ docemus, sacrificia legalia non posse æquari sanguini Christi in expiandis peccatis, est, quòd sanguis brutorum tantùm infirmitates & carnis pollutiones expiaret, sanguis autem Christi conscientias nostras a peccatis (iisq; gravissimis, quod Smiglecius omisit) expiat. Quæ sanè insignis differentia est, &, stante ea, non nisi per calumniam dici potest, nos, Christi sanguinem parem censere sanguini brutorũ sub N. F. Smiglecius iterum, *me fucũ facere*, ait, *& verbis tantùm affirmare, quod reipsa negem*. Ex hujusmodi responsionibus ad res manifestas semper prudens lector jurè colligere potest, Smiglecium de fuco faciendo cogitare, cùm aliter evadere non possit. Dicit enim, me non concedere sanguini Christi ullam vim sive effectricem sive meritoriam expiationis, sed tantùm dicere, sanguinem Christi intervenire & confirmare promissiones divinas de expiatione peccatorum. Sed primùm captiosè conjungit causam effectricem cum meritoria Smiglecius. Nam & ea, sine qua res effici nõ potest, effectrix est, ut logici docent. Deinde nihil proficit ista dicendo. Nunc enim non de modo, quo expiationem efficit sanguis Christi, sed de ipsa expiatione vel proprietate illius sermo est. Quocunque autem modo peccata expientur, si constet, alia peccata

Causam effectricem & meritoriã differre.

cata per sanguinem Christi expiari, quàm olim per sanguinem brutorum expiabantur, jam discrimen apparet valde illustre inter sanguinem Christi & brutorum.

Reliqua quæ hîc dicuntur, omitto. Nam mendum iterum est in ipsis verbis Smiglecii: res ipsa verò paulò ante indicata est. Nunc hoc addo, etiamsi sub V.F. peccata, & gravia interdum, expiata fuerint eorum, qui Deum ex animo quærebant: non tamen dicendum est, *id tam in sacrificio, quàm extra sacrificium factum fuisse*. In sacrificio enim hoc est, vi sacrificii, peccata gravia nunquam expiabantur, sed solę infirmitates: expiabantur autem Dei misericordiâ, nulla habita ratione sacrificii. Nam idem etiam Deus præstabat illis, qui ante instituta sacrificia & latam legem ipsi confiderent & obedirent.

Sub V.F. non vi sacrificii peccata gravia expiata fuisse.

Iam quæ autoris epistolæ ad Hebr: verbis affingit, quòd ostendere voluerit, sanguinem Christi ex se vim propriam habuisse ad mundandas conscientias, quod suo more etiam repetit, id nec ibi scriptũ est, nec uspiam alibi. Tantùm enim diversitatem in ipsa expiatione & effectus ejus ostendit, quòd sanguis animalium sanctificârit ad carnis emundationem: sanguinis verò Christi purget conscientiam nostram ab operibus mortuis. An verò hoc ex se faciat sanguis vel animalium vel Christi, de eo nihil differit. Et licèt sanguis Christi sit sanguis filii Dei, non sequitur tamen inde, eum ex se aliquid præstare: sed satis est, ad istam commendationem stabiliendam, si dicatur, longè præstantiorem esse effectum sanguinis Christi, quàm sanguinis brutorum; licèt effectus iste non sit is, quem vult Smiglecius.

Heb: 9.

Ex eo, quòd sanguis Christi, filii Dei sanguis est, tantùm colligi, præstantiorē esse effectum sanguinis Christi, quàm sanguinem brutum.

Tertia ratio nostra est: Quòd sanguis brutorum tantùm præterita peccata expiârit, sanguis autem Christi futura etiam expiet, (*expiavit*, captiosè scripsit Smiglecius) quæ non minùs insignis est differentia, & talis, quam Smiglecius vix videtur intelligere, nedum ut eam refutare queat. Priùs autem quàm responsionem illius audiamus, uno verbo id, quod in parenthesi mihi objicit, diluendũ est. Dicit, *me antea dixisse, nulla peccata expiasse sacrificia*, scilicet legalia. Ego verò me falsò accusari queror. Id enim nusquam dixi: sed vera peccata & gravia, dixi & nunc dico iterum, tunc expiata non fuisse, interim peccata quædam per ea expiata fuisse concedens. Iam responsionem videamus, quæ eadem ferè est cum præcedenti, ad secundam rationem nostram, ideoque dicendi ea, quæ antea omissa sunt, occasio præbetur. Ait igitur: *si sanguis Christi iccircò dicitur expiare peccata, quia fuit confirmatio novi fœderis de futura peccatorum remissione, cur non similiter concedatur, sanguinem quoq; vitulorum & hircorum, quo antiquum fœdus erat confirmatum, peccata futura*

3. Ratio. Cur Christi sanguis præstet sanguini animalium.

Sanguis Christi futura peccata expiat.

Mens nostra iterum explicatur.

illo modo expiaſſe? Quæ reſponſio prorſus vitioſa eſt. Smiglecius enim ſanguinem Chriſti peccata expiantem me facere ait, propter ſolam & qualemcunque confirmationem novi fœderis: ego verò nec propter ſolam nec qualemcunque confirmationem, Chriſti ſanguinem peccata expiare contendo. Dico enim, quòd ideo etiam peccata expiet ſanguis Chriſti, quia ſummæ charitatis Dei erga nos teſtimonium ſit infallibile: & quia Chriſto ſanguis vel mors illius cauſa extitit potentiæ divinæ, quâ peccata noſtra expiantur: neutrũ verò horum de ſanguine brutorum vel cogitari quidem poteſt. Et licèt confirmationem N. F. ſanguinem Chriſti appellem, ideoq; peccata expiare eum dicam: non qualemcunq; confirmationem intelligo, ſed perfectam & ſolidam, quæ ſcilicet in ratione ipſa fundata eſt; qualem eſſe eam, quæ per ſanguinem animalium ſub lege fiebat, aut fieri poterat, nemo ſanæ mentis dixerit, ut paulo antè docuimus. Videre igitur poteſt Smiglecius, quare id, quod ſanguini Chriſti tribuitur, non concedam ſanguini brutorum.

Chriſti ſanguinē non ob ſolam & qualemcunq;, ſed ob perfectã & ſolidam N. F. confirmationem, peccata expiare dici.

Iam quam Catholicam appellat Smiglecius ſententiam adverſus nos, *quòd ſcilicet ſanguis Chriſti fuſus, tanti valoris fuerit, ut pro peccatis totius mundi, tam præteritis quàm futuris eſſet redemtionis pretium*, ea catholicus error eſt, qui nullo teſtimonio ſ. literarum comprobari poteſt; præſertim quod ad præterita peccata attinet. Quis enim unquam audivit, Chriſti ſanguinem pro peccatis totius mundi præteritis fuſum eſſe, vel, Chriſtum & ejus mortem ad eos pertinere, qui ante Chriſtum vixerũt? Sed de hoc infrà ſuo loco plura. Quod verò de futuris totius mundi peccatis dicit Smigl:, id nihil contrariũ ei, quod nos ea de re ſentimus, continet. Quis enim neſcit, ſi Chriſtus pro omnibus mortuus eſt, quicunque unquam futuri & in eum credituri ſunt, eum etiam pro peccatis futuris mortuum eſſe? At hoc myſterium eſt Chriſtianæ religionis non poſtremum, quòd Chriſti mors & ſacrificium non tantùm præterita, hoc eſt graviſſima, quæ vi legis expiari non poterant, (ſic enim præterita peccata ipſe Paulus accipit,) prorſ⁹ expiet; ſed etiam futura, quæ ſcilicet cõmittuntur per fragilitatem & ignorantiam: ita, ut non opus ſit alia aliqua expiatione, præter eam, quæ ex morte Chriſti promanat; quemadmodum ſub lege fiebat, ubi expiationem iterari quotannis oportuit, quia ſcilicet peccata vel infirmitates iterabantur.

Myſterium mortis Chriſti explicatur.

Rom: 3.

4. Ratio. Cur Chriſti ſanguis præſtet ſanguini animalium

Sed nunc quarta ratio noſtra repetenda eſt, cur ſanguis Chriſti, cum ſanguine brutorum ſub V. F. non ſit comparandus; quæ eſt, quòd Chriſtus, ſanguine ſuo interveniente, factus eſt noſter ſummus pontifex, & poteſtatem eam obtinuit, qua peccata nobis ipſemet remittere poteſt. Quæ ſanè tanti eſt momenti, ut nihil contra eam af-

ferre potuerit Smiglecius, quantumvis eam, spem verbis simulans, *falsam esse & nihil ad propositum facere* dicat. Falsam enim eam esse eo docet, *quòd Christus sacrificium cruentum perfecit in cruce vivus, uti totus orbis Christianus hucusq; ex scripturis credidit.* Egregia sanè ratio, & ejusdem probatio. Ratio falsissima. Nullius enim sacrificii, quod Christus in cruce perfecerit, s. scriptura meminit nec meminisse potest. Istius autem additionis ad sacrificium, *cruentum* scilicet, pudere deberet Smiglecium. Hoc enim non nisi in pontificiorum Theologia valet. Probatio verò prorsus infirma. Autoritati enim omnium unus locus s. scripturæ, vel una ratio ex illis desumta, semper jurè opponi potest. Iam cùm scriptura dicit, Christum, si in terris esset, sacerdotem non fore; & sancta sanctorum, in quæ sacerdos legalis ingressus demum sacrificabat, cœlo disertè comparat; nonnè testatur, Christum priùs nec sacerdotem fuisse nec sacrificium peregisse, antequā ex hac terra in cœlum migraret? Dixerat Smiglecius, totum orbem Christianū id ex scripturis credidisse: at loca scripturæ, quæ allegantur, nihil ejus continent. Nam Hebr: 7. v. 27. & 9. v. 28. oblationis quidem Christi fit mentio, sed eam in cruce factam esse non additur: Imò ex utroque loco colligi potest, eam in cœlis factam esse. Nam in priori loco v. proximè præcedenti dixerat autor, talem nos decuisse pontificem, qui sublimior cœlis sit factus: in posteriori verò oblatio Christi opponitur adventui Christi ex cœlo. Vnde apparet, oblationem illius esse ingressum in cœlum. Sed de hoc ante actum est contra ipsum Smiglecium fusissimè, in refutatione duorum de Arianorum erroribus librorum. Falsum esse docet etiam hac ratione, *quod Christus ante mortem peccata remittendi potestatem habuerit, idque quatuor Evangelistarum libros testari.* Sed hæc responsio in ignoratione fundata est, & distinctione remissionis peccatorum solvitur. Remissio enim peccatorum duplex est; una, cùm pœnæ temporariæ, quæ ob peccata hominibus inflictæ erant, ab eis auferuntur: Altera, cum pœnæ æternæ, quæ ob peccata hominibus destinatæ sunt, auferuntur. Illam Christus etiam ante mortem habuit: hanc verò non. Ad hanc enim, potestatem auferendi mortem & donandi vitam æternam, requiri, nemo non videt. quâ Christum præditum fuisse id non permittit, quòd ipsemet mortalis erat, & ut a morte liberaretur & vitâ æternâ donaretur, opus habebat. Differentiam hanc remissionis peccatorum ipse Christus indicat, dum ait: filium hominis potestatem habuisse *peccata in terris remittendi.* Idem enim est, peccata in terris remittere, quòd pœnas peccatorum temporarias auferre.

Ad homines provocare frustra est.

Christum ante ingressum in cœlum non fuisse sacerdotem.

Duplex peccatorum remissio.

Ad rem verò nihil facere rationem nostram aitSmiglecius,*quia secundùm nos Christi sanguis non fuerit potestatis illius divinæ causa effectrix sive meritoria, sed tantùm conditio, sine qua non.* Sed hæc antea non semel dicta & refutata sunt. Quorsum igitur toties obtruduntur? Causa sine qua non (ut in scholis loquuutur) inter causas efficientes numeratur.Itaque vitiosè effectrici opponitur. Et qualiscunq; sit causa divinæ Christi potentiæ sanguis ejus, dummodo sit, satis est ad id confirmandum, quod dicimus, & ad refutandum Smiglecium. Insidiosè autem Smiglecius loquitur, dum pro causa sine qua non, ponit conditionem sine qua non, & seipsum hoc ipso intricat, dum paulò pòst ineptissimè dicit;causam per modum conditionis sine qua non,non esse propriè causam,sed conditionem causæ.

Causa sine qua non, effectrix est.

Aliud est, causa sine qua non, & conditio sine qua non.

Dum verò iterum dicit,*diversum quid esse peccata expiare,& causam esse potentiæ in Christo, quâ peccata expiet, & hac ratione, resurrectione etiam & ascensione Christi peccata expiata esse, dici posse*,id suprà ab ipso dictũ esse in hoc eodem cap:, & a me refutatum,meminerit lector. Diversa sunt, peccata expiare, & causam esse potestatis, quâ peccata expiantur, si verba spectes: at si rem ipsam consideres, in idem recidunt.Nam quod causa estejus rei,per quam peccata expiantur,hoc est potentiæ divinæ,quomodo non est causa ipsius etiam expiationis?Resurrectione etiam,& ascensione vel exaltationeChristi, dici posse peccata esse expiata; quatenus hoc utrumq; causa Christo extitit istius divinæ potentiæ,nemo non videt. Quòd verò plærumq; id morti Christi tribuitur, id ideo fieri statuendum est,quòd mors Christi ipsius opus sit proprium; quod maximè ejus in nobis servandis amorem declarat;qualia non sunt illius vel resurrectio vel ascensio. Hæc enim Dei virtute facta sunt, & nullam Christi erga nos, sed Dei erga Christum dilectionis indicia sunt. Atq; ex his constare puto,quanta cum injuria nobis obiiciatur,quòd sanguinem Christi sanguini brutorum æqualem censeamus.

Quod est causa potestatis, est etiam causa expiationis.

Cur morti Christi expiatio peccatorum tribuatur potissimùm.

Christum truculenter pro peccatis mactari potuisse, etiamsi sanguis illius pro pecatis non satis fecerit.

Caput IV.

Iam alterum absurdum promit Smiglecius, frustrà scilicet Deum tam dirè & crudeliter trucidari voluisseChristum,nisi pro peccatis eum satisfacere voluisset. Vbi ego primùm gravis calumniæ & perversitatis accuso Smiglecium, qui nunquam ferè, quod res est, sed

semper

semper aliquid aliud dicit. Nam, quæ scriptura apertè dicit, sibi suisq; tantùm tribuit, quasi nos eadem ex animo non recipiamus: quæ verò nos dicimus, non candidè a nobis dici, & id nos verbis affirmare, quod reipsa negemus, causatur, contra omnem & rationem, &, quod maj⁹ est, pietatem. Charitas enim neminem lædit, sed omnia credit. Ecce enim in ipso cap: titulo dicit: *Si sanguis Christi veram vim ad peccata tollenda non haberet, frustra Deus Christum tam crudeliter pro peccatis mactari voluißet.* Hinc colligi debet, si ad rem Smiglecius loquitur, nos statuere, Christi sanguinem veram vim ad peccata tollenda non habuisse. Hoc verò quid falsiùs? Nam vera peccata verè & reipsa Christi morte expiari credimus, & ita veram vim sanguinem Christi ad tollenda peccata habere non possumus non dicere, & nisi id crederemus, actum esset de nostra salute. Itaque non *veram vim* dicendum erat, sed talem vim, quæ Deo satisfaciat pro nobis. Hæc enim est vera illa vis ex mente Smiglecii. Quæ calumnia, toties in hoc capite repetitur, ut numerare eam pigeat. Hæc autem sola, si quid aliud, potest nos a suspicione apud pios & prudentes liberare, quòd scilicet nihil nobis objicere absurdi possit, nisi falsa de nobis dicat Smiglecius. Credimus igitur, ut calumnias cõtraham in fasciculum, sanguinem Christi pretium verum redemtionis fuisse, & ad nos a peccatis redimendos magnam vim habuisse: credimus, non frustrà Christum esse passum & mortuum pro nobis: credimus Deum non nisi per redemtionem & sanguinem Christi, peccata hominibus remittere decrevisse: credimus sanguinem Christi verè peccata sustulisse, & ad eum effectum necessarium fuisse; & alia his similia, quæ in literis s. partim expressè extant, partim ex illis legitimè deducuntur. Negamus autem Christi sanguinem Deo pro peccatis satisfecisse: propter Christi sanguinem, accuratè loquendo, Deum nobis remittere peccata: Christum remissionem peccatorum sanguine suo fuso meruisse, & pretium redemtionis alicui solvisse: Christum nobis Deum sanguine suo reconciliasse & ex offenso placatum reddidisse, & alia his similia. Hæc enim nec in scripturis expressa sunt (quod, si ad salutem sunt necessaria, prorsus requiritur) nec ex illis deduci aut colligi possunt.

Calumnia Smiglecii detegitur.

Confessio de sanguine Christi vera.

Quænam negentur verè a nobis.

Sed nunc rem ipsam aggredior, &, dum Smiglecius dicit, *frustrà Deum tam crudeliter Christum mactari voluiße, si sanguis Christi peccatorum remissionem non meruit, aut pro peccatis Deo non satisfecit,* (hoc enim est Smiglecio, veram vim ad tollenda peccata habere) pessimè illum & ineptissimè argumentari contendo. Dantur enim a-

 liæ cau-

liæ causæ, eæque gravissimæ, ob quas De⁹ pro summa sua benignitate Christum ita mactari voluerit, præter illam a Smiglecio confictâ, s. literis & sa[illegible]e rationi contrariam, multisque modis absurdam,& in Deum tantũ[illegible]n non blasphemam, saluti certè humani generis prorsus perniciosam. Quas causas,quomodo Smiglecius obscurare conetur, deinceps videbimus. Nunc dico,Smiglecium nullo justo modo purgare crimen calumniæ,quod illi objicio, sed illud augere;dum nõ tãtùm idem,quod antè dixit, iterat, sed etiam, cùm verba nostra aliud præ se ferant, quàm ille de nobis affirmare audet, nos verbis dolosè opinionem nostram contegere, reipsa tamen omnem veram vim sanguini Christi auferre,ait. Quæ scilicet illa est Smiglecii audacia,ut in conscientias etiam nostras involet,& non contentus verbis & confessione nostra,animam etiam nostram scrutetur &examinet.

Smiglecium calumniari docetur.

Sed audiamus quomodo tam audacter dicta probare saltem annitatur. Sic igitur ait: *Cùm enim quærimus ab illis, an propter sanguinem Christi remittantur nobis peccata, tam quoad culpam, quàm quoad pœnam, respondent; ex gratia & ex mera Dei liberalitate nobis condonari peccata, ac proinde non propter sanguinẽ Christi, alioquin non gratis remitterentur.* Hanc rationem nostram verissimam & firmissimam esse credimus. Illud verò,quod hîc incipit dicere(nam in Monstris id non dixerat) & sæpe deinde iterat Smiglecius, *proper sanguinem Christi* peccata nobis esse remissa, falsissimũ esse pariter contendimus, quia nuspiam in s. literis tale quid inveniatur, & magnæ impudentiæ Smiglecium accusamus iterum, qui ista tam audacter pronunciare non erubescat. sed hoc penes lectorem esto. Sed quid ex eo,quod nos de causa remissionis peccatorum principali, nempè de Dei gratia, dicimus,infert Smiglecius? *Ex quo,*ait, *sequitur,secundùm istos,ad præcipuum effectum redemtionis nostræ,qui est remissio peccatorum,nullam omninò vim effectricem sanguinem Christi habuiße.* En habes, pie lector, calumniam,vel saltem ignorantiam. Nec enim ex eo,quia non est causa principalis effectrix remissionis peccatorum sanguis Christi, sequitur, eum nullam omnino vim effectricem,ad effectum præcipuum redemtionis nostræ, qui est remissio peccatorum (ut Smiglecius loquitur) habere. Potest enim habere & habet vim effectricem, ut causa minùs principalis, & talis, sine qua gratia illa divina effectum suum sortiri nequit. Et certè firma stante ea sententia, quòd gratia Dei sit causa effectrix principalis remissionis peccatorum, quod non potest non esse verissimum,ut pote toties in s. literis tam disertè expressum, non potest alia ratione sanguis Christi causa esse effectrix remis-

Propter sanguinẽ Christi peccata remitti, nuspiam legi.

Præter causam principalem aliud quid causa effectrix esse potest.

remissionis peccatorum, quàm quòd Deus sine illo salutem perfici noluerit. Iam enim gratia Dei obscuraretur, imò prorsus tolleretur, si aliquid aliud præter gratiam Dei, causa esset effectrix principalis remissionis peccatorum. Parum autem rectè a Smiglecio, remissio peccatorum, redemtionis nostræ effectus appellatur. Hæc enim revera idem sunt, licèt verbis differant. Vnde etiam Paulus, cùm dicit, nos in Christo habere redemtionem, tanquam per appositionem addit, remissionem peccatorum; satis apertè indicans, redemtionem aliud nihil esse, quàm remissionem peccatorum. Effectus sunt hæc duo mortis vel sanguinis Christi, sed non alterum alterius vel causa vel effectus est.

Redemtio & remissio peccatorũ, idem reipsa sunt.

Ephes: 1.
Colos: 1.

Redemtio & remissio peccatorũ, duo sunt effecta sanguinis Christi.

Ex modò dictis refutatio etiam aliorum, quæ otiose sanè hîc disserit Smiglecius, peti potest; quale est, dum ait, *Christi sanguinem intervenire quidem*, quod nos dicimus, *sed non otiosè*. Quasi verò otiosè interveniat, quia non sit causa effectrix principalis vel meritoria, & non dentur aliæ causæ, ob quas necessariò eum Deus intervenire voluerit, & quæ ostendunt, cum maximo fructu nostro eum intervenisse, de quibus paulò post. Nunc videndum est, quid ad causas, cur vim maximam Christi sanguinem ad nos redimendos habere dicimus, respondeat. *Quas dum callidè a nobis commemorari* ait, ipsemet magnam nobis facit injuriam. Nihil enim in religione callidè agendum novimus: & nihil magis cum religione, pugnare quàm calliditatem, persuasum habemus. Ipsa simplicitas ut veritatis ita mentis nostræ, talia nos proferre jubet. Causæ sunt, quòd sanguis Christi vim habeat maximam, nos tum a peccatis redimendos, tum ab æterna morte asserendos, & ipse per se, & potissimùm verò, quatenus Christo causa extitit divinæ potestatis. Hoc quid rectius & rotundius dici potuit? In liberatione enim a peccatis & a morte tota salus nostra consistit. Non acquiescit tamen Smiglecius. *Nec enim de aliis rebus quæstionem hîc præcipuam esse ait, sed de ipsa remissione peccatorum, ut scilicet ea nobis propter sanguinem Christi eveniat.* Quæ quàm ineptè dicantur a Smigl:, dici vix potest. Non enim quæstio præcipua est ea, quam ille fingit; hæc enim illius opinio est: sed quæstio nunc est, an vim veram & magnam sanguini Christi ad nos redimendos nos tribuamus, quod nos negantes per summam calumniam faciebat Smiglecius. Ad hanc quæstionem igitur dirimendam, necesse fuit hæc commemorare. Nam qui sanguinem Christi vim magnam nos & a peccatis & a morte liberandi habere asserit, is falsò traducitur, quòd nullam vim sanguini Christi tribuat ad nos redimendos. Ita se torquet Smiglecius, cum vim veritatis sustinere nequit.

Nõ otiosum illud est, quod necessariò ad effectum intervenit.

Calliditas adversa religioni.

Cur sanguis Christi vim maximam ad expianda peccata habeat.

Fucum

Fucum me facere ait, cum dico, sanguinem Christi maximam vim habere ad nos a peccatis revocandos. Cur verò? *Quia hanc revocationem a peccatis sanguini Christi ea ratione tribuam, quatenus Christus sanguinem suum fundendo, charitatem suam in nos declaravit, & exemplo charitatis suæ nos a peccatis revocat.* Sed, quomodocunque tribuam sanguini Christi vim maximam ad nos a peccatis revocandos, dici non potest aut debet, me nullam illi ad nos redimendos vim tribuere; nisi fortè constet, eam vim, quam tribuo, fictitiam esse. Hoc verò dici non potest. Sic enim Paulus pereleganter hac de re ait: *Charitas Christi coarctat nos, judicare hoc, quoniam, si unus pro omnibus mortuus est, nempe omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus est, ut qui vivunt, non ampliùs sibi ipsis vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est & resuscitatus.* At, ait Smiglecius, *quis non videt, aliud esse, nos exemplo suo a peccatis revocare, aliud, sanguine redimere.* Primùm captiosè verba & terminos mutat. Nam pro exemplo charitatis (ut antea, quamvis parum candidè, dixerat) nunc simpliciter ponit, *exemplo suo.* Quæ verba ita accipi possunt, quasi Christus ideo tantùm mortuus sit, ut nobis exemplum præberet, quomodo nos gerere, & a peccatis abstinere debeamus: cùm tamen non de exemplo Christi qualicunq;, sed de facto illo singularissimo, nempe de morte illius, quatenus testimonium est perfectissimæ tum ipsius Dei, tum ipsius Christi erga nos charitatis, hîc sermo sit; quam tantam charitatem Christi, Paulus causam esse ait efficientem istius a peccatis revocationis talem, quæ illum urserit, & quodammodo vim illi fecerit. Sed Smiglecium ita loqui oportuit, ut causam haberet, exemplum charitatis, quod in morte Christi apparuit, transferendi ad alios, nempe ad Apostolos, & prædicatores pios, qui vivendi exemplo nobis præeunt. Quam ipsius crassam fallaciam puto jam detectam esse. Nec enim de quovis exemplo vitæ nempe sermo est, nec quisquam Apostolorum, aut prædicatorum eo fine mortem subiit, ut charitatem Dei singularem erga nos declararet, quod Christus fecit. Deinde verò patet, verè idem esse, morte Christi, in qua summa illius charitas erga nos apparuit, redimi, & a peccatis revocari. Nam redemtionis nostræ pars est primaria redemtio, vel liberatio a peccatis.

Qui aliquo modo tribuit vim maximam expiandi peccata sanguini Christi, is dici nequit, nullam ei vim tribuere.

2. Cor: 5. 24.

Smiglecius terminos mutat.

Non quodvis exemplum Christi, sed exempli charitatis in morte exhibitum, nos a peccatis revocare.

Redimi & a peccatis revocari, idem esse.

Dolus Smiglecii.

Propono autem hîc iterum dolum Smiglecii. Nam cùm rationes exponere vellet, ob quas ego revocationem a peccatis sanguini Christi tribuo, tantùm eam recensuit, quæ ipsius cavillis obnoxia videbatur; interim verò alteram omisit, quam ego semper commemorare soleo, cum causas explico, quare Christi sanguis nos a peccatis re-

tis revocet. Ea autem est, perfectissima N.F. confirmatio. Ex hac enim consequi liberationem a peccatis, nemo prudens non intelligit, & antea a nobis declaratum est. Vidit scilicet Smiglecius, nihil hic profutura sibi fuisse exempla Apostolorum & prædicatorum. Nemo enim illorum sanguine suo N. F. confirmavit, aut confirmare potuit: Sed horum dolorum nullus est ferè finis in scriptione Smiglecii.

Aliam causam recenset Smiglecius, quâ docemus, magnam, imò maximam suo modo vim ad nos a peccatis redimendos sanguinem Christi habere, quatenus scilicet causa extitit potentiæ divinæ Christi, quâ verè, & a peccato, & a morte liberamur; et iterum me fucum facere, dum ita loquor, ait. Rationem videamus: *Aliud* ait, *est, esse causam potestatis Christi, aliud esse causam remissionis peccatorum.* Hoc verò, an non antea dictum fuerit a Smiglecio, & a nobis refutatum, expendat cordatus lector. Dicam tamen iterum: Rectissimè causam remissionis peccatorum id appellari, quod causa est ejus rei, sine qua peccatorum remissio nulla datur. Cur verò, etiamsi concedam, sanguinem Christi, esse causam potestatis Christi, non concedam tamen, Christum propter sanguinem suum nobis remittere peccata, suprà etiam indicatum est: nempe quòd, propter sanguinem Christi peccata remissa esse nusquam legatur, nec etiam dici id verè possit, stante eo, quòd gratis peccata sint a Deo remissa; nisi vox *propter* causam qualemcunq;, sine qua effectus produci nequit aut non producitur, significet; quod Smiglecio nihil profuturum esset, de quo alibi.

Smiglecius eadem iterat.

Propter sanguinem Christi peccata remitti, nusquam legi, nec si legatur quicquam proficere.

Quod verò ait Smiglecius, *nos Christo potestatem non concedere remittendi peccata, quoad culpam, de quo nunc sermo sit, sed tantùm quoad pœnam, idq; ex catechesi nostra probat*, in eo fallit. Nam in Catechesi nostra apertè dicitur, expiationem peccatorum esse, a pœnis, quæ peccata tum temporariæ, tum æternæ comitantur, & ab ipsis etiam peccatis, ne eis serviamus, liberationem. Si & ab ipsis peccatis liberatio, est etiam expiatio peccatorum, quam Christus præstat, falsum esse constat, nos tantùm, quoad pœnam, Christo remittendi peccata potestatem tribuere. Deinde fallitur etiam Smiglecius, qui distinctionem quandam, inter remissionem culpæ & pœnæ statuit. Nullus enim alius est modus remittendi peccata vel culpam, quàm remittere pœnam. Remissa pœnâ, jam omnis culpa simul sublata est. Si unquam istam suam Theologiam defendere voluerit, cognoscet adhuc rectiùs, quanto in errore cum suis versetur. Non nescimus autem, quid istam distinctionem pepererit, & cur eam Smiglecius defendere cogatur. Vnde tandẽ constare credo, quàm falsò dictum sit a Smiglecio,

Christum potestatem remittendi peccata habere, quoad pœnam & culpam.

Remissio pœnæ, est remissio culpæ.

glecio, *nos nullam sanguini Christi, ad nos redimendos a peccato, sive quoad culpam, sive quoad pœnam, vim tribuere.*

Ista porrò illatio quàm fraudulenta etiam est, *nos nihil Christo debere, quòd nobis peccata quoad culpam* (ut ille ait) *remittantur.* Nam si sine sanguine Christi peccata remitti non debuerunt, nec, Deo ita volente, potuerunt, quis non videt, quantùm Christo debeamus; qui, ut peccata nobis remittantur, ipsemet innocentissimus tàm truculentam mortem subierit? Procidere nos id perpetuò cogit ad Christi thronum, & canticum illud novum canere: Dignus es gloria, & honore, & benedictione, qui occisus es, & redemisti Deo nos in sanguine tuo.

Multùm nos Christo debere, quòd peccata nobis remittantur.

Porrò, cùm pœnas etiam peccatorum, sanguinem Christi non tollere, secundùm nos, eo probat, *quòd eas Deus remittat*, in eodem errore hæret, quem antea indicavi. Licèt enim Deus principaliter peccatorum pœnas remittat: tamen sanguis Christi ad eas remittendas magnam vim habet; quatenus scilicet, & ipse sanguis, vel ipsa mors & eam consecuta divina potentia, perpetuò nos certos reddit de ista Dei voluntate; & quatenus istâ Christi potentiâ, & nunc ad eventum perducitur ista a pœna peccatorũ liberatio, quatenus Christus varias peccati pœnas, quas Deus aliis impiis infligere solet, clementer a nobis avertit, (quod scriptura explicat, dum eum pro nobis interpellare testatur) & olim ad exitum perducetur liberatio a pœna peccatorũ gravissima, quæ est mors æterna. Vnde videre potest Smiglecius, quid Christo restet remittendum, etiamsi ex gratuita Dei voluntate nobis pœna peccati a Deo remittatur. Deus remissionẽ peccatorum, ex gratia obtulit: at eandem, non per se ipsum, sed per Iesum Christum ad exitum perducit & perducet.

Deum principaliter, Christũ nomine Dei nos a peccatis liberare, & liberaturum.

Sed Smiglecius, *ne hoc quidem verè a nobis dici posse*, contendit. Nam inquit, *si sanguine suo obtinuit potestatem, & propter sanguinem fusum eam adeptus est, sequitur eam sanguine suo meruisse.* Hoc quàm falsum sit, capite sequenti docebitur fusiùs. Nunc uno verbo rem expedio. Cùm præter causam meritoriam, aliæ etiam causæ dentur alicujus rei efficientes, ineptè is loquitur, qui propter negatam hanc causam, causam simpliciter negari asserit.

Non omnis causa efficiens, causa est meritoria.

Deinde *non quæri a me*, ait, *an Christus propter passionem obtinuerit potestatem nos a morte liberandi, sed, an propter passionem nos a morte liberet. Scripturam enim non tam potestati absolutæ Christi, quàm morti illius nostram a morte liberationem, tribuere.* Sed hæc cantilena antea

etiam

etiam canebatur aliquoties. Cur igitur ei refutādæ immoremur? Repeto tamen. Propter passionem Christi nos a morte liberari, nusquā legitur: quanquam, etsi legeretur, nihil Smiglecii causam juvaret. An verò ex eo, quia propter passionem Christus gloriâ coronatus est, sequatur, eum id meruisse, postea videbimus. Quanquam hoc nihil ad rem facit prorsus. Non enim nunc, an Christus sibi, sed an nobis meruerit aliquid, quæritur. Deinde si Christus per mortem consecutus est divinam potestatem, ea verò redemptionis nostræ causa futura est, rectissimè dicitur, nos morte Christi liberatos vel liberandos esse. Deniq; non tam potestati divinæ Christi, quàm morti illius tribui, nostram a morte liberationem, insidiosè & falsò dicitur. Nam, dum morti tribuitur, tribuitur ei non simpliciter & absolutè, sed ob consecutam potestatem. Causa verò cur id fiat, suprà indicata est. Tam autem tribui potestati Christi divinæ nostram a morte liberationem, quàm morti, & magis propriè potestati, quàm morti Christi, tum ipsa res loquitur; nemo enim moriendo a morte aliquem liberat; tum sacræ literæ copiosè testantur. Nonné enim Paulus dicit Christum resuscitatum esse propter nostram justificationem, per resurrectionem intelligens totam Christi exaltationem? Sola enim resurrectio justificationis nos participes efficere nullo modo potest. Idem verò esse nostri justificationem, & peccatorum remissionem, antea docuimus. Idem Paulus ostensurus, neminem esse, qui possit damnare electos Dei, mortis quidem etiam mentionem facit, dum ait: *Christus est, qui mortuus est*, sed, non contentus hoc, addit: *Magis verò qui etiam excitatus est*; nec hoc contentus, addit: *qui etiam est in dextra Dei, qui etiam interpellat pro nobis*. Satis innuens, non tam morti, quàm potestati nostram redemtionem ascribendam esse. Imò quod magis est, solam resurrectionem absq; Christi exaltatione consideratam præfert, & longè præfert Christi morti soli per se consideratæ, dum ait: *Magis verò qui est excitatus*. Rursus verò, quia nec ipsa resurrectio sola per se considerata ad nos absolvendos a pœna peccatorum sufficit, expressè addit Christi potentiam divinam, (quæ per existentiā in dextra Dei indicatur) jūctam cum ipsius, quàm nostri gerit cura, (quæ per interpellationē exprimitur) ad id efficiendum requiri. Qui quidem locus unus, instar plurimorum esse potest, unde constet, non tam morti Christi, quàm potestati ejus divinæ nostram a morte liberationem, contrà quàm sentit Smiglecius, tribuendam esse. Dolendum sanè esset, ista tam clara & sanctissima mysteria a tantis viris ignorari, nisi compertas haberemus causas, quare id fiat, & fieri necesse sit.

Repetuntur quædam antea dicta.

Potestati Christi magis propriè tribui nostram redemtionē, quàm morti illius.

Quomodo ad nostram liberationem diversimodè concurrant, Christi mors, resurrectio, potestas & cura nostri.

Quæ addit, *nos a culpis peccatorum sanguine Christi redemtos non*

esse, sed tantùm a pœnis, ea iterum insignem ejus ignorantiam prodit. Nam si sanguine Christi remittuntur pœnæ peccatorum, remittitur etiam culpa. Sed est hîc detegendus insignis dolus Smiglecii. Is enim pro eodem habet, remissionem culpæ & pœnæ, & liberationem vel redemtionem a culpa & pœna, cùm tamen ista multùm differant. Remissio enim culpæ, in remissione pœnæ inclusa est. Nam sublatâ pœnâ, peccatum etiam non imputatur: at in redemtione a pœna nō includitur, sed supponitur, jam ante facta liberatio a culpa. Remissio culpæ & pœnę simul & semel fit, nec alterum altero prius est, aut posterius: Redemtio verò a culpa, antecedit redemtionē a pœna. Nam illa in hoc seculo datur, imò in hoc seculo perficitur: hæc verò non nisi in adventu Christi perficietur. Vtrumq; autem efficit sanguis Christi, tum per se, tum propter consecutam potestatem divinam, quatenus nos tam ipsa mors, quàm eam consecuta potestas divina movet, urget, & quodammodo vim facit nobis, ut a peccatis desistamus. Itaq; agnoscat tandem Smiglecius, quàm dolosè agat, cùm ista nos quasi negantes introducat. Fatemur enim & gloriamur, nos sanguine Christi tam ab ipsis peccatis, quàm a peccatorum pœna redimi, & sanguine ejus ablui. Et hunc utrumq; sensum in verbis Ioannis esse: *Lavit nos a peccatis in sanguine suo*, contendimus, & Smiglecium, qui unum tantùm in illis contineri statuit, negligentiæ in rebus sacris evolvendis arguimus, & tandem concludimus, nullas hic Smiglecium fraudes nostras detegere potuisse: Nos verò ut verbis, sic etiam reipsa summam Christi sanguini ad nos redimendos vim tribuere, licèt eam, quam Smiglecius magnam quidem censet, veram autem esse probare non potest, illi non tribuamus.

Error Smiglecii.

Remissio culpæ vel pœnæ, & redētio a culpa vel pœna, differunt.

Perlocutionem a peccatis, tam peccata ipsa, quàm pœnas illorum significari.

Nunc quod adversùs causas, cur Christus tam dirè mactari potuerit, etiamsi pro nobis Deo non satisfecerit vel aliquid meritus sit, afferat, expendamus. Causa prima est, quòd per talem & tantam Christi passionem & mortem, confirmatio multò efficatior facta sit N. F., quàm erat antea. Major enim Dei charitas erga nos, in Christi tali & tanta afflictione & morte apparuit. Quò autem major charitas sese exeruit, eò etiam certius id esse necesse est, cujus causâ ista tanta charitas exercetur. Quo sanè nihil potest dici rectius, aut sacris literis convenientius.

1. Causa, cur Christum tam diram mortē obire necesse fuerit. Confirmatio N. F. perfectior.

Smiglecius contrà audacter affirmat, *ad sanciendum fœdus non fuisse necesse, sanguinem Christi fundi, sanguinem cujuscunq; animalis sufficere, nihil sanguine filii opus esse.* Hoc verò quid, quęsò, aliud est, quàm contra sacram scripturam pugnare, & suam opinationem oraculis il-

lius

lius opponere? Hæ enim dum sanguinem Christi, sanguinem N.F. appellant, quid aliud dicere volunt, quàm sanguine Christi confirmatum esse novum fœdus, quemadmodum sanguine brutorum, qui sanguis V.F. appellatur, vetus F. confirmatum fuit? Quam verò hic crudelitatem accusat Smiglecius, si Christus tam diram mortem perpessus fuisset absq; satisfactione pro nobis, ea summa est Dei istius φιλανθρωπία, qui, ut benè esset peccatoribus, eum, qui peccatum nō noverat, peccatum fecit, hoc est, ita tractavit ut peccatorem; ideoq; non crudelitas propriè, vel ab omni ratione alienum quid censeri debet, ut ait Smiglecius, sed rigor tantùm quidam appellari potest, quo summo tum jure Deus erga Christum uti potuit, & usus est. Vnum enim innocentem, & præter meritum ipsius affligere, ut multæ hominum myriades lucrifiant, nonné cum ratione conjunctum est maximè, præsertim si penes eum, qui affligit vel affligi curat, sit, ex afflictionibus illum non tantùm eripere, verùm etiam ob id ipsum summo & incomparabili beneficio afficere?

Sanguis Christi, sanguis N. F., ob confirmationem illius per eum factam, dicitur.

Cur Deus rigidè Christum tractare potuerit.

Duo hîc annoto falsò & captiosè a Smiglecio dicta. Vnum est, *quòd V. Fœdus sanguine animalium dedicatum, firmissimum fuerit.* Hoc enim nec in scripturis extat, nec dici potest rectè. Quomodo enim animalium sanguis animos hominum movere potuit, ut de certitudine fœderis cogitarent, ipso fuso? Præterea si fœdus illud fuit firmissimum, ob sanguinis animalium fusionem, quid opus fuisset sub V.F. alias confirmationes quasi perpetuari, & subinde aliis atq; aliis rationibus populo persuaderi, ut firmum fœdus illud haberent? Alterum est, quòd ait, *posito quòd Christus pro salute ac redemtione mundi mori debuit, rectè & sine ulla crudelitatis specie adhiberi ejus sanguinem potuisse ad novum fœdus sanciendum.* Hoc enim vel tacitè calumniam continet, vel certè Smiglecium refutat. Nam & nos confitemur, Christū pro salute ac redemtione mundi mori debuisse: Smiglecius verò ita loquitur, ac si ipse solus ita sentiat. Iam si nulla in eo est crudelitatis species, cur in nostra sententia eam Smiglecius accusat? Expendat quæso, si non Smiglecius, saltem benevolus lector, quòd Smiglecius nihil plausibile dicere possit, nisi nobis detrahat, & se solum id sentire dicat, quod sacræ literæ manifestè testantur, cùm tamen nos non minùs illud sentiamus, atq; ille.

Errores Smiglecii indicantur.

V.F. non fuisse firmissimum sanguine animaliū.

Smiglecius nobis detrahit, quòd tamen confitemur.

Quam alterum causam facit Smiglecius, ea prioris, quasi confirmatio est, ut modo indicavimus: quæ verò adversus eam dicit Smiglecius, jam aliquoties refutata sunt. Quanquam seipsum iterum refutat Smiglecius, & nos calumniatur dum dicit: *Summæ charitatis esse, rem*

2. Ratio.

se, rem omnium maximam, & preciosissimam impendere, ut summum bonum & fœlicitas in nos derivaretur. Idem enim nos planè dicimus. Nam salutis & redemtionis nostræ causâ, quæ est summum bonum, sanguinem Christi impensum esse, ex animo credimus. Itaq; non hoc doceat Smiglecius, quòd ob summi boni in nos derivationem Christi sanguis impensus sit, sed istud summum bonum doceat esse satisfactionem pro peccatis, vel bonum illud summum ad nos sine satisfactione derivari non potuisse. In illo omnes consentimus: in hoc verò dissentimus. Reliqua non persequor. Nam non tam disputandi, quàm discurrendi modo dicuntur, sine omni probatione, *nempe primùm otiosè mortem Christi adhibitam fuiße, si vim ex se non haberet ad satisfaciendum pro peccatis mundi.* Quasi scilicet hic sit unicus vel præcipuus finis mortis Christi, qui nullus est, & quasi eo remoto, alii dari nequeant maximi momenti. Simile huic & illud est, *non charitatem, sed crudelitatem eße & prodigalitatem temerariam, Christum in mortem tradere, si id ex se nullam utilitatem pariturum sit.* Nam si, re aliqua pro aliquo impensa, fructus consequatur, isq; maximus, licèt non ex ipsa re impensa, charitas summa apparet; quæ charitas cum rigore quodam & prodigalitate rationali conjuncta esse potest; imò tantò major erga eum, cujus causâ suscipitur, apparet, quantò plùs rigoris & prodigalitatis ea in se continet. Hinc sacræ scripturæ, quæ semel summam Deo charitatem erga nos in morte Christi exhibitam prædicant, in eadem morte aliquid dirum & immisericorditer factum indicant. Charitas summa fuit erga nos, rigor erga Christum. Non ut Deus per istum rigorem placaretur, (quod statuit Smiglecius:) sed ut nos isto rigore moti & constricti, cum Deo reconciliaremur. Directè enim Deus nostri causa Christum in mortem tradidit, ut suam de salute nostra voluntatem testaretur & confirmaret, non obliquè (ut sentit Smiglecius) quòd priùs voluerit sibi ab eo satisfieri, & tunc demũ peccata nobis condonaverit.

Smiglecius probat, de quo non est controversia.

Discursus Smiglecii refelluntur.

Quo sensu in morte Christi charitatem erga nos, rigorem erga Christum fuisse, dici possit.

Cùm porrò *suum eße*, ait, *non nostrum, charitatem Dei in morte Christi agnoscere*, non disputat ampliùs, sed auram popularem verbis otiosis captat, & nos tacitè calumniatur. Ait enim, *se credere, sanguinẽ Christi, & preciosum eße, & pro redemtione nostra utilissimè impensum, nos verò id negare.* Quod quàm sit ab omni vero alienum, puto constare omnibus. Hoc enim ita credimus, ut Smiglecius: sed causam, cur Smiglecius sanguinem Christi preciosum appellat, & modum, quo redemtionem nostram sanguini Christi tribuit, jurè rejicimus. Sanguinem Christi, vim etiam effectricem ad remittenda peccata habere, supra

Calumniatur Smiglecius graviter.

supra non semel diximus, & causas, cur id dicamus, exposuimus. Videat igitur, quid agat, Smiglecius, &, quomodo Christo rationem istarum calumniarum daturus sit, secum expendat.

Tertiam rationem refutaturus, quam ipsemet facit, dicit *& falsum esse, Christum morte interveniente factum esse dominum & servatorem nostrum, & nibil id concludere*. Falsum esse ait, Christum ante mortem non fuisse perfectè Dominum nostrum; Sed verum id esse, nos in responsione ad 2. de Erroribus Arrianorum Smiglecii librum, prolixè docuimus; &, Christum Dominum & Christum factum esse perfectè post ascensionem demum, ex clarissimis sacrarum literarum testimoniis, demonstravimus. Falsum esse ait, Christum non meruisse potestatem in cœlo & in terra, sed tantùm, interveniente morte, eam consecutum esse. Sed de hoc in cap: sequenti agetur. Nunc, quia locum, quem hîc adducit, ibi non urget, breviter etiam respondeo. Propter passionem mortis, legimus Christum gloriâ, & honore Coronatum: nec tamen sequitur, passionem Christi esse causam illius gloriæ, vel potestatis meritoriam. Ad meritum enim requiritur, ut paritas sit inter præmium & obedientiam: at obedientia Christi nullo modo par censenda est præmio, quod a Deo consecutus est. Hinc Paulus, cùm satis prolixè de obedientia Christi disseruisset, & ideo, nempe ob talem obedientiam, Deum etiam illum superexaltasse dixisset, mox addit ea verba: *Et donavit*, vel, gratis donavit (ut alibi hanc vocem ἐχαρίσατο ipsimet pontificii interpretes transtulerunt) nomē, quod est supra omne nomen. Vbi autem gratia est, ibi merito nullus est locus: & vice versa, ubi meritum, ibi non est gratia, ut Paulus in re simili ait: *Operanti merces non imputatur secundùm gratiam, sed secundùm debitum*. Et alibi: *Si gratiâ, jam non ex operibus, hoc est, non ex merito; alioquin gratia, non jam esset gratia. Si autem ex operibus, jam non est gratia; alioquin opus jam non esset opus*. Itaq; particula *propter*, in alia significatione, præter meritum, ut usurpetur necesse est; quæ est quòd Christus non sine morte assequi gloriam illam potuerit, & morte interveniente eam consecutus sit. Quod eleganter a Socino in libro de Servatore demonstratum fuerat, & exemplis etiam illustratum. Vt cùm dicitur de Apostolis: *Vos mundi estis propter sermonem, quem dixi vobis*, et de aliis fidelibus: *Vicerunt propter sanguinem agni, & propter verbum testimonii*. Vbi nemo non videt, vocem *propter*, non causam meritoriam, sed tantùm talem causam significare, sine qua effectus illi mundationis & victoriæ non sunt producti.

3. Ratio.

Ad meritum requiri parem præmio obedientiam.

Luc: 7. 42.

Rom: 4. 4. & 11. 6.

Vox *propter*, interdum causam sine qua non, significat.

Iohan: 15. 3.

Apoc: 12. 11.

Addidit hic aliquid tertium Smiglecius, quod quomodo ad rem

faciat,

faciat, equidem non video: Roboris autem in se certè nihil habet. Dicit enim, *Christum non alia ratione per mortem factum esse Dominum, nisi quia nos morte sua redemerit.* Et addit in margine; *Christum redemtionis titulo esse Dominum.* Quid verò hinc concluditur? Facile enim ista admitti possunt. Concludit ergo. *Quia Christus nos e captivitate redemit, idcirco jurè per mortem novo quasi jure factus est Dominus.* Sed nec, quomodo ista cohæreant, docuit; nec ita, ut cœperat rem concludit. Ista enim verba, *novo quasi jure*, infarta sunt in conclusionem, quorum nulla in præmissis mentio; & quæ non nisi cum crassa petitionis principii infarciri potuerunt. Supponit enim, Christum antea dominum fuisse veteri jure. Quod quia falsissimum esse, antea probavimus adversus Smiglecium, restat, ut dicamus, Christum, qui antea dominus quidem erat, sed imperfectè, Dominum effectum esse, morte intercedente, perfectissimum.

Christum nō novo jure sed perfecto modo factum esse Dominū per mortem.

Sed jam, rationem meam nihil concludere, ostensurus Smiglecius, iterum mirum in modum obscurè loquitur, & tamen nihil verè concludit ipsemet. Ait enim: *Si quis regni alicujus absolutus esset Dominus, stultè procul dubio facturum, si sine alia necessitate, se mortis periculo exponeret, ut eo quasi nomine efficiatur Dominus; At si urgente regni & subditorum necessitate, se pro illorum salute periculo exponeret, & eos a severitate hostium liberaret, meritò tunc quasi novo titulo liberatoris, novus dominus haberetur.* Primùm argumentatio hujusmodi infirma est, quæ similitudinibus absolvitur. Similitudines enim non tam probant rem, quàm declarant. Deinde, in similitudine etiam eandem fallaciam petitionis principii committit Smiglecius. Nam si Christus, antequam moreretur, Dominus non fuit absolutus, quid huc facit ista ficta similitudo? Præterea quis, nisi mentis inops, regem aliquem novo titulo dominum subditorum suorum fieri, dicat, dum eos a periculo liberat? Beneficium enim in subditos a rege collatum, ut accidens est in domino, sic naturam ejus constituere nullo modo potest.

Argumenta a similitudinibus sumta, non sunt firma.

Beneficiū in subditos a Rege collatum, non facit eum novo titulo regem.

Sed audiamus, quomodo rem suam applicet Smiglecius. *Consimili ergo* ait, *ratione, si Christus morte sua hominibus nihil profuisset, sed otiosè & sine ulla hominum utilitate mortuus fuisset, non fuisset mortis & redemtionis titulo dominus factus, neq; illam tantùm potestatem in nos acquisivisset, nihil enim morte sua in homines contulisset. Ita verò*, pergit Smiglecius, *mortuum volunt Arriani, cùm morti Christi nullam vim efficiendi, sed otiosè tantùm intercedendi tribuunt.* Videsné quid concludat Smiglecius? Nugatur, & calumniatur. Quis enim nescit, quòd Christus,

Nugatur &ca.

stus, si sine ulla utilitate hominũ mortuus fuisset, non factus fuisset Dominus? Quanquam istas nugas repetere tantùm non scelus est. Nos verò Christum ita velle mortuum esse, nempe otiosè & sine ulla utilitate hominum, & nullam vim efficiendi morti Christi tribuere, nihil nisi desperatio & malevolentia effutire jussit: quantâ verò injuriâ afficiamur, omnibus piis & ipsi Deo judicandũ relinquimus. *Iumniatur Smiglecius.*

Ad quartam, quam facit rationem nostram, responsurus, quæ est, quòd Deus ideo tam truculentam mortem Christum experiri voluerit, ut fieret misericors pontifex, & tentatus ipse, aliis etiam, qui tentantur succurrere possit, ait, *eam non eße primariam, sed acceßoriam.* Primariam non esse agnosco: nego tamen esse accessoriam. Nam sine tali morte nos servatum non iri, Deus prædestinârat. Iam, si Christus tantùm mortuus fuisset vulgari modo, quomodo nos ad varias afflictiones & mortem truculentissimam perpetiendam excitari potuissemus, quod tamen Deus requisiturus erat a nobis sub N. F.? Cùm verò videmus, Christum omnia ista dira & truculenta, quæ nobis perferenda sunt, pertulisse: eo fine ita tentatum fuisse, ut disceret obedientiam, ut scriptura loquitur; & nobis, postquam omnium Dominus evasit, potentiâ illâ suâ adesset perpetuò in afflictionibus; rapimur quodammodo & inflammamur, ad contemtum afflictionum & mortis, quo nullus major fructus mortis Christi in hac vita dari potest. Itaque, inter primarias unam, vel a primaria proximam hanc causam mortis tam truculentæ Christi fuisse, jurè statui potest. Quod satis est, ad ostendendum id quod in quæstione est. Nam ut sit sufficiens causa mortis Christi, nullo modo necesse est. Vnde tandem apparet, quàm captiose Smiglecius, hanc rem concludens: causam, propter quam Christus mortuus est, ait esse redemtionem nostram, & liberationem a peccatis, cum Deoque reconciliationem. Vt enim prius in scriptura habetur, & verum est: sic alterum, quia extra & contra scripturam dicitur, falsissimum esse necesse est. Et verum manet, gravissimas Deum habuisse causas, extra istam fictitiam sui reconciliationis, meriti, satisfactionis, solutionis pro nobis, cur Christum non tantùm mori, sed crudelissimè mori; & non tantùm mori, sed etiam ante mortem durissima quæq; perpeti voluerit.

4. Ratio.

Sine quo salus perfici non potuit, accessorium non est.

Causa Christi mortis, ut misericors pontifex fieret, post primariam primaria.

Smiglecius vera falsis miscet.

Christum nobis peccatorum veniam & gratiam non promeruisse, etiamsi ejus rei obtinendæ causâ mortuus sit, ostenditur.

CAPUT V.

Smiglecius eadem repetendo occupatus.

HAc de re & antea in hoc ipso libro,& in alio,(ut ipsemet Smiglecius hîc fatetur)actum fuerat.Quid igitur opus fuit hoc in in loco iterum de eadem agere? Nescio sanè, quid in Smiglecio accusare debeam; an verò causa sit, cur ita dicam, lectori judicandum relinquo. Quanquam verò tractatio hujus rei ad propositum facit minimè. nunc enim de eo quæritur, an Christus *nobis* morte sua aliquid promeruerit; Smiglecius autem disputat de eo, an Christus aliquid sibi meruerit potiùs quàm nobis:tamen rem totam expediam denuo brevissimè. Meriti & satisfactionis Christi nego in sacris literis ullam extare mentionem. Vnde colligo, suspectum valdè esse debere illud dogma. Smiglecius *satis esse*,ait, *si res in sacris literis habeatur*. Ego verò id eatenus tantùm sufficere credo, si dogma illud sit ex numero illorum, quæ ad salutem non necessariò requiruntur. Tunc enim satis est rem exstare,etiamsi verba non extent: at si ex numero rerum ad salutem necessariarum quid censeatur, planè requiri videtur,ut dogma illud expressè scriptum extet.Nam quæ ad salutem necessaria sunt prorsus & absolutè,ea,ut omnes credere,sic etiam intelligere necesse est. Quæ verò non extant expressa, ea per consequentias deducenda sunt, quas non quivis fidelium, ut sunt plerique (ut Paulus loquitur) stulta mūdi, assequitur. Itaq; non inanem querelam meam esse agnoscat Smiglecius, aut saltem, non ex numero rerum ad salutem prorsus necessariarum, concedat esse dogma hoc de merito & satisfactione Christi,& proinde non ita tumultuetur adversus eos, qui in eo diversum sentiunt, ac si religio & salus simul periclitentur.

Quę dogmata re ipsa tantùm in sacris literis extare,sufficiat.

Premitur Smiglecius.

Meritum Christi in sacris literis non extare.

Sed nunc,quomodo rem istam in sacris literis extare doceat,videamus.Priùs autem id repetam,quod alibi etiam diximus,ad totam hanc Smiglecii machinationem demoliendam. Paulus, cùm perfectam Christi obedientiam, (quòd cum in forma Dei & Deo æqualis esset, seipsum exinaniverit, factus in similitudine hominum, & habitu inventus ut homo, humiliarit semetipsum, factus obediens ad mortem, mortem autem crucis,) descripsisset, & præmium etiam, quod ei Deus pro illa obediētia dederat,describere ita cœpisset,*ideo & Deus superexaltavit eum*,mox ea verba addit,*& donavit*(vel gratis donavit)

donavit) *ei nomen quod est supra omne nomen.* Vnde colligo, Paulum in Christi obedientia nullum meritum agnovisse. Vbi enim donatio est gratuita, ibi merito locus non est, & vice versa, ut idem Paulus alibi loquitur.

Iam, cùm Smiglecius ex definitione meriti, meritum Christi probare conatur, dico, eum vitiosam meriti definitionem afferre, cùm ait: *Meritum est opus, cui debetur merces.* Nec enim ista reciprocantur. Datur enim opus, cui merces debeatur, quod meritum non sit, propriè loquendo. Vt cùm pro exiguo labore aliquod magnum præmium promittitur, quod fiere posse ipsa sana ratio, & sacræ literæ testantur. Vt cùm pro fide nostra, quæ certè non est meritum, (opponitur enim operibus vel merito) promittitur vita æterna. Meritum igitur propriè acceptum non est opus, cui merces debetur, sed opus præmio adæquatum. Cùm verò nullum opus detur, quod cùm vita æterna adæquari possit, nullum etiam propriè dictum meritum dari, manifestum est. Intricavit se igitur Smiglecius, dum ex eo, quòd aliquid deberi pro labore vel opere legitur, colligit laboris vel operis illius meritum: Cùm ut ipsemet agnovit, promissio detur, ob quam etiam deberi alicui possit aliquid. Promissio autem illa proponi potest, cum conditione operis valdè imparis præmio. Itaq; verba Pauli: *Operanti merces secundùm debitum,* scilicet datur, accipienda sunt, si promissio accedat. Aliàs enim novimus, quid Christus dixerit, etiamsi omnia fecerimus, quæ præscripta sunt nobis, dicere nos debere, nos servos esse inutiles, quia, quod debebamus, fecerimus. Quæ quàm longè absint a merito, quivis per se intelligit; & certè posset is, qui aliquid propriè meretur, non dicere, se servum esse inutilem, quod tamen ab omnibus dici velle Deum, manifestum est. Et hoc est, quod dicimus, meriti dogma in Deum injurium esse.

Vitiosa Meriti definitio refutatur.

Quid sit Meritum.

Verba Pauli Rō. 4. quomodo intelligenda.

Luc. 17. 10.

Iam quod Smiglecius opponit, *Christum, Deo non tantùm volente sed etiam mandante, imò promittente, in præmium omnibus hominibus remissionem, sanguinem fudiße,* idq; probat verbis Esaiæ, *pro eo quod laboravit, pro eo, quod tradidit in mortem animam suam,* id tantùm evincit, Deum debuisse id Christo, quod ibi commemoratur, quod nemo negat: non docet autem id Deum debuisse, quia Christus id esset meritus. Datur enim alia causa, ob quam Deus debere potuit, nempe promissio. Promissio autem amplissima etiam fieri potest, pro re etiam exigua, & sic merito nullus est locus. Itaque videat Smiglecius, quanta sit facienda ista ejus gloriatio, dum ait, hoc argumentum suum nullis nostris cavillationibus dissolvi posse. Ostensum enim est, in ipsa fallacia, vel errore & ignorantia id fundatum esse. Atque ita

Deberi aliquid alicui, & eundem id meritum esse, differunt.

non est etiam, cur diu in sequentibus refellendis immoremur. Nam semel conceptum errorem & ignorantiam suam Smiglecius pertinaciter tantùm persequitur, ut cùm ait: *non esse injurium in Dei majestatem, mereri aliquid apud Deum, quia non sit injurium in Deum, operari propter mercedē a Deo promissam.* Promissio enim gratiam tacitè supponit, gratia autem excludit meritum.

Objicit deinde sibimetipsi nostro nomine, repugnare, Deum aliquid hominibus debere: nos verò id nunquam dicimus. Nam, Deum debere aliquid hominibus, dici posse credimus, quia necessitatem aliquid dandi sibi ipsi imposuerit: Sed debitum illud negamus supponere meritum. Satis enim est, si Deus id promisit.

Meritum & gratia repugnant.

Iam meritum etiam cum gratia conciliaturus, aliud nihil dicit, quàm quod suprà remissionem cum satisfactione conciliaturus, dixerat, nempe, *gratiam esse respectu nostri, meritum verò respectu Christi,* idque iterum probat verbis Esaiæ: *Pro eo quòd liberavit, quòd tradidit in mortem animam suam.* Sed & terminos mutat, & inepte respondet. Hactenus enim in hoc capite, non de eo, quòd Christus nobis aliquid sit meritus, sed quod simpliciter aliquid sit meritus, vel tantùm sibi, agitur. Præterea si respectu Christi non est gratuita remissio peccatorum, non est simpliciter gratuita, ut eam simpliciter gratuitam esse sacræ literæ testantur. Nec illa vera gratia est, cùm satisfactio accedit, a quocunque tandem præstita, ut antè latiùs docuimus.

Smiglecius idē repetit.

Illud etiam, quòd Christus nobis merita sua non donârit, ipso facto, sed posuerit ea in manu Patris sui, ut ea cui vellet applicaret; quàm sit putidum commentum, vel hinc constat, quòd nullo sacrarum literarum testimonio, aut ratione aliqua hîc confirmetur. Quæ verò suprà ad id comprobandum allata fuerunt, quàm sint a re aliena, ibidem docuimus.

Sed tandem ipsemet Smiglecius ex Socino causam, cur Deus in præmium passionis & mortis Christi peccata remittat, nempe promissionem divinam, exprimit: ita verò ad eam respondet, ut eum rem vel non intelligere, vel datâ operâ veritatem obscurare velle, appareat. Dicit *pugnantia nos loqui. Si enim, ait, Deus pro labore hoc præmium Christo attribuit, jam non gratis, sed ex debito.* Ego verò dico, Smiglecium ad rem non loqui. Non enim docendum erat, ex debito Christo datum aliquid fuisse, sed ex merito. Nam qui dicit, Deum Christo, si laborem in morte subeunda perferret, aliquid promisisse, is etiam dicit, Deum debuisse id Christo dare, si is obedivisset. Meritum autem id esse, eo ipso pariter, licèt tacitè, negat, dum ex promissione id fluere affirmat. Nulla enim tandem opus esset promissione, si dare-

Ex debito dari & ex merito, differunt.

si daretur meritum. Quæ verò repugnantia in eo, quòd aliquid detur gratis, & tamen ex debito esse videtur, ea facillimè tollitur, si dicatur, id, quod promittitur, infinitis planè modis superare eum laborem, qui ab aliquo requiritur. Nam respectu ejus, quod promissum est, in debitum cadit, & pro debito censeri potest: respectu verò ejus, quòd nulla inter præmium & laborem comparatio est, gratis id dari jure dici potest. Quod si, ut debet, ad ipsum etiam Christum accommodetur, rem totam efficiet planissimam. Promiserat Deus Christo, si animam suam poneret, insigne præmium. Iam igitur debuit hoc Christo Deus, vi promissi, etiamsi labor præmio esset inæqualis (quod etiam Smiglecius urget): Rursus verò, quia præmium infinitis modis laborem superans promisit, non meritum, sed gratia Dei jure appellatur. Vnde constat, quo sensu accipiendum sit, cùm in scriptura dicitur, nos in sanguine Christi habere remissionem peccatorum, (nam propter nomen Christi nos eam habere, ut ait Smiglecius, nuspiam legitur, quanquã verè etiam id dici posse crediderim, ut supra docui) vel Christum mortuũ esse, ut nos a peccatis redimeret, nempe Christi morte interveniente factum esse, ut nobis peccata remitterentur, siquidem causa mortis Christi meritoria nulla ostendi potest.

Gratis aliquid & ex debito dari, dici potest diverso respectu.

Smiglecius autem constanter errat, & astutè rem torquet, dum verba, *in sanguine* vel *per sanguinem*, ita accipit & explicat, *Sanguine vel virtute sanguinis Christi peccata remitti.* Differunt enim, in sanguine aliquid fieri, & sanguine. In sanguine enim, loquendi modo Hebraico idem est, quòd per sanguinem. Per sanguinem autem, non est virtute sanguinis. Nam vox *Per* plerunque causam mediam, vel instrumentalem denotat. Et si tamen, sanguine Christi nobis peccata remitti, dicere quis velit, & virtute sanguinis Christi, ea id ratione tantùm dici posset, quod sine sanguine facta non sit, nec fieri potuerit remissio, non verò, quòd sanguis Christi ad remissionem præstandam Deum commoverit aut impulerit? Quo sensu dicitur, nos, jam per fidem, jam fide iustificari, vel accessum ad Deum habere; non quòd fides sit causa impulsiva in Deo nostræ justificationis: sed quia sine fide, (ut scriptura loquitur) impossibile sit Deo placere, modo scilicet tali, ut quis vitam æternam consequatur.

Sanguine & in sanguine aliquid fieri, differunt.

Quomodo & sanguine & per sanguinem Christi remissio facta dici possit.

Rom: 3. 30. & 5. 10.

Objectionem denique nostram format, quòd scilicet Deus antea statuerit hominibus peccata remittere, quàm Christus moreretur, ideoque Christum non fuisse meritum morte sua remissionem peccatorum, & ad eam aliud nihil respondet, *quàm Deum non statuisse id fieri absque sanguine Christi.* Quasi verò nos idem etiam non dicamus, & tamen meritum Christi nullum hinc colligi posse, invictis

Smiglecius idẽ repetit.

 rationibus

rationibus ostendamus. Sed hac de re non est nunc necesse plura dicere. Suprà enim aliquoties hoc ipsum a Smiglecio tractatum fuit, ut mirer, quid tandem in mentem venerit ei, cùm hîc ita format nostram objectionem, ac si nunquam antea vel mentio ejus facta fuisset. Hoc verò lectori expendendum relinquitur.

Christum pœnas peccatorum nostrorum non pertulisse, adeoq; pro illis non satisfecisse, docetur.

CAPUT VI.

Smiglecius idē repetit otiosè.

Hoc argumentum non tantùm antea tractatum a Smiglecio, sed longè uberiùs, quàm nunc jurè me dicere posse, fatebitur is, qui cap: 29. Monstrorum a Smiglecio confictorum, & nostram ad idem responsionem legere dignabitur. Vnde id quod jam dixi sæpiùs, apparet, non dari in defensione hujus dogmatis progressum ulteriorem, & jam non sperandum esse, ut aliquid dicat Smiglecius aliud, sed jam judicium de hac controversia ferendum. Repetam tamen, quia repetere multa cœpi, & hæc: Argumentum nostrum est: Christus pœnas peccatorum nostrorum, non pertulit, quia mortem æternam, quæ erat pœna peccatorum nostrorum non subiit. Ergo nec satis fecit pro nobis. Quod ut clarissimum ita verissimum est & invictissimum, ut statim apparebit. Smiglecius enim nulla alia re, solutionem ejus molitur, quàm dicendo, idque aliquoties repetendo, *ad satisfactionem pro aliquo minimè necessarium esse, eandem prorsus pœnam, ad quam alter condemnatus fuit, sustinere, sed posse eam in aliam dissimilem, æquivalentem tamen commutari, ex consensu judicis & partium.* Sed ne longùm agamus, & de ista pœnarum commutatione, quatenus fieri potest aut solet, nihil nunc dicamus, hoc solùm tenemus, quod ipsemet Smiglecius confitetur esse necessarium ad satisfactionem, ut scilicet, licèt dissimilis, æquivalens tamen pœna ei imponatur, qui pro alio satisfacere debet. At quænam hæc est æquipollentia, si multæ & infinitæ prorsus hominum myriades mortem æternam debeant pro peccatis suis, unus autem tantùm triduanam mortem subeat pro illis? Vertat se hîc, quò velit, & præmium vel valorem nescio qualem excogitet Smiglecius, non efficiet tamen unquam apud sanæ mentis homines, ut credant, hanc esse satisfactionem, quæ nec umbra illius est.

Argumentū contra satisfactionem invictum.

Responsio vanissima.

Nullā esse æquipollentiam inter id, quod Christus fecit, & id quod omnes homines debebant.

Sed nunc sacrarum literarum testimoniis, suam sententiam confirmare aggreditur. Ad quæ nihil aliud respondere debeo, præter ea,

quæ

quæ antea dicta sunt. Iisdem enim Smiglecius antea, & eodem modo abusus fuerat, quibus, & quomodo nunc illis abutitur. Confitemur, Christum verè languores & dolores nostros portasse: negamus autem modum, quo eos, portasse Christum Smiglecius asserit, nempe, quòd Christus pœnas peccatorum nostrorum pertulerit; cùm præter hunc impossibilem, blasphemum, & perniciosum, etiam alii modi portandi peccata alicuius dentur, iique sacris literis convenientes, Deo digni & hominibus salutares; qui sunt, quòd Christus peccatorum nostrorum causâ mortem passus est, non passurus, nisi peccata nostra extitissent; & quòd peccata nostra ipsemet abstulerit, hoc est, aboleverit, siquidem certum sit vocem Portandi, vim asportandi habere in sacris literis. Christus quomodo peccata tulerit.

Smiglecius quid ad hæc? *Longè clarissimum esse ait, Christum peccata nostra portasse, quòd pœnas peccatorum nostrorum passus sit*, idque exemplis sacrarum literarum, ubi phrasis hæc, peccata portare, eam significationem habeat, comprobat. Sed ipsemet infrà contra hæc responsionem nostram attulit, quòd peccata portare alicujus, interdum significet, peccata auferre, ut cùm de Deo dicitur, Exod: 34. 7. quòd peccata portet, qui certè pœnas peccatorum non sustinet, vel de hirco emissario sub V. F., qui peccata populi etiam portasse legitur, nec tamen pœnas peccatorum ullas passus est. Vnde judicet lector, an a scripturis destituar, & inusitatos loquendi modos fingam, ut Smiglecius ait, dum ita eum repello. Peccata ferre, est ea auferre.

Sentiens Smiglecius hac ratione refutatum esse, quod dixerat, aliud fingit, nempe *portare peccata patiendo pro illis, nihil aliud significare, quàm pœnas peccatorum subire*. Sed hoc est ictum declinare, & causam prodere, & locum ex Esaia allatum deserere. Hactenus enim ex sola phrasi, Portare peccata, argumentum ducebatur, & sola hæc phrasis in testimonio Esaiæ habetur. Quam aliam significationem habere posse, præter eam, quam Smiglecius ei affingit, jam ostensum est. Et tacitè sumitur id a Smiglecio, dum ita loquitur, quod est falsissimum, quòd nullus alius sit modus portandi peccata, quàm patiendo pro illis. Hæc est summa, eorum quæ hoc capite tractat Smiglecius. Verba enim non opus est curare quicquam. *Smiglecius ictum declinat.*

Adde, quòd antea etiam dictum fuerat, parum esse si dicatur, Christum pœnas peccatorum tulisse, ad efficiendum quod est in quæstione, cum nimirum pro illis satisfecisse. Nam & is pœnas peccatorum alicujus ferre dici potest, qui ob peccata alicujus affligitur. Affligi autem potest aliquis propter peccata alterius, etiamsi eandem pœnam non subeat, quam alter meruerat, quod Smiglecio probandum est. Eum peccatorum alicujus pœnas portare, qui ob peccata alicujus affligitur.

est. Quo ita explicato, constat, quonam sensu dici possit, Christum peccata nostra in se recepisse,& percussum a Deo,& humiliatum fuisse, & quomodo castigatio pacis nostræ super eum sit.

De loco Petri.

Locum ex Petro iterum etiam adducit, sed eodem modo, quo antea, vitiosè scilicet, ne dicam dolosè. Contendit enim, Apostolum dicere, quòd Christus pertulerit peccata nostra in corpore suo, hoc est, quòd peccata nostra in se & corpus suum receperit, cùm tamen vox, quæ in hoc loco per *pertulit* conversa est; per *abstulit* converti possit. Verba verò, *in corpore suo*, loquendi modo Hebraico valde usitato, idem valeant, quod per corpus suum. Astutè etiam verba ultima Petri, *super lignum*, ad sensum suum obtinendum a præcedentibus separat, & tantùm ex eo, quòd Christus peccata pertulerit in corpore suo, argumentatur, cùm tamen addita illa verba, sensum Smiglecii prorsus refutent. Postulant enim, ut Christus peccata super lignum quasi transtulerit, ut alibi dicitur, eum chirographum sustulisse & cruci affixisse, ita ut sensus sit, Christum per seipsum supra lignum asportasse peccata nostra. Smiglecius *hunc sensum durum esse, & ad mentem Petri nihil facere*, ait. Sed quid duri in eo est, quod est usitatissimum? Quid etiam detrahere potest veritati durus loquendi modus in sacris literis? Mens verò Petri planè invertitur per lectionem, & sensum Smiglecii. Quomodo enim ad patientiam hoc aliquem invitare potest, quòd Christus pœnas peccatorum nostrorum in se& corpus suum recepit, & pro illis patiendo satisfecit? Nonné, contrarium inde patere ipsa docet experientia? At si dicatur, Christum peccata nostra abstulisse per corpus suum super lignum, ut nos mortui peccatis, justitiæ vivamus, ut addit Petrus, quis non videt, hinc firmiter concludi, debere nos patienter etiam Christi causâ adversa quævis perpeti? Nec necesse est, quod ait Smiglecius, ut in his etiam verbis, sicut in præcedentibus, exemplum patientiæ Christi contineatur: sed satis est, argumentum adduci, quod ad patientiam in nobis efficiendam conducat, quale est patientiæ Christi fructus, respectu nostri. Hoc enim plus roboris habet, quàm ipsum Christi exemplum.

Astutia Smiglecii.

Peccata super lignum auferre quid sit.

Col: 3.

Vera interdũ dura sunt.

Cur lectio & sensus Smiglecii in Petri verbis vitiosa sint.

In verbis Petri, non exemplũ patientiæ contineri, sed argumentum.

Tandem cum vocem *Portare*, per auferre exponendam esse apud Mattheum ex Isaia docemus, qui Christum nostros languores portasse dicit, cùm languores & morbos abstulit, verbosè id tantùm dicit Smiglecius, *aliter vocem Portavit accipi, cùm ad peccata, quàm cum ad morbos corporis refertur*. Sed nihil proficit. Nam ista diversa significatio tantùm illius opinione nititur, quæ est, quòd Christus peccata portârit, pœnam illorum luendo. Quod falsum esse hactenus

demonstravi-

demonstravimus. Nam etiamsi dicatur peccata portasse, tanquam percussus a Deo, vulneratus, attritus, castigatus, & lividus ex verbere factus, hoc tamen non infert, cum pœnas peccatorum luisse. Satis enim est, ut id jurè dici possit, si Christus peccatorum nostrorum causâ percussus, vulneratus, attritus, castigatus, & lividus ex verbere sit factus, & ita per istas afflictiones, quas perpessus est nostri causâ, hoc est, illis intervenientibus, non secus abstulerit peccata nostra tum quoad culpam, tum quoad pœnam, quemadmodum morbos corporis ab ægrotis abstulit. Quæ de controversia interpretum, cur Matthæus de morbis corporis verba Esaiæ exposuerit, addit, ea planè otiosa sunt, & nec causam Smiglecii juvant, nec nostræ officiunt quicquam.

Peccata portare tanquam percussum a Deo, etc. nō inferre pœnæ peccatorum luitionem.

Repetit etiam nostram responsionem, quòd, etiamsi Christus pœnas peccatorum pertulisset, hinc tamen non possit satisfactio colligi, cùm Christus non easdem pœnas, quas nos merueramus, passus sit. Sed quia, quæ ad eam refutandam afferuntur, suprà falsa esse demonstratum est, nolo actum agere.

Smigl: idem otiosè repetit.

Sub finem capitis, ipsemet per quandam prolepsin argumenti sui infirmitatem ostendit, dum ait, *se non esse nescium, non omnem eum, cui pœnæ peccatorum infliguntur, satisfacere pro peccatis. Infligi enim & damnatis & malis hominibus, qui tamen pro peccatis satis facere non dicuntur.* Dum verò diversitatem hujus rei in Christo exprimit, sententiam tantùm, eamque falsam dicit. Affirmat enim, Christum sponte recepisse pœnas pro peccatis nostris luendas, idque pacto divino intercedente, & satisfactionem acceptante, quod si figmentum humanum appello, nullam certè Smiglecio injuriam facio.

Smiglecius seipsum refutat,

& sententiam falsam dicit.

Ex eo, quòd Christus propter peccata nostra & pro nobis peccatoribus mortuus est, nullam Christi pro nobis satisfactionem colligi posse, docetur.

CAPUT VII.

CHRISTUM pro peccatis nostris, & propter peccata nostra, & pro nobis mortuum esse, confitemur omnes & gaudemus: at, cum pœnas peccatorum nostrorum in se recepisse, & pro illis Deo satisfecisse, hinc consequi, pernegamus iterum. Videamus igitur denuo, quomodo consequentiæ rationem astruere conetur Smiglecius? *Secundum communem*, ait, *loquendi modum scripturæ, & omnium propter peccata seu pro peccatis pati & mori, nihil aliud est, quàm propter peccata pu-*

Status quæstionis.

ta puniri, ita ut peccata sint causa quasi efficiens talis pœnæ. Ergo cùm Christus propter peccata, vel pro peccatis sit mortuus, consequens est, eum pœnas peccatorum nostrorum in se recepisse, & passum esse. At ego occino illud: Amphora cœpit institui, currente rota cur urceus exit? Nec enim docendum erat, vel peccata nostra causam efficientem fuisse mortis Christi, vel Christum pœnas peccatorum in se recepisse & passum esse. Hoc enim utrumque suo modo verum est. nam si Christus, nisi peccata nostra extitissent, mortuus non fuisset, peccata nostra verè causa efficiens mortis Christi fuerunt; & qui occasione peccatorum alicujus affligitur, is etiam pœnas peccatorum illius in se recidere dici potest: sed docendum erat, Christum universas pœnas peccatorum nostrorum pertulisse, & ita Deo pro illis satisfecisse. Hoc enim in titulo capitis positum erat. Iam verò abundè a nostris demonstratum fuit alibi, posse aliquem puniri vel affligi, ob peccata sive sua sive aliena, nec tamen satisfacere cuiquam, ut Davidem propter adulterium & homicidium punitum fuisse legimus, a quo tamen Deus peccatum istud transtulit, 2. Sam: 12. 13. Imò exemplum a Smiglecio allatum, in quo dicitur, Deum traditurum Israelem propter peccata Ieroboami, qui peccavit, & peccare fecit Israelem, hoc ipsum confirmat. Nec enim Israel pro peccatis Ieroboami satisfecit Deo, sed tantùm occasione peccatorum ipsius punitus fuit, quia scilicet & ipse Israel ad peccandū se abduci passus fuerat a Ieroboamo.

Smiglecii aliud probat, quàm probandū erat.

Puniri ob peccata & satisfacere pro illis, differūt.

Itaque non sine dolo Smiglecius, dum, propter peccata pati, aliud nihil esse ait, quàm ob peccata puniri, addit hæc verba: *Et in compensationē peccatorum*, ut scilicet hoc additamēto, sensum suum quoquomodo suffulciat. Notandum autem hic est, cùm Christum punitum esse dicimus ob peccata nostra, vocem puniendi pro afflictione usurpari, ut etiam vox *judicium*, cùm de fidelibus sermo est, pro sola afflictione sumitur. *Tempus nunc est*, ait D. Petrus, *ut judicium a domo domini incipiat*, cùm tamen nulla alia de re, quàm de afflictionibus loqueretur.

Dolus Smiglecii

Vocem punitionis pro afflictione sumi.

1. Pet: 4. 17.

Ex quibus constat, Smiglecium nihil agere, dum satis multis verbis disserit de significatione vocis *propter*, quòd scilicet & causam finalem & efficientem significet. Iam enim ostensum est, ex eo, quòd peccata nostra causa mortis Christi efficiens fuerint, nullo modo consequi, Christum, patiendo & moriendo pro illis, satisfecisse. Constat etiam, non inutilem esse istam vocis *Propter*, considerationem in sacris literis, (quod grammaticam appellat Smiglecius) quòd causam finalem significet. Nam hoc obtento, nonné argumentum Smiglecii corruit, quod significatione alia vocis *propter* nititur? Data enim duplici,

Vocem propter, causam finalem significare.

plici alicujus vocis significatione, una nihil necessariò concludit. Quanquam & illud nihil est, quod Smiglecius tantopere urget, vocem *propter*, causam efficientem denotare, ut jam diximus. Illud verò sanè puerile est, cùm ait: *Si quis propter peccata etiam tollenda patiatur, aliquid adiici oportebit, quo significetur ille modus loquendi, a communi & usitata sua significatione transferri ad inusitatam & novam.* Nā nec inusitatus est ille loquendi modus, imò valdè tritus & familiaris, vel saltem ad intelligendum facillimus; et si tamen inusitatus esset, satis adjicitur, unde ista significatio confirmari potest, si rationes, quæ id suadent, afferantur.

Sed jam vide, quid otiosè dicat, vel potiùs repetat Smiglecius. Cùm enim negare non posset, perpessionem pœnæ non inferre satisfactionem, eò recurrit, ut dicat, *eam pro peccatis afflictionem, quæ peccatorum tollendorum causâ suscipitur, ex pacto & promissione divina, verissimam rationem satisfactionis habere.* Hoc verò, quia simpliciter tantùm & nudè affirmat, contemni jure potest. Nec enim, ut Smiglecius sentit, Christus sponte sua aliquid in se recepit, & id Deo obtulit, & a Deo acceptatum est; adeoque nullum pactum inter Deum & Christum intercessit tale, quale somniat Smiglecius: sed Deus est, qui Christo præcepit, ut nostri causâ moreretur, &, si id faceret, promisit, se id ei daturum, ut nos servare possit, ut suprà indicavimus.

Nihil Christum Deo sponte sua pro nobis obtulisse, sed Deum id Christo, quod fecit, injunxisse.

Iam quæ vis est vocis *propter*, ea etiam est vocis *Pro*, cùm dicitur, Christum pro peccatis mortuum esse. Nam ut is, qui occasione peccatorum, vel ad tollenda ea moritur, propter peccata mori dicitur, sic etiam pro peccatis mori dici potest. Et miror sanè, Smiglecium aliud nihil agere denuo, quàm ostendere, vocem *Pro*, significare causam efficientem. cùm hoc ad rem, quæ in quæstione est, probandam minimè sufficiat. Non enim nunc de causa efficiente mortis Christi, sed de effectu ejus potissimùm sermo est; & investigatur, quid Christus morte sua revera effecerit, non verò quid Christi mortis causa fuerit.

Voces *pro* & *propter* idem significare in hoc negotio.

Non quid Christus morte sua effecerit, sed quid causa Christi mortis fuerit, quæri.

Denique quàm sit vanū, quod in voce *Pro*, vel phrasi, *Pro nobis pati*, ponitur præsidium, vel hinc constat, quod modo diximus de phrasi, *Pro peccatis mori*. Vt enim, Pro peccatis mori, nō significat, vice peccatorum mori, sed tantùm Propter peccata: sic etiam *Pro nobis* Christum mortuum esse, aliud nihil significare dici potest, quàm eum propter nos mortuum esse, propter nos, inquam, & pro nobis, ut nos summo beneficio afficeret. quod beneficiū est, ut salutē æternā, quam hominibus revelârat, amplecteremur & consequeremur.

Ita Christum pro nobis mortuū esse, ut pro peccatis nostris.

Nihil autem facit Smiglecius, dum ait; *cùm quis pro alio moritur, tanquam*

tanquam peccatore & scelerato, is eo sensu dicitur pro alio mori, quia pro peccatis ejus moritur, & pœnas peccatorum illius luit. Præterquam enim, quòd id nulla ratione probat, vis argumenti non est in eo, quòd quis pro scelerato moritur, sed quòd simpliciter pro aliquo moritur. Iam quòd loco ejus, quod interdum dicitur, Christū pro nobis mortuum esse, alibi dicitur, eum pro peccatoribus mortuum esse, id quidem ad rem exaggerandam facit. Plus enim est pro peccatore, quàm pro homine mori: interim tamen aliam significationem phrasis istius, *mori pro aliquo*, non inducit. Quanquam ratione multò sublimiore de Christo dici, eum esse mortuum pro nobis, quàm dicatur, nos pro aliis mori, vel Apostolum pro aliis passum fuisse, a nostris demonstratum est alibi fusissimè. Nec enim fideles ideo aliquid patiuntur, vel passi sunt, ut beneficio alios afficerent, quamvis dum prodesse aliis curant, mortem & afflictiones incurrant, & pro nihilo ducant: Christus autem non modò, dum nobis prodesse studet, mortem subiit, sed in eum ipsum finem sponte sua mortuus est, ut nos summis morte sua beneficiis afficeret, nempe vitâ æternâ. Quod de nemine nostrum dici potest.

Pati pro peccatore, rem tantùm exaggerat, sed vim phrasis non immutat.

Aliter Christum pro nobis, & homines pro hominibus pati.

Injicit hîc iterum aliquid, suo more, Smiglecius, quod quomodo ex re fluat, equidem non video: interim tamen quia verissimum est, paucis verbis defendam. Dixeram, Christum non solùm patiendo peccata tollere, sed annunciando Evangelium, & potestate sua divina. Hoc alterum Smiglecius intactum hîc relinquit, quod tamen tanti momenti est, ut vel solum totam hanc Smiglecii molitionem funditus evertere queat. Nam si Christus ipsemet potestatem habet divinam, quâ peccata remittere potest, & porrò remittit, quis non videt, nullo modo necesse esse, ut alicui pro peccatis satisfaciat? Priùs verò ita sugillat Smiglecius: *Annunciatio Evangelii non remittit peccata, sed indicat Christum, cujus sanguine & morte nobis obtenta est remißio peccatorum.* At ego non ita dico annunciationem Evangelii peccata remittere: (uti ineptissimè & insidiosissimè loquitur Smiglecius) sed dico, Christum hoc etiam modo, quòd Evangelium annunciavit, peccata hominum abstulisse dici posse. Nam qui peccatorum remissionem alicui offert Dei nomine, si resipiscat, is eo sensu peccata tollere dici jurè potest, quo is, qui alios docet, servare alios dicitur, ut suprà docuimus.

Smiglecius omittit, quæ refutare nequit.

Christum peccata ipsummet remittere, & pro eis satisfacere, contraria sunt.

Quomodo annunciando Evangelium peccata tollantur.

Itaque meri cavilli sunt, cùm ait Smiglecius, *Evangelium per se non remittere peccatum, sed solùm docere modum remißionis.* Cùm verò, nescio quo fine, addit, *per fidem non quamcunque nobis peccata remitti, sed per eam duntaxat, quâ credimus, Christum sanguine suo nobis obtinuisse remis-*

Cavillus, error & fallacia Smiglecii.

isse remissionem peccatorum, cum cavillo errorem etiam crassum conjunxit: & rursus, dum rationem addit, *Deum etiam nobis gratiam tribuere, propter sanguinem Christi & mortem*, errorem auxit fallaciâ. Nec enim propter sanguinem Christi, quasi scilicet ille hoc meruerit, Deus gratiam suam nobis tribuit, sed in sanguine, vel per sanguinē Christi, hoc est, interveniente Christi sanguine, per ipsum Christum.

Tandem duos sacræ scripturæ locos urget Smiglecius ad rem suam obtinendam. Prior est, in quo dicitur, quòd Deus eum, qui peccatum non noverat, peccatum fecit. Peccatum hoc in loco non significare hostiam pro peccato, quod alibi fieri contendit Smiglecius, vel hinc apparet, quòd ita Christus peccatum factus dicatur, ut nos justitia Dei facti dicimur. Hæc enim invicem ibi opponuntur: *Eum qui peccatum non noverat, peccatum fecit, ut nos fieremus justitia Dei in ipso*. At nos justitia Dei alia ratione nec sumus, nec fieri possumus, nisi quòd ita tractari a Deo debeamus, ut justi, cùm tamen tales reipsa non fuerimus. Constat igitur Christum etiam ea ratione peccatum factum esse dici, quia non aliter a Deo tractatus fuerit, ac si esset peccator, quæ res verbis illis emphaticis, facere peccatum, fieri justitiam, vividè exprimitur. Iam porrò ex eo, quòd Christus ut peccator tractatus fuit, negamus consequi, Christum pro nobis satisfecisse, vel easdem pœnas, quas nos perferre debebamus, pertulisse. Hæc enim est satisfactio vera. Nam si aliquid eorum quod peccatis debetur, pertulit, pœnas etiam peccatorum pertulisse dici potest: ita ut Smiglecius tantùm tergiversari semper videatur, quoties pro eo, quod dicendum illi erat, Christum pro nobis satisfecisse, aliud quid substituit, quod alium sensum magis sobrium, adeoq; suo modo verum, suppeditare potest. Nam nemo est, qui neget, Christum pœnas, nempe quasdam, quæ peccatoribus debebantur, pertulisse pro nobis; & illud mirabile, unâ cum Smiglecio & omnibus Christianis, nos omnes agnoscimus, quòd ei, qui peccatum non noverat, pœnæ, quæ peccatoribus debebantur, sunt inflictæ; licèt eadem pœna, quæ peccatoribus debebatur, vel etiam æquivalens, ut ait Smiglecius, inflicta non fuerit, nec infligi potuerit. Sic enim Christo in æternum moriendum fuisset. Et frustra antithesin urget Smiglecius. Perelegans enim illa est, etiamsi Christus non easdem prorsus pœnas, quæ peccatoribus debebantur, passus sit; dummodo tales pœnas, quales peccatoribus debentur, passus sit, quod dici de Christo sano loquendi modo jam ante docuim', si scilicet pœnæ pro afflictionibus accipiantur.

Quod idem etiam de loco altero intelligendum est. Nec enim Paulus dicit, Christum, qui nos redemit de maledictione legis, factū

De loco 2. Cor: 5.

Peccatum fieri, non esse fieri hostiam pro peccato.

Pecatum fieri, esse tractari ut peccatorem.

Smigl: semper tergiversatur.

Pœna, quæ peccatoribus debetur, Christo infligi potuit & inflicta est, sed nec eadē, nec æquipollens ei quæ peccatoribus debebatur.

Gal: 3.

Christus, factus, est pro hominib⁹ maledictio, sed nō ea, quæ peccatoribus destinata erat.

esse pro nobis eandem maledictionem, hoc est eandem meledictionē subiisse, quam lex minabatur sui transgressorib⁹: sed figura, quàm ἀντανάκλασιν vocant, usus, concinnè & argutè dicere voluit, Christum, ut a perfecta maledictione nos redimeret, maledictionem imperfectam subiisse, quæ erat, suspensio in ligno. Ad satisfactionem autem constituendam necessarium est, eandem maledictionem sustinere, quæ peccatoribus debebatur.

Smiglecius seipsum refutat.

Smiglecius hoc de loco disserens, valde ineptè se gerit. Docet enim, *maledictionem legis, non tantùm esse pœnam æternam, sed etiam temporalem execrationem apud homines, ideoque Christum, quia talem pœnam temporalem susceperit, factum esse execrationem.* Nonné enim id dicit, quod nos dicimus, & ita seipsum evertit? Nam eandem maledictionem, quam potissimùm lex tonabat, nempe pœnam æternam subeundam Christo fuisse, si satisfactio inde stabiliri debeat, clarius est, quàm ut probatione egeat. Istud enim commentum, de commutatione pœnæ in pœnam, jam explosum est; tum quòd de ea nihil in sacris literis constet; tum etiam quòd commutatio talis, qualem fingit Smiglecius, non sit facta. Nec enim æquivalentem pœnæ æternæ subiit Christus, si quidem temporaria fuit. Promiserat Smiglecius suprà, se infrà demonstraturum, *pœnam quam Christus subiit, esse æquivalentē ei, quam nos subire debebamus*, id hoc in loco præstare eum velle video: sed revera ineptissimè. Nam, *pœnam, a Christo susceptam maximi fuisse valoris, atque ideo sufficientem ad peccata nostra tollenda, scripturam passim testari*, timidè affirmat, eò quod *sanguis Christi preciosus, magni precii, ἀντίλυτρον nominetur, & majorem vim habuisse dicatur ad emundandas conscientias a peccatis, quàm sanguinem animalium ad emundandas immunditias carnis.* Nec enim ex eo, quòd Christi sanguis preciosus appellatur, sequitur, eum esse maximi valoris; cùm ejus vocis alia significatio dari possit, ut suprà indicavimus. Nam, promissa etiam a Deo nobis data pretiosa appellantur, non quòd sint maximi valoris, ad aliquid apud aliquem per ea efficiendū, sed quòd sint non aliquid corruptibile vel temporarium, sed æternum. Pretium verò, vel ἀντίλυτρον sanguis Christi appellatur, non propriè. Nemini enim pro nobis datus est, nec dari potuit; sed propter similitudinem, quæ est inter effectum pretii propriè accepti, & sanguinem Christi. Et etiamsi sanguis Christi maximi esset valoris, & sufficiens dici possit ad tollenda nostra peccata, & majorem vim habeat ad conscientias nostras a peccatis emundandas, quàm sanguis animalium ad emundandas immundicitias carnis: hinc tamen colligi non potest, Christum æquivalentem æternæ morti pœnam passum esse,

Commutatio pœnæ in negotio salutis nulla est.

Christum æquipollentem æternę morti pœnā subiisse, probari nequit.

Pretiosum esse, non est esse maximi valoris.

2. Pet: 1.3.

Cur sanguis Christi ἀντίλυτρον dicatur.

quod probandum & concludendum erat. Nam absque hoc fine absurdo, impossibili suo modo, blasphemo, & pernicioso, jam suprà a nobis demonstratum est, id totum de Christi sanguine dici posse. Christo enim, Deo sic volente, causa extitit divinæ potentiæ, quâ potissimùm peccata nostra tolluntur, & conscientiæ purgantur a peccatis.

Cur sanguis Christi maximi valoris esse dici possit, etiamsi non satisfecerit.

Christum, sacrificio suo pro peccatis hominum Deo non satisfecisse, demonstratur.

Caput VIII.

Notaveram antea in hoc tractatu duos Smiglecii errores. Unum, quòd loco, satisfactionis, expiationem; alterum verò, quòd loco Christi mortis, sacrificium ejus supposuisset. Priorem Smiglecius tacendo deseruit, præstitisset autem confitendo: Alterum hoc capite prolixè tueri conatur. Quanquam verò nihil diversum aut novum ab iis dicat, quæ semel antea dicta erant: provocati tamen, non possumus non iterum hominis errores ostendere. Primùm igitur argumentum suum repetit, cujus summa est: *Sacrificium pro peccatis oblatum, si perfectum sit & sufficiens, vim habet ad satis faciendum pro peccatis. Perfectio autem est, si res oblata sit maximi valoris, & si cum cruciatibus offeratur. Tale est sacrificium Christi.* Ab hoc suo argumento dicit Smiglecius me nunquam expedire me potuisse, cùm ad illud dissolvendum absurda & blasphema confingere sim coactus. Ego verò dico, nihil isto argumento futiliùs & falsiùs esse; & quia fundatum est in crassissimis erroribus, detegi eos ante oportuit. Hoc verò dum fit, absurda dici queritur Smiglecius: sed frustra. Ostendemus enim ad oculum, ea omnia, quæ ad dissolvendum illud allata fuêre, ipsissimam esse Evangelii veritatem. Nunc hoc etiam præmitto, injuriâ Smiglecium conqueri, quòd me ab argumento isto ipsius expedire non potuerim. Nam argumentum hoc antea non ita formatum fuerat, ut nunc est; quod quivis, si Monstra Smiglecii inspicere voluerit, unâ mecum confitebitur. In argumento autem, ut nunc est reformatum, dico triplicem inesse defectum. Unus est, quòd compensatio sacrificiis, tribuatur, quam tamē nullam in eis agnoscit scriptura. Alter est, quòd sacrificium Christi pro morte illius sumitur, cùm tamen reipsa sint diversa. Nam mors Christi in terra peracta est, sacrificium autem ejus in cœlo peragitur. In cœlo autem satisfactioni non est locus. Tertius est, quòd, etiamsi mors pro sacrificio Christi acccipiatur, doceri

Smiglecius omittit, quæ defendere nequit.

Vana Smiglecii gloriatio.

Errores Smiglecii.

Compensatio in sacrificiis nulla.

Christi sacrificium non est ejus mors.

doceri non possit, tantam per eam factam esse compensationem, quanta fuit injuria illata. Injuria enim illata, ex decreto Dei, tanta fuit, ut pœnam æternam mereretur: At compensatio, quam morte Christi factam esse credit Smiglecius, prorsus temporaria est.

Per mortem Christi non potuisse fieri compensationem injuriæ.

Smiglecius, qui antea simpliciter primum horum affirmârat, monitus a me, nunc illud probare quidem velle videtur, interim verò nihil prorsus affert præter verba. Ait enim: *Quis non videt, cùm reus sceleris offert dona aliqua ei, quem offendit, eum dona illa in compensationem sceleris sui offerre?* Dico ego, illum hoc non videre, qui considerat, quàm multa dona sub V.F. Deo oblata fuerint, nec tamen ullum eorum in compensationem peccati oblatum fuisse sacris literis proditum legit: & qui expendit etiam, quòd Smiglecius, qui ista tam audacter affirmat, nullo sacrarum literarum testimonio, vel ex eo petita aliqua ratione comprobârit. Quanquam captiosè iterum suo more perpetuò loquitur Smiglecius. Aliud enim est, dona ab aliquo offerri in compensationem injuriæ, & per dona compensationem injuriæ fieri. Quis enim nescit, multas tales esse injurias, quę nullo modo compensari possint? Poterunt igitur in compensationem offerri, nec tamen esse ipsa compensatio, quia scilicet imparia sint dona injuriæ illatæ. Quæ dum ego constanter affirmo, & compensationem vel satisfactionem per sacrificium vel dona nullam dari contendo, Smigleci: non sine fastu, me & hæreticum hominem appellat, & nec me ipsum, nec pontificios intelligere asserit. Sed istud Smigle: de me judicium, non possum non flocci pendere, ut pote ab hæretico, & duce hæreticorum profectum. Nulli enim inter omnes Christianos longiùs recesseruut, ab Apostolorum doctrina & moribus, atque Pontificii. Me verò meipsum non intelligere, temeraria prorsus est criminatio: me denique, quid Pontificii dicant de satisfactione, non intelligere, ineptè prorsus dicitur. tum quia res sit non valdè difficilis, quæ nunc agitur, & in qua ego Pontificiis errorem objicio; tum quòd ipsemet Smiglecius, infrà sententiam Pontificiorum de satisfactione non aliter explicat, atque ego explicaveram. *Christi satisfactionem esse communissimum omnium Christianorum, qui nunc sunt, dogma,* non evincit ullam ejus veritatem. Nam & alia non pauca communissima omnium Christianorum dogmata seculo præterito fuêre, quæ tamen nunc a potiori Europei orbis parte pro erroneis habentur; &, *Pontificios solos olim fuisse Christianos*, nimis gloriabundè dicitur. Quæ verò de satisfactione hominum addit Smiglecius, ea certè dogma Pontificiorum esse, non ibit inficias. Nemo enim præter illos statuit, *remissâ culpâ & pœnâ æternâ, manere in justis pœnas peccatorum temporales*

Dona non offerri in compensationem sceleris.

Aliquid in compensationem injuriæ offerri, & per illud compẽsationem fieri, differunt.

Fastus Smiglecii retunditur.

Pontificii hæreticorum maximi.

Vana Smiglecii dicta.

Dogma Pontificiorum ineptũ.

temporales, quas sæpe ab ipsis exigat Deus; & idcirco per pœnas temporales, justos satisfacere pro pœnis temporalibus peccatis debitis. Quanquam enim interdum Deus pœnas temporales eis infligat, quibus peccata sunt remissa: tamen hoc totum a pura Dei voluntate pendet, qui quando vult, remittere pœnas etiam temporales potest; &, si tamen aliquando ob peccata hominibus pœnæ temporales infliguntur, pro pœnis temporalibus peccatis debitis eas satisfacere, valde absurdè & impudenter dicitur. Idq; vel ex eo constat, quòd, quæ hîc verbosè dicit Smiglecius, nulla sacrarum literarum autoritate stabilierit. Nam quòd ait: *Pœnam temporalem, aliâ pœnâ temporali compensari, non esse rem tantam, ut facultatem humanam superet, neq; divinam gratiam, in justis adeò in efficacem, ut ne ad modicam quidem pœnam compensandam sufficiat*, hoc est, incertum per incertum probare, vel potiùs aniliter nugari. Tam enim hoc, quàm illud negari jurè potest; imò objici debet, non intelligere Smiglecium quid dicat, dum ait: *pœnam temporalem alia pœna temporali posse compensari.* Nam si Deus ipse justis pœnas temporales infligat, remissis pœnis æternis, non est opus aliam pœnam temporalem subire justos, quâ compensent pœnam temporalem, ut ait Smiglecius: sed satis est, eos pœnam istam temporalem a Deo immissam perpeti, & hac ratione (loquor nunc ex mente Smiglecii) Deo satisfacere. Si verò ipsimet homines pœnam temporalem subeant, pro compensatione pœnæ temporalis, quam Deus immittere poterat vel debebat, quæ sententia Pontificiorum est, quid hoc est aliud, quàm ipsa stupiditas vel potiùs superstitio? Ferendæ sunt pœnæ temporales, si De⁹ illas infligat: non fingendæ autem pœnæ temporales aliæ, pro pœnis temporalibus, quas Deus in justis sibi reservare videtur.

Neminem pro peccatis satisfacere pœnis temporalibus.

Smigl: nugatur.

Quod ad exemplum Davidis attinet, cui translato peccato, pœna temporalis fuit proposita, pro peccato luenda, id pro exemplo singulari & raro censendum est; & proinde ad id, quod communiter in omnibus fieri credit Smiglecius, pertrahi non debet? Potuit enim Deus in tanto propheta & rege, tanti facinoris exemplum statuere, quod in aliis justis; nec facere solebat, nec facturum se, prædixit. Et habet hîc illud etiam locum, quòd non exemplis, sed legibus sit judicandum; hoc est, non id spectandum esse, quod Deus interdum faciat, sed quid se facturum revelârit. Iam verò nuspiam scriptum legimus, in iis, quibus Deus peccata remisit, manere pœnas temporales, pro quibus satisfacere justos Deo oporteat: sed si justis pœnæ temporales infligantur, id alia de causa fieri omnino statuendum est. Adde, quòd exemplum Davidis huc adduci non debuerit, ut pote petitum

Exempla singularia pro regula non sunt habenda.

Nõ manere in justis pœnas temporales.

Cur David puniri potuerit, remisso peccato: hodie verò puniri nequeant, quibus peccata remittũtur.

tum ex V.F., in quo longè alia ratio erat remiſſionis peccatorũ, quàm nunc eſt. Nam cùm ibi mors eſſet propoſita peccatoribus, remiſſio verò peccatorum nulla, quantumvis peccatum ſuum deplorarent & reſipiſcere vellent: ſed totum hoc pendebat ex Dei pura voluntate & gratiâ, extra fœdus; nemo non videt, remiſsâ iſtâ pœnâ graviſſimâ, quam lex proponebat, potuiſſe mitiorem jure infligi Davidi. At hodie ſub N.F. quia remiſſio peccatorum omnibus peccatoribus, ſi modò reſipiſcant, quod in eorum eſt poteſtate, propoſita eſt, nulla ratione dici poteſt, manere in juſtis pœnas temporales, pro peccatis præteritis luendas. Remiſſionem enim peccatorum, eamque fœdere incluſam proponere, & pœnas tamen quaſdam reſervare, contraria ſunt, adeoq; Deo prorſus indigna. Sed (ut veritatis enucleandæ cauſâ hoc nunc addã) id ideo fieri dici poteſt, quòd homines, poſteaquam illis remiſſio peccatorum oblata eſt, quaſdam reliquias non quidem habitus peccati, ſed tamen ipſius peccati in ſeſe retinent. Hæc quia Deus non vult pœnâ æternâ vindicare, pœna temporali vindicare poteſt: eo fine, ne homines juſti in iſtis peccatorum reliquiis ſibi indulgeant; ne ita cum mundo pereant, ſed ad frugem redeant; vel ſemetipſos judicent, ut Paulus loquitur. Vnde conſtat, non manere in juſtis pœnas peccatorum temporales, ſed ab iis, qui ſemel juſti facti erant, pœnas illas propriâ illorum culpâ accerſiri; nec ſatisfacere juſtos pro illis pœnis alia pœna temporali, (ut nugatur Smiglecius) ſed correctione iſtorum lapſuum, avertere a ſe iſtas pœnas temporales. Quæ quàm bene cum ſacris literis conveniant, puto quemvis cordatum perſpicere.

Cur hodie puniantur, quibus peccata remittuntur

Deinde Smiglecius mortem Chriſti ſacrificium illius eſſe, probaſſe ſe ait potentiſſimè in 2. ſuo de Arianorum erroribus libro, cap: 11. & ſequentibus. Itaque eo etiam lectorem noſtrum remittimus. Vbi etiam demonſtratum eſt, quòd cum ſcriptura de Chriſto ſacerdote & ejus ſacrificio loquitur, id totum fiat loquendi modis non propriis, ſed figuratis. Quod ſuo more Smiglecius cavillatur, dum ait, *me non verè Chriſtum ſacerdotem, & ejus ſacerdotium agnoſcere.* Nam non minùs illa vera ſunt, quæ impropriis, quàm quæ propriis verbis deſcribuntur; cùm potiſſimam partem ſacrarum literarum improprietate locutionum gaudere videamus.

Addit porrò quædam ad rem ſuam ſtabiliendam & noſtram elevendam, quæ breviter examinabimus. Sic igitur ait: *Cùm ſacrificium Chriſti conſtitutum velint in illa interpellatione, & aſſiſtentia vultui Dei pro nobis, ſeu in illa cura interpellandi, quis non videt, majori ratione ſanguinis effuſionem pro nobis, dicendum etiam ſacrificium; niſi forte minor*

illa cura censenda sit, quæ illi proprio sanguine constitit, quàm ea, cum pro nobis interpellat. At hoc totum errore crasso implicatum est. Nam Christi pro nobis apud Deum interpellationem, pro propriè accepta interpellatione, quæ fit per precum pro aliquo fusionem; & assistentiam vultui Dei pro nobis, pro otiosa quadam ejusdem coram Deo mansione, accipit Smiglecius. Quo nihil insulsius dici potest. Hac enim ratione omnis potestas divina Christo adimitur, quod est Christum negare. Ex mente autem sacrarum literarum, per istam interpellationem & assistentiam Christi vultui Dei pro nobis, aliud nihil significatur, quàm summa illa Christi potestas, vel potiùs divinæ illius potestatis quædam qualitas, quòd scilicet data ei sit a Deo, quâ nos perpetuo servare potest, & vult. Iam isto modo accepta voce interpellationis, constat, quantò præstet ista cura ei, quam moriendo Christus exeruit. Præstat enim, me ab aliquo regi & servari, quàm ejus sanguinem pro me fundi. Quanquam non sine captione dicitur, Christum curam nostri gessisse, cùm fuit mortuus. Tunc enim curam nostri reipsa gerere ad tempus desiit, & illud præparavit, quo interveniente curam nostri gesturus erat.

Quomodo Christi interpellatio majorē nostri curā indicet, quàm mors illius.

Deinde cùm absurdum esse docere vult, quòd negem, in scriptura legi de oblatione corporis & sanguinis Christi, ita se intricavit iterum, ut, a veritate eum destitutum in hac re prorsus, & quid a me dicatur, parum perpendere, ad oculum appareat. Quærit enim, *Nonne sicut corpus Christi pro nobis traditum legitur, ita & sanguis ejus fusus Luc: 22. 16. 20.* Sed aliud est traditio Christi corporis, & fusio ejus sanguinis, quàm ejus sacrificium, expiatorium scilicet, de quo in Epistola ad Heb: agitur, & de quo nunc est quæstio. Nam & aliorum præter Christum, corpora tradi & sanguis eorum fundi potest, nec tamen id sacrificium expiatorium nemo appellaverit. Atque ita etiam responsum est ad id, quod iterum quærit, *si caro hircorum & vitulorum pro peccatis mactata, & sanguis eorum pro peccatis fusus, erat oblatio vera, cur non itidem caro & sanguis Christi?* Miscet enim sacrificia vulgaria cum illis anniversariis & solemnibus, quorum sanguinem in sancta inferri oportuit, ad conficiendum vel complendum sacrificium. Nam istæ quotidianæ pecudum mactationes, quæ extra sancta fiebant, non sacrificii Iesu Christi figura erant, sed hostiarum quotidianarum, hoc est, rectè factorum, tum omnium fidelium sub N. F.; tum etiam ipsius Christi, inter quæ numeranda est ipsius potissimùm mors. Hæc enim fuit actio Christi voluntaria, adeoque Deo mirum in modum accepta. Qua de causa etiam Paulus istam Christi in mortem traditionem spontaneam, hostiam & oblationem Deo in odo-

Smiglecius intricatus.

Corporis & sanguinis traditionē aliud esse, quàm sacrificium expiatorium.

Sacrificia legalia quotidiana nō sacrificii Christi expiatorii, sed rectè factorum illius & nostrorū figura fuerunt.

rem suavitatis esse dixit. Sacrificium autem Christi, non a Christo perfectum est, sed a Deo, qui illum ex mortuis resuscitatum, in sancta, hoc est, in cœlum introduxit; & effecit, ut noster sacerdos fieret, adeoq; seipsum sacrificaret. Figura autem sacrificii Iesu Christi fuerunt, illa sacrificia solennia, quæ quotannis semel celebrabantur. Quemadmodum igitur in illis sacrificiis mactatio pecudis, non erat ipsa oblatio, sed tantùm ad eam præparatio. Oportuit enim in sancta ingredi pontificem cum illo sanguine, & ibi demum perfectum fuit sacrificium: Sic etiam in Christi sacrificio, traditio corporis illius in mortem & effusio sanguinis, non fuit ipsa Christi oblatio, sed tantùm ad eam præparatio. Perfecta est autem, cùm Christus in cœlum ingressus, coram Deo pro nobis apparere cœpit.

Oblatio corporis Christi & traditio corporis illius in mortem, diversa sunt.

Datur corpus sine sanguine.

Ineptè autem huc adducitur locus Heb: 10. 10. in quo asseritur, *nos sanctificatos esse per oblationem corporis Christi semel.* Hîc enim solius corporis est mentio, non verò corporis & sanguinis simul; & non de traditione, sed de oblatione corporis agitur. Traditio autem corporis in mortem, & oblatio corporis, diversa sunt. Nec verum est, oblato corpore, sanguinem etiam offerri. Datur enim corpus sine sanguine, nempe spirituale corpus; quale Christo post resurrectionem, per ascensionem in cœlos, datum esse sacræ literæ testantur; & a nobis in libello, de vero & naturali filio Dei abunde demonstratum est. Hoc corpus cùm Deo Christus obtulit, hoc est, quando cum immortali corpore apud Deum esse cœpit, sacrificium illius expiatorium cœpit, hoc est, cœpit illud, unde nostra salus perpetuò pendet.

Smiglecius iterat eadem.

Argumentum Smiglecii repetitur & refellitur.

Inter ea, quæ ad rem aliquam efficiendam interveniunt, magnam differentiam esse posse.

His ita expeditis, cramben iterum apponit, de qua ipsemet fatetur se antea egisse. Quam equidem intactam relinquerem, nisi quædam hîc addita essent, quæ ibi dicta non sunt. Argumentum nullius momenti esse dicimus, sanguinem Christi non aliam vim habiturum ad peccata auferenda, quàm habuerit sanguis pecudum, nisi vim pro peccatis satis faciendi habuerit. Etsi enim in re aliqua conveniat sanguis pecudum cum sanguine Christi, quatenus tam sanguinis brutorum ad peccata, quæ vi legis remittebantur, tollenda interveniebat, quàm sanguis Christi ad omnia peccata, gravissima scilicet intervenit: (nam si aliter esset, sanguis ille sanguinis Christi figura esse nullo modo potuisset:) tamen inter ea, quæ interveniunt, tanta est differentia, ut ille sanguis verè umbra tantùm fuerit ejus, quod nunc fit per sanguinem Christi. Christi enim sanguis operatur etiam suo modo remissionem peccatorum, & mors Christi, ut suprà ex Paulo docuimus, hominem coarctat, & cogit, ut a peccatis cesset, quod de sanguine illorum brutorum ne cogitari quidem potest, de quo

antea

antea diximus. Itaq; non est, quòd tam verbosè, & sine pondere Smiglecius dicat, *commune aliquid sanguinem brutorum in expiatione peccatorum, quæ tunc vi fœderis remittebantur, cum sanguine Christi habuisse:* sed docendum erat, nullam majorem vim habere sanguinē Christi ad peccata expianda, quàm olim habebat sanguis brutorum. Quod dum sæpiùs pronunciat Smiglecius, nos, quibus id tribuit, graviter calumniatur; et, quod est gravius, dolum & fraudem nobis, cum contrarium ejus dicimus quod nobis affingit, objicit. Quæ sanè insignis illius impudentia est. Nonnè cum charitas & prudentia nos errare potiùs, vel mentem nostram non benè exprimere posse, credere jubet, quàm ea de nobis effutire, quæ nemo, præter solum Deum certò pronunciare potest. Sed hæc Deo committimus: rem persequimur.

Smiglecii calumnia & dolus.

Dicimus, sanguinem Christi peccata auferre, quia efficit, tum ut a peccatis cessemus, tum ut a pœna peccatorum liberemur, unde constat, quantū differat a sanguine brutorum. Nam hîc neutrum illorum præstare potuit. Smiglecius tamen, *utrumque illud, sanguinem illum præstitiße,* contra evidentissimum sacrarum literarum testimonium, affirmare audet. Hæ enim testātur, cessatura fuisse sacrificia V. F., nec opus fuisse ea iterari, si cultores semel mundati, nullam ampliùs conscientiam habuissent. Iam si hoc sanguis brutorum efficere non potuit, quomodo a pœna peccatorum quenquam liberare potuit; cùm nemo a peccatorum pœna liberari possit, qui priùs ab actu peccatorum non sit liber. Et tamen Smiglecio licuit, nos, dum ista, quæ sunt sanctissima, dicimus, iterum *blasphemos appellare, & ea, quæ dicimus, fraudulenter nos verbis colorare, ad decipiendos incautos, nobis objicere.* Possem & ego hîc appellare Smiglecium, ut ille nos appellat, & dicere: non de efficientia vera, o Smigleci, remissionis peccatorum per sanguinem Christi hîc res est. hanc enim ei tribuimus: sed an efficiētia illa vera sit satisfactio pro peccatis, hoc investigatur; et quamdiu Smiglecius hanc efficientiam remissioni peccatorum sanguini Christi attribuet, nunquam veram efficientiam illius agnoscet. Sed hæc ad disputationem nihil faciunt.

Sacrificia legalia nec a peccatis veris nec a peccatorum pœnis liberasse.

Falsum esse dico denuo, sacrificia legalia efficere potuisse, ut homines a peccato cessarent, & Smiglecium cum sacris literis pugnare, qui contrarium affirmat. Quanquam ipsum etiam Smiglecium hîc titubare apparet. Vt enim antea in Monstris dixerat, *sanguinem illum effeciße firmum propositum non peccandi,* sic etiam nunc dicit, *eundem effeciße, ut homines peccata detestarentur.* Hoc verò quàm sit diversum a cessatione illa a peccatis, quis non intelligit? Potest enim propositum firmum non peccandi & detestatio peccatorum, in iis etiam esse, qui

Smiglecius titubat.

Propositum firmū non peccādi habere, vel peccata

se, qui

detestari,& a peccatis cessare, differunt.

se, qui in peccatis hærent, ut testatur universum fere caput septimum ad Romanos. Nec tamen & illud, quod Smiglecius asserit, & cessatione a peccatis longè minus est, præstiterunt sacrificia legalia. Nulla enim detestatio peccatorum ab iis necessariò requirebatur, qui ea offerebant: sed sola oblatio, qua interveniente, Deus peccata, quæ tunc remitti solebant, remittebat: nec ulla accusari poterat hominum malitia, si ad illam oblationem sine detestatione peccatorum accederent; ut Smiglecius parum attendens, quid loquatur, affirmat. Itaq; ut, quod res est, dicam iterum perspicuè, sacrificia legalia negamus vim habuisse ullam efficiendi, ut homines a peccatis veris cessarent. Hoc verò docent illa verba: *Impossibile est, sanguine taurorum & vitulorum auferri peccata*: interim verò ad peccata, quæ sub lege expiari poterant, hoc est, per ignorantiam, & infirmitatem commissa expianda conduxisse affirmamus. Idem enim autor ait, *sanctificasse inquinatos ad emundationem carnis*. Quæ dum non intelligit, aut saltem non expendit Smiglecius, nos Paulo contradicere satis imperitè affirmat.

In lege detestatio peccatorum non requirebatur.

Qualia peccata sub lege expiata fuerint, qualia non.

Nunc de alio discrimine sacrificiorum legaliũ, & sacrificii Christi agendum est; quòd scilicet sacrificium Christi non tantùm præterita, sed etiam futura peccata aufert: legalia autem tantùm pro prę teritis offerebantur, quod autor epistolę expressit, dũ ait: *Tantùm commemorationem peccatorum factam esse per singulos annos*. Quæ res sanè tanti momenti est, ut vix ulla sit majoris in nostra justificatione. Ideoque, licèt antea ea de re actum sit non semel, & Smiglecius nihil prorsus afferat, quod antea in Monstris non sit dictum: libet tamen denuo eam adversùs ignorantias Smiglecii crassas munire. Dicimus igitur eam esse vim sacrificii Christi, ut ii qui Christi sunt, & secundùm spiritum ambulant, si interdum per fragilitatem peccent, opus non habeant ullo sacrificio alio pro peccatis istis, sed virtute sacrificii Christi illis ea remitti. Quam sententiam nostram Smiglecius rectè exponere non potuit. Non enim dicimus, peccata illis remitti, non quoad culpam, sed tantùm quoad pœnam; nec porrò ita dicere debemus. Remissa enim pœnâ, culpa remissa est.

Vi sacrificii Christi peccata etiam futura, per infirmitatem cõmissa, remitti.

Sed nunc responsionem Smiglecii expendamus. Falsam esse hanc doctrinam asserit, idq; sic probat: *Nam hæ fragilitates futuræ, vel sunt peccata gravia, digna æternâ pœnâ; vel levia, quæ pœnã æternam nõ merentur, sed temporalem. Si sunt gravia, talia in piis esse nequeunt, neque dici potest illa non imputari ad pœnam, cùm pœna æterna sit eis proposita, 1. Cor: 6. 10. Ephes: 5.5. Si sunt levia, ea quidem esse possunt in piis & fidelibus, at non sine reatu pœnæ temporalis*. Ego verò ad ista sic respondeo:

deo: Omnes fragilitates, qualescunque tandem sint, remitti illis, qui non secundùm carnem, sed secundùm spiritum ambulant. Hæc enim est natura fidei, vel modus justificationis per fidem, qui operibus opponitur. Vt igitur opera significant absolutam & perpetuam divinorum præceptorum observationem, qualem scilicet lex requirebat: ita fides tantùm habitum omnium virtutum requirit, & eo contenta est. Vnde constat, etiamsi quis grave peccatum, quod opus carnis in scriptura appellatur, per ignorantiam, vel incogitantiam, vel infirmitatem, quæ verè & non affectatè talis sit, committat; dummodò habitum ejus non contrahat; eum justificationem sui sub N.F. non perdere. Constat etiam, non fieri ex pio impium eum, qui peccatum grave ex vera fragilitate & incogitantia admittit. Vnum enim atque alterum peccatum non facit habitum: sicut nec pius ille fit, qui semel atque iterum id, quod pietati conforme est, facit. Constat denique non imputari ei tale peccatum ad pœnam, nempe æternam. Nam quod Paulus dicit, quòd adulteri, homicidæ non sint consecuturi regnum Dei, id tantùm de iis intelligendum esse res ipsa loquitur, qui in peccatorum istorum, sive unius, sive multorum habitu hærent: vel ut Paulus loquitur, *qui talia faciunt*. Facere autem is peccatum dicitur, qui peccati habet consvetudinem.

Omnes fragilitates remitti illis, qui fide sunt prædıti.

Habitum tantùm peccati justificationem tollere.

Habitus tantùm facit ex pio impium.

Vnus actus peccati non imputatur sub N. F. ad pœnam æternam.

Non erat autem, cur Smiglecius ita nobis illuderet, distinctione a se ficta & odiosa, adulterorum piorum & impiorum. Nemo enim nostrum, eum, qui vel semel adulteratur, præsertim post agnitam Dei voluntatem, pium adulterum esse dicit: sed peccatum illud, non imputari ad pœnam æternam simpliciter contendimus, tacitè innuentes, impium esse, quòd quis sit vel semel adulter, aut homicida. Nam jam imputationi locus non esset, si impium illud non esset.

Impium quid esse, & imputari ad pœnam æternam, differunt.

Iam quod Smiglecius de levibus peccatis ait, ea ad pœnam temporalem imputari, id de gravibus peccatis, per fragilitatē interdum commissis, nos dicendum statuimus. Potest enim Deus, jurè illis, quibus vi Fœderis pœnam æternam non vult infligere, pœnam infligere temporalem; tum ut quanto odio prosequatur peccatum, ostendat, tum ut ab actibus etiam peccatorum, tam ipsos, qui eos commiserunt, quàm alios fideles deterreat. At levium vel venialium, ut loquuntur, peccatorum longè alia est ratio. Hæc enim Deus, quanquam ea etiam aversetur, tamen ad pœnam imputare non solet. Nec contrarium suadent, quæ affert Smiglecius. Illud enim de verbo otioso, de quo reddēt rationem homines in die judicii, nec de levi peccato necesse est intelligere, sed de tali otioso verbo, vel saltem ejus simili, de quo ibi sermo est; nempe quòd blasphemiam quandam

Gravia peccata per fragilitatem interdum commissa, a Deo puniri pœnis temporalibus.

De quonam otioso verbo, & de quanam ejus pœna Matth. 12. agatur.

conti-

contineat; nec etiamsi de levi peccato intelligendum esset, pœnam ei temporalem imputatum iri sequitur. Nam disertè dicitur, homines *in die judicii* rationem reddituros de eo, hoc est, daturos pœnas istius otiosi verbi, in altero demum seculo. Illud verò, quomodo huc faciat, non video, *quòd omnes pii, in hac vita non sint sine peccatis levibus, eaque sibi ignosci & remitti petant*. Nihil enim impedit, quominus alicui vi Fœderis peccata remissa sint, hoc est, remissio peccatorum oblata & destinata sit: & tamen aliquis perpetuò illam oret, quia scilicet nondum ad exitum sit perducta. Nam & eorum peccatorum, quæ quis ante agnitam Dei voluntatem commisit, remissio nobis proposita est, adeoque remissa ea esse dici potest ex parte Dei: & tamen omnes pii Deum quotidie orant, ut ea illis remittat. Quò pertinent tum Davidis, tum verò maximè Christi verba: *Dimitte nobis debita nostra*. In his enim non esse sermonem de levibus peccatis, ipsa orationis Christi gravitas & perfectio requirit, quę nulla esset, si peccatorum graviorum, quorum pœnas deprecamur, mentio non fieret. Horum enim, non verò leuiorum remissione N. Fædus commendatum nobis est. Præterea, omnibus perpetuò & necessariò orandum esse sic, vel hinc apparet, quòd Christus nos ita orare jusserit. præcepta autem ad omnes pertinent. Iam verò fieri posset, ut sancti saltem aliqui, & saltem ad tempus, peccata levia non committerent: & ita nō opus haberent, orare isto modo, quod absurdum est. Adde, quòd his verbis tacitè oramus donationem vitæ æternæ. Quomodo enim in tam augusta oratione boni istius, cujus Christus unicus autor est, mētio omitteretur? Vitæ autem æternæ donatio, non in remissione levium, sed gravissimorum peccatorum consistit. Deniq; debita, quorum remissionem oramus, opponuntur debitis, quę nos etiam aliis remittimus: at nos non leves tantùm, sed gravissimas offensas aliis remittere tenemur.

Cur perpetuò oranda sit remissio peccatorum.

In oratione Dominica de gravibus peccatis sermonem esse.

Ratio 1. 2. 3. 4.

De loco 1. Cor: 3.

Illud denique, quod affert ad probandum, justos & pios pro peccatis levibus puniri, ex epistola ad Cor: 3. *Si cujus opus arserit, detrimentum patietur, ipse tamen salvus erit, sic tamen quasi per ignem*, huc accomodari sanè non debuit. Nec enim constat de peccatis ibi sermonem esse: imò contrarium suadent præcedentia verba, quibus opera ea dicuntur, quòd alii ædificent super fundamentum, aurum, argentum, margaritas; alii verò lignum, fœnum, stipulas. Vbi non res malæ bonis sed viles pretiosis opponuntur. Peccata autem sunt res, non viles respectu virtutis, sed malæ. Non constat etiam ibi de vera pœna Apostolorum agere, sed tantùm de damno. potest autem damnum aliquis pati, etiamsi ei nulla pœna infligatur. Hinc Smiglecius paulò

Non agi ibi nec de peccatis, nec de pœnis.

Pœna & damnum differunt.

paulò infra ad vocem *ignis* in parenthesi addidit de suo, *divini judicii*. Quod tamen nec Apostolus dixit, nec ex dictis ab eo colligi potest, cùm ignis alius ad ista opera probanda & exurenda dari possit, de quo nunc non est plura dicendi necessitas. Satis enim est ostendisse, nec de peccato, nec de pœna Apostolum loqui necessariò. Ista verò verba Lucæ 12 *non exibis inde, donec etiam novissimum minutum reddas*, huc adduci potuisse sanè mirum est. Nihil enim est, unde cõstet, hîc sermonem esse de pœna temporali, imò de æterna pœna Christum loqui, modo loquendi non proprio prorsus, sed proverbiali statuendum est. Quod etiam alii pontificii agnoscunt, dum ex hoc loco ostendere conantur, per vocem *donec* denotari æternitatem. Itaque sic hæc res concludenda est breviter. Omnia peccata, quæ committuntur ex fragilitate, ab iis, qui in Christum credunt, remittuntur illis, quia durant in habitu virtutum: hâc differentiâ adhibitâ, quòd Deus gravia soleat pœnis temporalibus, quanquam non semper aut necessariò, sed interdum, & pro libitu suo vindicare.

Smiglecius ad Scripturam addit.

Ineptè scripturã allegat Smiglecius.

Sententia vera de peccatis gravibus & levibus breviter explicatur.

Hîc autem inprimis illud observandum est, ne in definitione peccatorum levium erretur. Vereor enim, ne, ea pro levibus peccatis habeat Smiglecius, quæ gravia sunt reipsa. Et sanè debebat Smiglecius, quia res ardua agitur, exprimere, quænám levia peccata censeat ipse: quemadmodum expressit, quænám sint gravia. Equidem gravia peccata ea omnia esse judico, quæ carnis opera appellantur, & de quibus disertè scriptum est, quòd, qui ea faciũt, regnum Dei non sint hæreditaturi, vel simile quid, qualia sunt non tantùm idololatria, veneficia, adulteria, homicidia, furta: sed etiam ira, contentio, inimicitiæ, invidia, convitia, ebrietas, comessatio, potationes &c. Licèt enim hæc ipsa inter se collata, alia aliis sint graviora, alia leviora: sunt tamen naturâ suâ talia, ut, si quis vel in uno illorum hæreat, vitam æternam eripere nobis possint. Levia autem peccata illa appellanda esse videntur, quæ non efficiunt, ut homo secundùm carnem ambulare dici possit, licèt efficiant, ut, non ad perfectionem normæ a Christo nobis præscriptæ, vivere eum dici possit, sive ea sint expressa in sacris literis, sive ex analogia fidei pendeant. Cujus generis sunt, irasci, absque cupiditate vindictæ iocari; absque scurrilitate ludere; absque spe lucri; & his similia. De quo nunc plura non dico.

Quænám sint peccata gravia.

Omnia opera carnis damnare, licèt alia aliis sint graviora.

Quæ levia.

Audiamus aliud. Sic igitur ait Smiglecius: *Hæ fragilitates futuræ vel ideo dicuntur remissæ, quòd non imputentur ad culpam, vel quòd non imputentur ad pœnam, etiamsi ad culpam imputentur. Si primum concedatur, (uti cõcedere videtur Socinus) sequetur, ut peccatum sit peccatum, & non peccatum. Peccatum, quia est vera culpa, & contra divinam legem,*

non peccatum, quia a Deo non imputaretur ad culpam. Adhæc si peccata in justis antequam essent, essent remissa, non essent peccata tunc, cùm a justis admitterentur, & sic justi peccarent & non peccarent. Peccarent, quia malè agerent, non peccarent, quia peccatum illud, jam ante remissum esset. Quod si dicatur secundum, id nullo sacrarum literarum testimonio cōprobari potest, deum alicui remisisse pœnam peccati, cui non remiserit culpam. Deinde si Deus ex benevolentia pœnam remittit, multò magis culpam remittet. Hic discursus Smiglecii iterum totus vitiosus est, & partim in ignorantia, partim in captionibus fundatus. Smiglecius enim phrasin, *non imputari ad culpam*, ita accipit, ac si quis dicat, non esse id peccatum, quod peccatum est, vel quando quis peccat; in quo sensu verè esset contradictio, ut antea in Monstris dixerat. Iam verò, siquidem alia istius phrasis significatio esse potest, nempe id, quod natura suâ & per se peccatum est, & divinæ legis transgressio, non puniri a Deo, æternâ scilicet pœnâ; vel ita remitti, ac si factum non esset, res omnis plana est. Peccatum naturâ sua semper est peccatum apud Deum, culpa semper culpa, a quocunq; tandem cōmittatur: at ratione N. F. & gratiæ in eo contentæ, non ita tractantur ii, qui, cùm perpetuò vel ut plurimum verę pietati student, per fragilitatem interdum peccatum committunt: atq; illi, qui sub V. F. vi Fœderis tractabantur, qui, quantūvis ut plurimùm Deo obedirent, vel semel tantùm divinum mandatum transgrediebantur. His enim mors vi legis proposita erat, & si quis eam effugit, id divina voluntate, quæ extra legem erat, factum est: illis verò remissio, ob quam potissimùm causam Evangeliū Christi, lex libertatis appellatur. Nulla enim major servitus esse videtur eâ, quòd, etiamsi quis ut plurimùm, vel etiam perpetuò Deo obediat, si semel in peccatum incidat, absque omni misericordia, ut ait scriptura, moriendum illi sit: quemadmodum rursus vera est illa libertas spiritualis, dum quis perpetuò, vel ut plurimùm, Deo se & suam fidem probare annititur, si interdum peccatum, aliquod ex fragilitate, perpetret, quòd Deus illud clementer condonare velit. Et ut olim unus peccati actus, contra expressam legem Dei commissus, pro peccato excelso brachio commisso censebatur; sic hodiè, habitus tātùm peccati pro tali peccato censentur. Et sic totum illud, quod hîc nectit Smiglecius, dissolutum est iterum. Iam enim apparet, peccata tantùm non imputari quoad pœnam, ut Smiglecius loquitur, hoc est, peccata per fragilitatem commissa, non puniri a Deo eâ pœnâ, quæ in peccato hærentibus proposita est; & hac ratione etiam dici posse, nō imputari ea ad culpam, quia Deus ea tegat.

Non imputari ad culpam, est non puniri morte æterna.

Cur Evangelium lex libertatis appellatur potissimùm.

Sub V. F. habitus tantùm peccati pro peccato excelso brachio cōmisso, censetur.

Quæ hîc de justitia divina, quæ nullum peccatum impunitum dimittat,

dimittat, inseruit, ea jam partim refutata sunt. nam locum 2. Cor. 3. quem hic repetit Smiglecius, nec de peccato, nec de pœna loqui ostendimus; cùm verò dicitur, Deum retributurum unicuiq; secundū opera ejus, nō actus operum malorum, sed habitus intelligi, vel hinc constat, quòd idem etiam de operibus bonis accipi possit. Certum est autem, Deum nō retributurum vitam æternam cuipiam ob aliquem actum pietatis, sed ob ejusdē habitum. Deniq;, de peccatis levissimis dandam esse rationem, probari per verba Christi de otioso verbo nō posse, antea etiam ad oculum ostensum fuit. Opera, secundùm quæ Deus retribuet, habitum significare.

Sed jam ultimum videamus, quod admodum quidem speciosum esse videtur, interim nihil cum veritate commune habet, nempe *si ea tantùm peccata a Deo puniantur, in quibus homines hærent, hac ratione ad omnia scelera portā aperiri.* Sed hîc ego, cùm multa possem opponere, hîs paucis, quæ scilicet sufficient ad rem declarandam, contentus ero. Primùm dico, si tale quid fiat, id non sententiæ nostræ, sed hominum malitiæ, qui gratiâ Dei tantâ abutuntur, tribuendum esse. Idem etiam accidisse Apostolis in re simili scripta illorum testantur. *Num manebimus*, objicit sibi Paulus, nomine parum religiosorum, *in peccato, ut gratia abundet?* Deinde verò nego, ullam portam hac doctrina aperiri ad quævis scelera. Licet enim Deus, vi N. F. peccata per fragilitatem commissa, si in habitum non degenerent, morte æterna vindicaturus non sit, vindicare tamen potest & solet pœna temporali, ut ante diximus, quod solum satis est ad deterrendos homines a talibus peccatis; imò plus fortasse plerosque, qui scilicet res divinas parum attentè considerant, a peccando deterret præsens quàm futura pœna. Ex verissima sententia occasionē peccandi arripi posse. Rom: 6. 1. Quid homines a peccatorum actibus deterrere possit.

Dixeram ego hîc aliquid, quàm tutum sit hanc nostram sententiam sectari, quod scilicet, si ea non admittatur, aut peccata a semel renatis & justis commissa, pro peccatis non haberi oporteat, quod est longè absurdissimum, & ad quævis flagitia præcipitium, vel in desperationem ruendum sit. Smiglecius calvè admodum aliquid huic verissimæ sententiæ opponit, dum dicit: *Peccata singula liberè admitti, ne verò admittantur, pœnam propositam facere. Itaque pœnam non in desperationem agere homines, sed a peccando deterrere, ut quod liberè agitur, vel ipso pœnæ metu non admittatur.* Quis enim nescit, peccata singula liberè admitti, ut hoc nunc pro responsione quadam afferat Smiglecius? Quis etiam dubitat, peccatis esse pœnam propositam? Nonné enim proposita pœna dici potest, quatenus Deus eos etiam punire potest & solet, qui talia peccata committunt, ut testatur Paulus, dum ait: *Ideo multi inter vos ægroti, & infirmi, & obdormierunt multi.* De- Rationes sententiæ nostræ de vi sacrificii Christi firmissimæ repetuntur.

ti. Deterrent igitur tales pœnæ a peccatis etiam singulis, vel ab uno actu peccati: At si pœna æterna proposita esset, & tamen accideret, ut aliquis peccatum grave, quale olim David commisit, admitteret, quid quæso aliud restaret quàm desperatio, si vi Fœderis N. non extaret spes remissionis talis peccati? Idem enim accidere posse justis sub Novo F. quod aliis viris sanctis sub Veteri, neminem esse puto, qui negaturus sit. Firmum igitur manet, quod dicimus, & ne illud fieret, hoc est, ne pii in desperationem ruerent, & sic ad eos ab ea eximendos singulari quadam revelatione, qualis Davidi per Nathanem contigit, opus esset subinde, Deus præcavit per istam tantam vim sacrificii Iesu Christi, quâ nulla consolatio major cogitari potest.

Fructus sacrificii Christi declaratur.

Tandem Smiglecius sententiam suam iterum ascribit, quare redemtio Christi æterna appellatur, ut ostendat, non ideo eam sic appellatam, quia futura etiam peccata, quæ in piis accidere possunt, tollat: Revera autem nihil dicit, quod ad rem faciat. Ait, æternam ideo appellari, *tum quòd per eam non aliquid temporale, sed salutem æternam consequamur, tum quòd virtus ipsius non ad unum duntaxat tempus, sed ad omnia consequentia tempora & peccata expendatur.* Sed prius illud a Smiglecio dici non debuit. Is enim credit, sub lege etiam extitisse redemtionē talem, quam scilicet vita & salus æterna consecuta fuerit. Alterum verò nihil in se singulare continet. Nam quis nescit, id quod semel omnibus omnium hominum peccatis sufficit, semper sufficere, cùm nulla causa dari possit, quare ad secula prima potiùs, quàm ad sequentia pertineat; imò rationes afferri posse videntur, quare ad sequentia tempora, si non magis, saltem æquè, ut ad præcedentia, pertineat. Quàm verò sublimè sit illud, quod ex nostra verborum istorum explicatione fluit, iterum lectori pio judicandum relinquimus. Reliqua, quæ hîc dicit Smiglecius, otiosa sunt paulo antè in hoc eodem capite, & dictorum (ut ipse etiam fatetur) & refutatorum repetitio, ideoque non est, quod quicquam hîc immoremur amplius. Interpellationem Christi, sacrificium ejus esse negat, quia interpellationem propriè accipit, quæ propriè accepta, minus est aliquid quàm Christi mors: at impropriè accepta, pro Christi cura, quam, potestate a Patre sibi data, nostri perpetuò gerit, est aliquid longè præstantius, quàm Christi mors, & tale quid, quod repeti non est opus; sicut nec cura, quam Deus nostri semper gerit, repeti jure dici potest.

Smiglecii verba vana examinantur.

Nostra sententia de vi sacrificii Christi, cur constet Smiglecianę.

Smiglecius eadem repetit.

Errores

Errores Smiglecii circa passionem & mortem Christi deteguntur.

Caput IX.

TRes hîc errores meos blasphemos se notaturum ait Smiglecius: Ego verò primùm tres illos dici non debuisse contendo. Nam primus: Christum vitam ęternam per sacrificium suum (quod ex sententia Smiglecii Christi mors est) nobis non comparasse; & tertius: Christi sacrificium & mortem nobis peccatorum remissionem non impetrare, idem sunt reipsa. Deinde erroris aliquid in eo, quod hîc recenset Smiglecius, contineri pernego. Et quod ad primum attinet, priusquam illud defendam, annotandum est, Smiglecium parum candidè mecum agere. Ego enim, dum nego Christum vitam æternam nobis comparasse, duplici modo illud limito, nempe *si res accuratè expendatur*, &, *si propriè loqui velimus*, tacitè innuens, si res populari modo expendatur, & impropriè loqui velimus, posse illud dici. Nam & ille, qui causa rei alicujus efficiens est, licèt non principalis, sed instrumentalis; vel ita efficiens, ut sine eo effectus produci nequeat, comparare illud suo modo dici potest. Quomodo etiam de nobis impropriè dicitur, nos acquirere animas, quia sine fide nostra salus animarum obtineri nequeat. Quam meam limitationem si Smiglecius addidisset, non habuisset occasionem blasphemias, ut facit, crepandi, & ita sententiam nostram exosam aliis reddendi.

Smiglecius castigatur.

Quo sensu dici nequeat, Christum nobis vitam æternam comparasse.

Heb: 10. 39.

Observata hac limitatione, videamus, quid dicat Smiglecius, ad ostendendum, Christum nobis vitam æternam comparasse. Ait igitur primùm, *Christum non quacunque ratione vitæ nostræ autorem fuisse, sed magno precio pro ea re oblato. Qui autem precio oblato & impenso, aliquam rem comparat, eum verè & propriè illam comparare; efficere enim, ut res illa existat.* Christum, non quacũque ratione autorem vitæ æternæ esse, novimus, & paulò post exponemus; Christum etiam precio pro nobis oblato, autorem vitæ esse, concedi potest: quatenus, ut vitam æternam consequeremur, suum sanguinem pretiosum fudit & impendit; Christum denique, pretio illo oblato, vitam æternam comparasse sobrio sensu dici etiam potest, quatenus sine sanguine illius vita æterna donari nobis non debuit, aut etiam nõ potuit: nec tamen hinc concludi potest, Christum, si res accuratè expendatur, & si propriè loqui velimus, vitam æternam nobis comparasse. Non enim effectum est ista sanguinis Christi fusione, ut vita æterna

Impertinentia dicit Smiglecius

Cur dici nequeat, Christũ nobis vitam æternam comparasse propriè.

terna existeret, & demum pararetur: sed tantùm effectum est, ut, quæ jam antea a Deo nobis parata erat & oblata vita æterna, reipsa nobis contingeret. Quo sensu etiam dici potest, Christum acquisivisse nobis vitam æternam. Nam omnia ea, quæ ad effectum producendum quoquo modo pertinent, & sine quibus effectus produci nequit, suo modo & impropriè loquendo, eam nobis producere dici possunt: cùm interim id tantùm eam, accuratè & propriè loquendo, producere dicatur, quod causa illius effectus est efficiens principalis. Qualis est in hoc negotio, Deus & ejus summa benignitas; ita, ut nulla ratione, si accuratè res expendatur, & propriè loqui velimus, dici possit, vitam æternam vel salutem nobis ab aliquo comparatum esse: sed dicendum est, Deum illam nobis sponte sua obtulisse, vel potiùs designasse; Christum verò missum fuisse, & deinde mortuum, & in cœlos exaltatum, ut id, quod a Deo promissum erat, nos & amplecteremur, & tandem reipsa consequeremur; vel, ut aliis verbis rem eandem exprimam, ut viam salutis æternæ illius nobis annunciaret, confirmaret, & in sua ipsius persona, tùm vitæ exemplo, tum ex mortuis resurgendo, manifestè ostenderet, & tandem sibi fidentibus salutem reipsa daret. Et his de causis Christus, autor vitæ, autor salutis, & princeps & dux, & antesignanus filiorum Dei appellatus est. Hoc verò quid quæso sublimius & magnificentiùs dici potest de Christo servatore nostro?

Quid nobis vitam æternam propriè comparârit.

Christus quid ad salutem contulerit & conferat.

Smiglecius tamen, ut hanc tam sacrosanctam veritatem obscuret, & tenebris involvat, nihil non facit. Primùm separatâ ultimâ causâ, ob quam Christum servatorem esse credimus, de tribus prioribus, non sine scommate, sed certè nugatorio, dicit: *Christum tantùm fore indicatorem & demonstratorem salutis, non verò effectorem & autorem; neque quicquam aliud morte sua pro nobis effecisse, nisi indicasse & demonstrasse viam salutis; neque redemisse nos, nisi indicãdo; neque abstulisse peccata, nisi indicando; ita ut tota salutis ratio a Christo perfecta, nihil sit nisi indicatio salutis,* & (ut mentem suam explicet) *Christus non sit verè salvator noster, sed indicator salutis.* Quæ verba ingenii Smigleciani vivum sunt exemplar, quòd, dum rem aliquam argumentis confecturum se desperat, verbis in eam petulantibus, & nec sua vocatione nec ætate dignis, involat. Sed nihil proficiet apud pios & prudentes. Hi enim non possunt non videre, quàm fraudulenter primùm Smiglecius, causam ultimam ab illis tribus separârit, ut ita causam haberet calumniandi. Nam certè si dicatur Christum ideo etiam esse servatorẽ nostrũ, quòd salutẽ æternam ipsemet nobis tandẽ daturus sit, jam apparet, non nisi per calumniam dici posse, cum tantùm

Fraus Smiglecii in omittenda re potissima.

esse

esse indicatorem salutis,& non redemisse nos, vel peccata abstulisse, nisi indicando, ut nugatur Smiglecius. Nam qui dat reipsa salutem, reipsa servator est, ut ipse Deus, qui certè non indicator salutis est. Hanc suam fraudem auxit etiam Smiglecius, vel potiùs ipsemet eam prodidit, cùm, ubi de causis tribus prioribus agit, nihil ad marginem addidit de servatore indicativo, (ut ille loquitur), sed tum demum, cùm de quarta disputat, ad marginem additum legimus *Servator indicativus*. Quid enim donatio salutis reipsa, cum indicatione ejus commune habet? Hanc fraudem Smiglecius nunquam purgabit, sat scio: & an eam sit agniturus dubito: lectori pio judicium de ea relinquo.

Dare salutem reipsa, non est eam indicare.

Smiglecius prodidit suam fraudem.

Deinde etiam, nonné, suo more captioso, omnia ea, quæ commemorat ex nostra sententia, de causis, cur Christus servator noster sit, una voce indicandi comprehendit? Quid enim confirmatio viæ salutis cum indicatione, vel annunciatione commune habet? Nonné diversa sunt natura sua? & nonné plus est, viam salutis confirmare præsertim perfectissimè, quàm salutis viam annunciare vel indicare? Certè, si quis Apostolos salutis tantùm indicatores appellaret, non levi eos injuriâ afficeret; quia scilicet multa fecerint & passi sint, quæ ad confirmandam istam salutem, quam annunciabant, pertinent: etiamsi non in eum finem ista fecerint vel passi sint, ut via salutis confirmaretur. Quantò igitur magis Christus injuriâ afficitur, dum indicator tantùm salutis appellatur; qui non tantùm multa fecit & passus est, quæ ad confirmandam viam salutis pertinent, sed ista eo ipso fine fecit & passus est, ut per ea viam salutis confirmaret; qualia sunt ipsius summa innocentia, miracula, & denique truculenta mors; quos tres testes divinos appellat Ioan: qui de Christo testentur, eum scilicet esse Christum.

Confirmatio viæ salutis, plus est quàm ejusdē annunciatio.

1. Ioan: 5. 7.

Porrò satisné & illud dignum videtur Smiglecio, quod sic cum ludo tractet, nempe *indicatorem esse salutis*. Nam si salus antea prorsus alicui sit incognita, certè servator is alicujus jure dici posset, qui viam salutis ei indicaret, qualicumque tandem modo. Deniq; calumniam istam annotasse satis est, Christum non fore ex nostra sententia verum servatorem. Hæc enim Smiglecio ita familiaris est, ut plerunque loco ejus, quod dicere debebat, non fore Christum talem servatorem, qualem ipse eum esse credit, dicat, eum non fore verum servatorem. Quasi verus servator is esse non possit, qui salutem reipsa dat, etiamsi eam reipsa non comparaverit, aut meruerit.

Magnum esse, salutis esse indicatorem.

Calumnia Smiglecii.

Verus Servator esse potest absq; merito.

Sed nunc videamus, quomodo ultimam causam, ob quam nos Christum esse servatorem credimus, sugillet. Ait igitur, *me non evadere, si dicam, Christum esse servatorem, quia vitam æternam nobis donaturus*

Quis evadere di- catur in disputando.

Ineptiæ Smiglecii.

A peccatis ipsis servari, non est perfecta salus.

Christus Servator est potissimùm, quia nos a morte olim servaturus est.

Christum Servatorem futurum fuisse, etiamsi homines nõ peccassent

Aliud est in terra servari, & hæredem fieri vitæ æternæ.

1. Tim. 4. 8.

turus sit. Quasi vero evasione sit opus, cùm quis aliquid affirmat & probat. Is qui respondentis partes tuetur, evadere dici solet, si responsiones ad rem parum aptas afferat. Sed hoc levius est, quàm ut exagitetur ampliùs. Proficere me nihil, dicere volebat Smiglecius, etiamsi dicam, Christũ vitam æternam nobis donaturum. Cur verò? *Nos enim* ait, *hoc loco de eo servatore loquimur, qui nos hîc in terra salvat a peccatis, & hæredes facit vitæ æternæ.* Ergo ego teneor loqui, quod vult Smiglecius, & non quod res postulat? Quęstio certè non est, cur sit noster servator Christus hîc in terra, sed an sit servator simpliciter. Itaque caussas recensuisse indefinitè, ob quas servator noster est, satis est ad quæstionem decidendam. Ista verò Smiglecii, non dicam ratio, sed nuda sententia, magnam ejus prodit ignorantiam. Non enim ideo potissimùm Christus est servator noster, quatenus hîc in terra nos salvat a peccatis. Nam omnes, qui a pecccatis servantur, in hac vita, usque ad Christi adventum, mori oportet. Mori autem & salvari quomodo conveniunt? Itaque omissâ caussâ præcipuâ, cur Christus sit noster servator, dicere aliquid aliud, quod cum illo conferendum nullo modo sit, quid aliud est, quàm prodere, quòd quis res vel non intelligat, vel non expendat? Servator ille demum verus & perfectus est, qui salutem nobis reipsa dabit. Hoc quia nos de Christo confitemur, videat Smiglecius, quo jure nos Christum indicativum tantùm servatorem facere affirmare possit. Fatemur quidem, Christum nos a peccatis etiam liberasse in hac vita: sed illud non est potissimum, cujus caussa in mundum Christus venit, sed est ex accidente, quatenus scilicet Deus neminem salvare decrevit, nisi qui a peccatis liber sit. Nam si fieri potuisset, ut homines etiam non peccarent, Christus tamen venisset, non quidem ut homines a peccatis retraheret, sed ut illis immortalitatem, cujus notitiâ, vel certa promissione ante Christum omnes carebant, annunciaret, confirmaret, in se ipso ostenderet, & tandem reipsa daret.

Dolo autem utitur, suo more, Smiglecius, dum ista duo conjungit, aliquem salvare hîc in terra, & hæredem facere vitæ æternæ. Nam Christus, quando nos hîc in terra a peccatis salvat, non facit nos hæredes reipsa vitæ æternæ, sed spem tantùm in nobis excitat hæreditatis illius, ipsa autem hæreditas nemini continget, nisi in adventu Christi; &, quis sit futurus vitæ æternę hæres, nemo præcisè scire vel affirmare potest, ante illum Christi adventum. Hinc illa decantata sacrarum literarum oracula, quibus indicatur, coronam justitiæ redditum iri a domino, justo judice, in die illa omnibus, qui dilexerunt splendidum adventum ejus. Et hæc responsionis Smiglecianæ una pars est.

Audia-

Audiamus aliam, *Deinde, ait, Christus secundùm scripturas est servator noster, propter redemtionem, & mortem, quâ nobis salutem acquisivit.* Hoc verò quid ad rem? Num is, qui propter redemtionem & mortem est Servator, non potest esse servator ob eam causam, quòd vitam æternam reipsa nobis daturus est? Num istæ causæ sunt ita oppositæ, ut alteram altera tollat? Quamquam vix ineptiùs aliquid dici potest, quàm hoc est, quòd Christus sit servator propter redemtionem. Idem enim est servatorem, esse & redemptorem in Christi persona; & non est redemtio causa aliqua salutis, sed est ipsa salus. Propter mortem Christum esse servatorem tolerari sano quodam sensu potest, quia scilicet morte interveniente, nec alia ratione servator noster perfectus evasit Christus, at hoc nihil contra id facit, quod nos asserimus. Christum verò acquisivisse nobis salutem morte sua, quàm vel falsum, vel ambiguè dictum, jam in hoc capite docuimus, & iterum docebimus.

Christū propter redemtionem vel mortem, & ob datione vitæ æternę Servatorē esse, nō sunt contraria.

Nugæ Smiglecii.

Audiamus jam tertiam responsionis Smiglecianæ partem. *Ad hæc,* inquit, *et si verum est, daturum nobis vitam æternam, ut ipse Ioan: 10. testatur, ea tamen potestas, est potestas redemtoris, seu potestas dandi vitam æternam titulo redemtionis & mortis, ita ut idcirco dicatur in cœlo nos salvare pro nobis interpellando & astando vultui Dei pro nobis, quia jus redemtionis exigit. Cùm igitur isti potestatem titulo redemtionis nos salvandi agnoscunt (secundùm ipsos enim redemtio est, tantùm indicativa, non effectiva salutis) ex consequenti, non agnoscunt talem potestatem in Christo ad nos salvandos, & vitâ æternâ donandos, qualem scriptura agnoscit. Nullibi enim scriptura docet, Christum absoluta potestate nos salvare, sed salvare per redemtionem & sanguinem suum.* Hæc sunt ipsa Smiglecii verba, quibus veritatem tenebris involvere voluit Smiglecius, interim seipsum ita intricavit, ut vix mentem suam explicare potuerit; quæ tamen quàm sit inepta, mox ostendemus. Primùm igitur dico, nihil prorsus proficere Smiglecium. Nec enim nunc docendum erat, quonám modo Christus potestatem nos servandi habeat, vel quænám potestas sit ista Christi, quâ nobis vitam æternam donaturus est: sed ostendendum erat, Christum non ideo esse servatorem nostrum, quia vitam æternam nobis daturus sit. Hoc, utpote rem impossibilem, quia pręstare non poterat Smiglecius, quidvis dicere maluit, quàm veritati cedere. Quis verò mentis tantùm compos non intelligit, eum verè esse servatorem, qui reipsa alicui dat salutem, quod nos affirmamus? Deinde totum illud, quod hîc de potestate redemtoris, vel de datione vitæ æternæ titulo redemtionis & mortis, differit Smiglecius, præterquam quòd obscurissimè dictum est, nihil pu-

Smiglecius seipsum intricavit.

Poteſtas titulo redẽtionis, & abſolutè dandi poteſtas, non ſunt contraria.

gnat contra id,quod nos dicimus. Poteſt enim in Chriſto poteſtas illa eſſe titulo redemtionis, & tamen eſſe dandi abſolutè poteſtas. Iſto enim loquendi modo, cauſa,ſine qua Deus eum poteſtate illa donari noluit,denotatur: hoc verò,poteſtatis perfectio exprimitur. Et certè nova iſtæc ſapientia eſt, negare Chriſtum abſoluta ſua poteſtate nos ſervaturum,vel vitâ æternâ donaturum; qua tamen de re, tam clara, & tam multa extant ſacrarum literarum teſtimonia, ut Chriſtum, & ejus munus planè ignoraſſe jurè is dici poſſit, qui id non agnoſcat. *Expectamus* (inquit Paulus,) *Servatorem e cælo, Dominum Jeſum Chriſtum, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ, ut fiat conforme corpori gloriæ ipſius, ſecundùm operationem, quâ poteſt ipſe etiam ſubjicere ſibi omnia*. Qui locus pro multis eſſe poteſt. Chriſtus etiam,non Ioan:10. tantùm,ut dicere velle videtur Smiglecius,ſed valde crebrò de ſeipſo illud idem affirmat: ſe ſcilicet,quos velit vivificaturum; ſibi poteſtatem datam eſſe judicium faciendi,quia filius hominis ſit; ſe id, quod a patre ſibi datum ſit, reſuſcitaturum in die noviſſimo;ſe eis vitam æternam& gloriam, quam ſibi pater dederit, daturum. Vbi ſanè diſertè dici, Chriſtum nos poteſtate ſua abſoluta ſervaturum, ſole meridiano clariùs eſt. Quod verò addit, *nec Deum abſoluta poteſtate, & independenti a redemtione Chriſti in nobis ſalvandis uti*, id iterum, præterquam quòd obſcurè dictum eſt, ſi ſobrio ſenſu intelligatur, nihil ad rem prorſus facit. Tantùm enim ex eo ſequitur, Deum nos ſine Chriſto, & morte ejus ſalvare noluiſſe: interim verò negare ſimpliciter, poteſtate abſoluta Deum nos ſalvare, non niſi ineptè, & tantùm non blaſphemè dicitur.Vnde tandem conſtat,quàm vera ſit noſtra illa ſententia de cauſis, ob quas Chriſtum ſervatorem eſſe agnoſcimus,ut pote quæ Dei ipſius & Chriſti gloriam ſartam tectam conſervet, & noſtræ ſalutis, tum viam, tum exitum ad oculum demonſtrat, etiamſi nulla in morte Chriſti agnoſcatur ſatisfactio, quam pro redemtione ſubinde ſupponit Smiglecius.

Chriſtum nos poteſtate ſua abſoluta ſervare.

Phil: 3. 20. 21.

Deũ nos abſoluta poteſtate ſervare.

Noſtræ ſententiæ de cauſis,cur Chriſtus Servator ſit, uſus.

Significationem vocis *pretioſi*, cùm de ſanguine Chriſti ſermo eſt,urget,quòd ſit maximi valoris. Sed nec rectè illud facit, nec ſic cauſam ſuam promovet quicquam. Pretioſum enim id etiam dici poteſt,quod eſt præclarum & æternum,ut ſuprà oſtendimus,de promiſſis divinis, quæ pretioſa eſſe dicuntur, non ob valorem, ſed ob perpetuam durationem. idque vel ex eo patet, quòd Petrus rebus corruptibilibus opponit vocem pretioſi: at inter rem maximi valoris & corruptibilem, quænam eſt antitheſis? cùm res maximi valoris poſſint etiam eſſe corruptibiles, & incorruptibile id eſſe, quod non eſt maximi valoris. Præterea maximi valoris id etiam dici poteſt

Pretioſum eſſe apud Petrum, eſt æternum eſſe.

Pretioſum eſſe, non eſſe maximi eſſe valoris.

test esse, quod in suo genere maximi est valoris, licèt non absolutè prorsus. Itaque etiamsi non concedatur, Christi sanguinem eatenus esse maximi valoris, quòd apud Deum aliquid meruerit, vel pro nobis satisfecerit: maximi tamen valoris est, quia Christo Iesu causa extitit divinæ potentiæ, quam nunc habet, nobis verò salutis æternæ, quam speramus.

Maximi valoris esse nō infert satisfactionem.

Sanguis Christi cur maximi etiam valoris dici possit

Alterum errorem facit Smiglecius, quòd dico, non sola morte Christi peccata hominum expiata esse, sed illius etiam resurrectione & exaltatione; quo nihil rectius aut sanctius dici potuit. nam *si Christus non resurrexit, adhuc in peccatis nostris sumus*, ait Paulus. Smiglecius *me, & Pauli mentem non intelligere, & omnibus scripturis, quæ peccatorum expiationem soli morti Christi tribuant, contradicere*, ait. Ego verò dico, etiamsi mens ea esset Pauli, quam ei tribuit Smiglecius, Smiglecium tamen a Paulo unâ mecum refutari. Mentem Pauli ait esse, *quòd argumentetur, probans Christum necessariò resurrexisse. Nam si non resurrexit, non potuit nos a morte liberare.* Iam quis non videt hinc, quòd Christus, nisi a mortuis resurrexisset, a morte nos liberare non potuerit, consequi, non morte sola expiata esse peccata nostra. Nam si morte sola expiata fuissent, jam perfecta fuisset quoad nos, salus nostra ipsâ morte: nec nostri causâ, vel ob expianda peccata nostra, opus fuisset Christum resuscitari. Quod quàm absurdum sit, nemo non videt. Christus enim resurrexit propter nostram justificationem. Deinde, *soli* morti scripturam attribuere expiationem peccatorum prorsus falsum est, nec a Smiglecio ullo sacrarum literarum testimonio probari potuit. Tantùm enim unum affert testimonium, in quo dicitur, Christum esse traditū propter peccata. Reliqua verò quomodo huc faciant, non apparet. Nam Rō:6. nihil prorsus de expiatione peccatorū dicitur, ut nec 2.Cor:5. 14.: sed in priori tantùm dicitur, nos unâ cum Christo mortuos esse peccato, & veterem nostrum hominem esse crucifixū cum Christo, ut destruatur corpus peccati; hoc est, docetur, quòd deceat nos etiam in posterum vitam piam instituere, ut Christus semel mortuus est, & nunc æternùm vivit. Nihil autem de expiatione, vel remissione peccatorū ibi dicitur.

Mentem, quā Smiglecius Paulo affingit, Smiglecium refutare.

Soli morti Christi expiationem peccatorum tribui, falsum.

In altero etiam loco tantùm dicitur, *si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt*, quod tantùm abest, ut de expiatione & remissione peccatorū intelligi debeat, ut nec de peccato necessariò intelligendū esse constet, & audacię sit accusandus Smig:, qui de suo addiderit, *id est, peccato*. Possunt enim illa verba simpliciter accipi, quòd omnes debeant vel possint censeri pro mortuis, hoc est, pro talibus, qui non sint sui juris, ut sequentia verba declarant, *& pro omnibus*

Smiglecius de suo ad scripturas addit.

Sēsus loci 2. Cor: 5. eruitur.

mortuus est, ut qui vivunt jam non amplius sibi ipsis vivant, sed ei qui pro illis mortuus est & resuscitatus. Vivere autem Christo, ut ex sequentibus apparet, est, non tantùm a peccato desistere: sed etiam, legis ceremoniis abjectis, religionem illius spiritualem sequi. Sic enim ait ulteriùs. *Itaque nos ex nunc neminem novimus, secundùm carnem. Si verò & cognovimus secundùm carnē Christum, sed & nunc non amplius cognoscimus. Itaq; si quis in Christo (est) nova (est) creatura, vetera transierūt, ecce nova facta sunt omnia.* Et si tamē de peccato etiam ipso intelligi verba illa debeant, quod libenter concedimus, imò alibi etiā urgemus, tantùm indicatur, Christi mortem causam esse, cur debeamus peccato mori. Hoc verò quid commune habet cum expiatione vel remissione peccatorum, de qua nunc disputari cœperat. Non enim quæstio est, an morti Christi tribuatur, quòd in nobis efficiat, ut a peccato cessemus, sed an soli morti expiatio peccatorum tribuatur. Vnde non

Dolus Smiglecii

sine ingenti dolo Smiglecius, cum demonstrandum illi esset, soli morti Christi scripturam tribuere expiationem peccatorum nostrorum, ait, scripturam tribuere *morti Christi liberationem a peccatis.* Quæ terminorum tam turpis immutatio, satis superque docet, aut Smiglecium rem non intelligere, de qua nunc disputatur, aut datâ operâ ita eum velle intricare, ut cum suis erroribus delitescere possit.

Expiationem peccatorum & liberationem a peccatis, differre.

Nam quis non intelligit, expiationem peccatorum, & liberationem a peccatis ita differre, ut effectum & causam sine qua non (ut loquuntur in scholis;) & liberationem a peccatis nostram etiam requirere operam, expiationem verò peccatorum extra nos prorsus in solius Dei & Christi voluntate esse positam? Falsum igitur prorsus est, expiationem peccatorum nostrorum sola morte Christi confectam esse: requiri autem ad eam Christi exaltationē, vel resurrectionem, in sensu nobiliori pro ipsa etiam Christi exaltatione sumtam; tum locus primus a Smiglecio allatus, tum alia non pauca sacrarum literarum

Ad peccatorū expiationē requiri Christi exaltationem.

comprobant. Nam dum ait Paulus, Christum, qui est traditus propter peccata nostra, resuscitatum esse propter justificationem nostram, quid aliud dicere voluit, quàm, ut necesse erat, Christū peccatorū delendorum causâ mori: sic etiam necesse fuisse, ut ad perficiendā nostram salutem, quæ in expiatione peccatorum consistit, ex mortuis Christus resuscitaretur; hoc est, divinâ potentiâ donaretur. Nihil enim aliud esse expiationem peccatorum, quàm justificationem, tum per se constat, tum alibi suprà a nobis fusè demonstratū est.

Remissionem vel expiationem peccatorum, justifi-

Et sanè magna hîc iterum se prodit Smiglecii in rebus divinis ignorantia, qui semel liberationem ab ipsis peccatis cum expiatione peccatorum misceat; & rursus expiationem peccatorum a justificatione diversam esse statuat, cùm tamen ista omnia, remissio peccato-

rum, expiatio peccatorum, justificatio, redemtio, glorificatio nostri, unum & idem prorsus significent; & non tam re, quàm ratione quadam differant. Omnia enim illa in Christi demum adventu reipsa perficientur.

Cationem, redemtionem & glorificationem, idem esse reipsa.

Iam si dicat Smiglecius, non semel morti Christi tribui expiationem peccatorum, nulla facta mentione exaltationis Christi, dicendum est, non ideo id fieri, quòd soli morti res ea tribui debeat: sed quòd non nisi morte interveniente, vel per mortem fieri potuerit, vel facta sit; & tacitè indicari, alia re, quàm ipsa morte id perficiendum esse, quæ scilicet mortem illam consecuta est. Sed de hoc suprà suo loco fusiùs.

Cur interdū morti soli tribuatur expiatio peccatorum.

Iam tandem ad tertium errorem deveniamus, quem cum primo eundem esse iterum dicimus. Idem enim est, sacrificium Christi non comparasse nobis remissionem peccatorum; & idem, eandem nobis non impetrare. Nolo autem hîc exaggerare Smiglecii lapsum, qui verba quædã, ex libro Socini de Servatore pag:168., citans, non animadvertit, illum, non tam ex suo, quàm adversarii sensu ea dicere: sed quomodo Smiglecius probare annitatur, Christi sacrificium nobis impetrare remissionem peccatorum, videamus. Locum citat Heb:12. 24., in quo sanguinem Christi melius loqui dicitur, quàm Abel. Sed quid sit, sanguinem Christi melius loqui, non intelligit, dum ait, *eum veniam peccatorum impetrare*. Hoc enim est, tacitè id, quod est in quæstione, sumere. Potest autem dici melius loqui sanguis Christi, quàm Abel, quia Abel & sanguis ejus vindictam postulabant: Christi verò sanguinis clarè testetur, rem meliorem, nempe remissionem peccatorum & gratiam. Nam tam id, quod aliquid testatur, quàm quod aliquid postulat, loqui dici potest impropriè; & potest vox *loqui*, cùm de sanguine Abelis sermo est, provocationem, quandam ad vindictam, cùm verò ad sanguinem Christi accommodatur, testificationem quandam singularem divinæ charitatis denotare. Nec debuisset sanè Smiglecius, ex loco, qui totus figuratus est, rem tanti momenti demonstrare, nisi causam suam prorsus suspectam reddere voluit.

Cur sanguis Christi melius loquatur quàm Abelis.

Vox loqui, dupliciter accipi potest.

Iam quæ de vi precum hîc asserit, prorsus sunt otiosa & inepta. Miscet enim Smiglecius Christi interpellationem, quæ illi in cœlis degenti tribuitur, cum veris precibus, quibus hîc in terris degens usus fuit, quo vix aliquid rudius dici potest. Cùm enim nunc Christo tribuitur potestas absoluta, in negotio salutis nostræ, adeo ut pater neminem judicare, sed omne judicium dedisse filio dicatur, necesse prorsus est, aut Christi interpellationẽ impropriè accipere, aut Christum abnegare. Nec enim is rex noster potest esse cœlestis, qui pro-

Interpellatio propriè de Christo accepta, tollit Christum.

Smiglecii de Christo confeßio sibi contraria.

priè pro nobis interpellat, & precibus aliquid ab alio impetrat. Et mira est hîc ipsius Smiglecii intricatio. Iam enim confitetur, Christum esse naturâ Deum: jam contendit, eum pro nobis propriè interpellare. Quæ verè sunt pugnantia. At repugnantia, quæ inter Christi interpellationem, & divinam potestatem esse videtur, nullo negotio tollitur; si id, quod Christo detrahit si propriè accipiatur, accipiatur impropriè, respectu scilicet habito ad vetus Fœdus, in quo sacerdos etiã orare pro populo tenebatur: quæ verò de potestate illius dicuntur, propriissimè accipiantur; ut pote sine quibus Christus is esse nequit, quem nos eum esse confiteri tenemur. Qua de re alibi plura diximus contra ipsum Smiglecium.

Quomodo id, quod liberaliter offertur, non opus sit impetrare.

Porrò, cùm liberalitatẽ cum impetratione conciliare studet, tantùm abest, ut aliquid rectè dicat, ut etiam meam mentem parum rectè expresserit. Ego enim dico, non opus esse id alicui impetrare, quòd iam liberaliter oblatum est, eo sensu, quòd non opus sit efficere, ut illud offeratur nobis, quod Smiglecius affirmat in hoc negotio redemtionis nostræ. Is enim sentit, Deum non remissurum fuisse nobis peccata, nec de oblatione ejus vel cogitaturum fuisse, nisi accessisset oblatio satisfactionis Christi; & ita Christum impetrasse nobis a Deo remissionem peccatorum. Aliàs enim nemo negat, postquam liberaliter promissa est a Deo remissio peccatorum: necesse esse, ut nos in Christum credamus, & eidem obediamus; & continenter etiam Deum oremus, ut illud, quod liberaliter promisit, & quod nemo ab eo impetravit, reipsa tandem dare velit. Sic enim Deo visum est, ob justas & Deo dignas causas, sine his conditionibus nemini reipsa dare, quod promiserat sponte sua.

Quatenus id quod liberaliter offertur, impetrari queat.

Non possum autem non ridere Smiglecii conditiones, *quas Deum adiecisse ait, ad promissionem remissionis peccatorum, quarum unam ex parte Christi ait esse, si pro peccatis mortuus fuerit, alteram ex parte hominum, si per media a Deo instituta quærant, & postulent a Deo peccatorum veniam.* Vtrumq; enim hoc falsum est, vel saltem captiosum. Quis enim unquam audivit, vel legit in sacris literis, Deum ea conditione promisisse nobis peccatorum remissionem, si Christus pro peccatis moriatur? Christo propositum fuisse prẹmium exaltationis, si pro peccatis hominum moreretur, dici potest. Quia hoc non in sua voluntate Deus situm esse voluit, ut Christus moreretur, sed Christi ipsius consensum accedere ad id oportuit prorsus: At nobis promissam fuisse remissionem peccatorum ea conditione, si Christus pro peccatis moreretur, oratio est ut insolens, sic etiam admodum absurda. Hac enim ratione affirmatur, Dei benignitatem pependisse aliunde, non

Mors Christi non est conditio adjecta ad promissionem remissionis peccatorum, sed promissionis confirmatio.

de, non ex ipsius spontaneo decreto & misericordia, cùm tamen De⁹ ab aliquo dependere dici nō possit, sine blasphemia. Is enim propter se peccata nostra nobis remisit. Christi verò mors non est conditio adjecta promissioni, sed est promissionis confirmatio, & medium ejus rei, per quam promissio ad effectum perducenda est, nempe Christi divinæ potestatis. Quæ verò media appellat ex parte hominum, ea partim nulla sunt, ut sacramenta; & fortassis septem, quæ Romana Ecclesia numerat; nec enim ulla veri vel similitudine probari potest, ea, quæ jurè quodammodo ita appellari possunt, pro mediis a Deo institutis habenda esse, per quæ quæramus & postulemus a Deo peccatorum veniam, nedum ut id de aliis, quæ nullo jurè ita vocari merentur, dici queat: (Sacramentum enim quod vocant Baptismi, professio tantùm publica nominis Christi est: Cœna verò Domini, mortis Christi commemoratio & annunciatio;) partim hîc nominari non debuerunt. Nunc enim non de eo quæstio est, an post oblatam a Deo remissionem peccatorum, aliquid faciendum sit illis, qui eam reipsa expetūt, sed an aliquis a Deo impetrare potuerit, ut illam nobis offerret, & conditiones pro illa consequenda proponeret. Nā si Deus illa nobis sponte sua non obtulisset, & conditiones proposuisset, frustra nos omnia ista faceremus, quæ media esse ait Smiglecius, ad consequendam peccatorum veniam. Summa rei est. Non quæritur, quid Deus ab eis requirat, quibus promisit remissionem peccatorum: sed quid Deum commoverit, ut peccatorum veniam nobis certis conditionibus promitteret. Hoc autem conditiones, quas Deus nobis imposuit, effecisse, ineptum, imò contradictorium est.

Sacramenta non esse media ad cōsequēdam remissionem peccatorum.

Media vera non effecerunt, ut peccatorum remissio offerretur.

Verus quæstionis status exprimitur.

Dicimus etiam, Christum N.F. non acquisitorem & impetratorem, esse, sed sponsorem tantùm & mediatorem. Unde colligimus, eum non impetrasse remissionem peccatorum. Quid hoc clariùs dici potest? Smiglecius tantùm hoc opponit, *quòd Christus sanxerit N. F. sanguine suo in remissionem peccatorum fuso.* Quasi verò is etiam non dicatur jurè fundere sanguinem in remissionem peccatorum, qui eo fine sanguinem fundit, ut homines peccatorum veniam consequantur, quocunq; tandem id modo fiat. Tantùm igitur hoc loquendi modo fructus fusionis sanguinis Christi præstantissimus innuitur, quem etiam nos agnoscimus: at modus, quo iste fructus percipi possit, in his verbis prorsus non exprimitur.

Sanguinem Christi in remissionem peccatorū fusum esse, non infert Christum N. F. acquisitorē propriè esse.

Legalia sacrificia Deum placandi vim habuisse, & impetrandi *cū quadam congruentia* remissionem peccatorum, nihil etiam juvat Smiglecium, duplici de causa. Parum enim est placationem ostendere, cùm de satisfactione sermo est, cùm illa prorsus sint diversa, ut anteà diximus.

Placare & satisfacere differunt.

dixumus. Præterea, etiamsi vim impetrandi, cum quadam, ut obscurè & captiosè ait Smiglecius, congruentia habuisse dici possit, ad impetrandam remissionem peccatorum, quæ sub V. F. remitti poterant, hoc est fragilitatum: tamen hoc ad rem nihil facit, ut antè diximus. Nunc enim de eo quæritur, quid Deum commoverit ad talia sacrificia instituenda, per quæ remissio peccatorum impetraretur: non verò quales Deus conditiones illis injunxerit, quibus remissionem peccatorum proposuerat. Et hîc cardo rei vertitur: nec animadvertit Smiglecius, se, dum fatetur, Deum ad promittendum a nemine inductum fuisse, totam causam suam miserè prodidisse. Nam si ad promittendum a nemine fuit inductus, a nemine etiam satisfactionem flagitare potuit. Quis enim non ridiculum id esse videt, si quis dicat, se sponte sua non promittere remissionem peccatorum, sed ea conditione, ut alius pro peccatis sibi satisfaciat? Talem autem Deum Smiglecius constituit, & ut constituat prorsus necesse est, quàmdiu sententiam suam tueri voluerit.

Deus a nemine ulla re inductus ad promittendum remissionem peccatorum.

Deniq; applicationem istam satisfactionis Christi etiam exploseram antea, ea ratione, quòd, ubi est solutio pro debito, jam satisfactio pro illo est; nec ullo modo opus est, ut is, pro quo aliquid solvitur, sibi solutionem istam applicet. Iam enim ipsius est, quia pro illo facta est. Smiglecio hîc etiam hæsit aqua. Nihil enim ad argumentũ respondens, tantùm suam nobis narrat opinionem, quæ est: *Etiamsi cùm absolutum solvitur debitum, nulla conditione apposita, sequatur absolutè liberatio; tamen cùm ita solvitur debitum, ut in manu ejus, cui solvitur, sit applicare ad libitum cui velit illam solutionem, non sequitur liberatio, sed applicatione opus est.* Iam quis unquam audivit de tali Christi pro nobis Deo præstitæ solutione, (sic autem nunc ex hypothesi loquimur) ut in manu Dei sit, cui velit, eam applicare? Nonné, ut a Christo pro nobis præstita solutio, unum, sic hæc applicatio alterum, idque crassum, figmentum censendum est? Nonné, ut fit plerumq; in talibus portentis, alterum alterum tollit, & istud satisfactionis mysterium tandem in jocum & ludum desinit, adeoq; in fumum abit? Qua de re, qui velit, plura legat in libro de Servatore, ubi figmẽtum illud prolixè refutatur. Plura enim adversus Smiglecium scribere, nihil est quod suadeat, cùm ipse nullum prorsus aut testimonium aut rationem istius suæ opinionis attulerit, sed satis habuerit, suo more, fabulam suam nobis obtrudere. Verum igitur manet, Christum nec satisfecisse pro nobis morte sua; nec applicatione illius ulla opus esse: sed Christum morte sua promissionem remissionis peccatorum confirmasse, & spem eam consequendi nobis certissimam fecisse: hãc verò

Absurda Smiglecii dicta.

Satisfactio & applicatio tollunt se invicem.

verò nos nulla alia ratione consequi posse, nisi in Christum credamus, & eidem obediamus.

Error Smiglecii, circa redemtionem per mortem Christi omnium omnino hominum, quotquot ab origine mundi extiterunt, detegitur.

Caput X.

OMNEM errorem fœcundũ esse, vel hæc sententia Smiglecii, quã hoc capite probandam suscepit enim comprobat. Nondũ, probavit, nec probare unquam poterit, Christi morte pro peccatis eorũ, qui sub N. F. post Christum mortuum vixerunt, satisfactum esse: & tamen eadem morte Christi pro peccatis omnium, qui ab initio mũdi fuerunt, satisfactum esse, probare nititur. Vbi inprimis animadvertendum est, astutè pro eo, quòd dicendum erat, Christum morte sua pro peccatis omnium, quotquot ab orbe condito extiterunt, Deo satisfecisse, dicitur, eum omnes istos redemisse. Licet enim id, accuratè loquendo, possit verè negari: potest tamen, sensu quodam vulgari & populari, admitti; quatenùs scilicet Christus, qui nos redemit & redemturus est, omnes illos etiã olim redẽturus, id est, a morte liberaturus est. Sed nunc rem videamus. Loca igitur sacræ scripturæ iterum allegat Smiglecius, & rationem etiam, quam antea protulerat, urget. Ergo & nos responsionem ad ea iterare, quantumvis id absurdum sit & tædiosum, cogimur.

Astutia Smiglecii.

Christum omnes redemturum, dici potest.

Primus locus est Hebr: 9.26. quem Smiglecius & vitiosè ascripsit, & proinde etiam pessimè ex eo argumentatur. Sic autem habent verba: Neq; (scilicet in cœlum introivit) *ut sæpè offerat semetipsum, quemadmodum pontifex intrat in sancta per singulos annos in sanguine alieno. Alioquin oportebat eum frequenter pati, a constitutione mundi, nũc autem semel in consummatione seculorum, ad destitutionem peccati per hostiam suam apparuit.* Quæ si ita junctim legantur, nullam vel levissimam suspicionem de sacrificii Christi efficacia, quæ ad omnes, quotquot ab orbe condito extiterunt, pertinet, movere possunt: etiamsi mentio fiat temporis a constitutione mundi, quæ verba, dum ita sola urgentur, ut fit a Smiglecio, sine omni ratione, & magna cum nausea lectoris, aliquid ejus, quod ille affirmat, continere videntur. Nam & antecedentia verba & consequentia docent exprefsè, quid autori isti propositum fuerit, nempe docere, unicam oblationem Christi sufficere ad peccata delenda, ideoq; non opus esse repetitione. Rationem

Sensus loci Heb: 9. eruitur.

autem addit, quòd, si unica oblatio non sufficeret, sed eam iterare necesse esset, necesse etiam futurũ sit, ut mors Christi iteretur. Nam sacrificiũ sine morte antecedẽte esse non potest. Quia verò absurdũ sit, Christũ frequenter mori, absurdũ etiam esse, sacrificium iterandum esse. Idq; hac ratione inserta verbis sequentibus constanter iterat: *nunc autẽ semel in consummatione seculorum* &c. Unde apparet, illum in eo tantùm opponere sacrificium Christi, legalibus illis anniversariis, quòd hæc repeti oportuerit, illud verò non item; & quemadmodum ex eo, quòd legalia sacrificia repetebantur, apparebat, ea non sufficere ad tollenda peccata: sic quia Christi sacrificium non repetitur, hinc apparere, illud sufficere ad peccata tollenda. Ut autem sacrificium legale, non ad alia peccata tollenda non sufficiebat, quàm ad futura. Præterita enim eo modo, quo tunc opus erat, tollebat: sic Christi sacrificium non ad alia peccata tollenda sufficit, quàm ad futura. Verba autem illa: a *constitutione mundi*, per modum quendam loquendi dicta esse, út scilicet, quid fieri necesse fuisset, evidentiùs appareret; si, quò sæpiùs se obtulisset, eò magis peccata nostra expianda forent, nõ ineleganter docuerat Socinus; & ita verè dictum ab eo fuerat, contrarium ejus, quod Smiglecius sentit, ex verbis autoris illius colligi posse. Nam si sacrificium Christi ad eos etiam pertineret, qui ab orbe condito extiterunt, non necesse fuisset, ut frequenter a mundi origine pateretur. Iam enim sacrificium illius, peccatis etiam eam antecedentibus prodesset absq; passione.

Smiglecius in eruendo sensu istorum verborum, primùm sibi & aliis imponit, dum ait: *sacrificium legale non sufficiße ad omnia peccata tollenda, Christi verò sacrificium omnia tollere*, vocabulum *omnia* pertrahens ad peccata & præterita & futura, & sacrificiũ legale Christi sacrificio hac in re tacitè opponẽs: cùm tamen vera oppositio inter legale & Christi sacrificium sit, quòd illud peccata præterita, quæ tunc expiari poterant, hoc est, per fragilitatem commissa, tollebat; vera autem peccata & futura peccata minimè: hoc verò peccata vera, & futura etiam, quatenus ex fragilitate proficiscuntur, & in habitum non degenerant, tollat. Atque ita planè contrarium ei, quod dicendum erat, dicit Smiglecius. Insufficientia legalis sacrificii, nempe anniversarii in eo erat, quòd tantùm præterita peccata, eaque levia, & per fragilitatem & ignorantiam commissa, suo modo expiabat, vel ipso peracto expiabantur: Christi verò sacrificium peccata gravissima præterita & futura, si per fragilitatem & ignorantiam committantur, tollit & expiat.

Vera oppositio sacrificii legalis & sacrificii Christi.

Iam hoc lapsu admisso, quomodo Smiglecius vim argumenti recte ex-

etè explicare poterit? Quam ille in solis verbis, *a constitutione mundi* totam ponit, cùm hæc verba ad rem exaggerandam potiùs, quàm demonstrandum addita fuerint. Vis autem argumenti in eo sit, quòd, nisi sufficeret ad peccata omnia futura tollenda Christi sacrificium, necesse futurum esset, ut Christus frequenter pateretur, ut antea demonstravimus. Vnde constare puto, Smiglecium ad scopum non collimasse, dum talem ex verbis autoris illius argumentationem nectit, quæ ad omnia peccata absolutè, & ad præterita etiam pertineat.

Vim argumenti non consistere in verbis, *A constitutione mundi*.

Porrò cùm dicimus, etiamsi concedatur, sacrificium Christi ad eos etiam pertinuisse, qui ab origine mundi fuerunt, hinc tamen non consequi satisfactionem, cùm scilicet aliis modis ad eos pertinere potuerit; vel quòd fide fructum ex illo colligerent, ut & nos; vel quia beneficio sacrificii Christi vitam æternam consecuturi essent. Christus enim per mortem suam factus est judex omnium vivorum & mortuorum, nihil aliud opponit Smiglecius, *quàm eodem modo pertinere ad illorum peccata tollenda sacrificium Christi, ut ad nostra tollenda pertinet; & sicut ad nostra per modum satisfactionis pertinet, sic etiam ad illorum priscorum peccata tollenda per modum satisfactionis pertinere.* Quod, annon sit crasse principium petere, & ita caussam suam prodere, omnibus cordatis judicandū relinquo. Iam quòd addit, ad hanc suam assertionem comprobandam fortassis, *cùm per fidem in Christum nobis peccata dicuntur remitti, non quancunque fidem intelligi, sed fidem in sanguine illius, seu fidem redemtoris, quòd dederit semetipsum redemtionem pro omnibus*, in eo partim falsum dicit, partim pessimè concludit. Falsum est, quod de fide in sanguine Christi dicit. Verba enim Pauli Rom: 3., (unde procul dubio Smiglecius sua adduxit) *quem proposuit Deus propitiationem per fidem, in sanguine ipsius*, ita intelligi possunt & debent, ut verba, *in sanguine ipsius*, pendeant a voce, proposuit, vel a verbis *proposuit eum Deus propitiationem*, & cum his, non verò cum proximè præcedentibus, *per fidem*, conjungenda sunt; & statuendum, Paulum duo exprimere voluisse illis verbis, *per fidem, in sanguine ipsius*. Vnum est, quod Deus proposuerit quidem Christum propitiationem, sed non simpliciter; quasi scilicet nihil ab eis requirat, quibus se per Christum propitium obtulit; sed quòd requirat ab eis fidem, fidem, inquam in Christum, non in sanguine illius. Alterum est, quòd Deus non simplici & vulgari quodam modo Christum propitiationem proposuerit, vel propitium in eo se obtulerit, nempe sola per annunciationem Evangelii gratiæ oblatione, sed modo ita singulari, ut nullus eo efficacior esse potuerit, nempe in sanguine,

Quomodo Sacrificium Christi ad omnes pertinere dici possit.

Smiglecius principium petit.

Sensus loci Rom: 3.

Cur dicatur, Deū proposuisse Christum propitiationem per fidem.

Cur dicatur eundem proposuisse propitiationē in sanguine Christi.

hoc est, per sanguinem Christi. Et certè nimis ineptè ita conjunctim diceretur, *per fidem in sanguine ipsius*, tum quia in re aliqua fidem habere sit insolens. hoc enim personis tantùm competit: tùm quia si de fide in re aliqua collocãda sermo esset, *non in sanguine*, sed *in sanguinem*, dicendum fuisset. Pessimè autem concludit, dum ex eo, quòd credere debemus, Christum pro nobis semet ipsum dedisse redemtionem, & sanguine suo nos redemisse, colligit, nos credere etiam debere, Christum pro nobis satisfecisse. Hæc enim ita inter se differunt, ut alterum ex altero non tantum non consequatur, sed alterum alterum tollat, si considerentur ea, quæ suprà a nobis non uno in loco dicta sunt, quòd scilicet ista redemtio non propriè accipienda sit. quia nemini quicquam pro nobis datum est; & quòd ipse Deus nos sponte sua redemerit per Christum, & peccata nobis non imputârit.

Quomodo redemtio & satisfactio pugnent.

Dum deniq; ait, *non satis esse dicere, Christum illos* primæ vos *fideles vitâ æternâ donaturum, sed necesse etiam esse dicere, peccata quoque illorum sua oblatione unica abstulisse*, iterum prodit, quàm graviter erret, dum non intelligit, tunc verè & perfectè peccata auferri, cùm quis vitâ æternâ donatur. Hinc est, quòd nostra beatitudo & remissio peccatorum promiscuè in sacris literis accipiantur. Iam, si de ipsis peccatis intelligat sua verba Smiglecius, non opus fuisse dicimus, ut Christus ea auferret ab illis priscis. Aliis enim rationibus Deus illos a peccatis revocabat, nempe propositis partim præmiis partim minis, quæ pro captu illorum essent.

Tũc peccatũ perfectè aufertur, cùm vita æterna donatur. Rom:4. 6,7.

Extra Christũ ab antiquis, Deus peccata ipsa abstulit.

Secundus locus Rom: 5. iterum vitiosè vel negligenter a Smiglecio primùm citatur. Nam versiculum 12., eumq; nõ integrum cum altero versiculi 15. membro cõjungit, hoc modo: *sicut per unum hominem peccatum in mundum (in hunc mundum* habet audax Smiglecius) *intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit: multò magis gratia Dei & donum, in gratia unius hominis Iesu Christi in plures abundavit*. Quasi scilicet versu 15 apodosis, quam vocant, habeatur istis protasis, quæ est v.12., quo nihil falsius dici potest. Et certè verba, *multò magis*, non solent opponi voci *sicut*. Hæc enim similitudinis, illa comparationis nota sunt. Sed hic modus agendi Smiglecio familiaris est, ut vel hinc appareat, nõ tam curare eum, ut nos, qui ista non possumus non attendere, aliquid veri doceat; quàm, utquocunque modo aures aliorum impleat. Nam sive hoc datâ operâ sive negligentiâ fiat, quomodo rem tanti momenti ita a Theologo Doctore tractari non possumus dolere, & inde ingenium ejus agnoscere, adeoque in veritate confirmari? Sed, hoc misso, dico, cum nihil

Negligens & audax Smiglecius.

nihil aliud nunc afferre, præter id, quod antea dictum ab eo & a me refutatum fuerat. Summa rei est, *quòd ita ad omnes homines gratia Christi pertinere dicatur, ut peccatum Adami.* Iam verò si doceatur, vocem *omnes* pro diversitate materiæ, de qua sermo est, diverso modo, vel latiùs vel strictiùs accipi posse, nonné istud argumentum eversum est? Dixeramus autem antea, Paulum, etiamsi semel dicat versiculo posteriori, nempe 18. in omnes homines pervenisse, scilicet justificationem vitæ: illud tamen ita accipiendum esse, ut antea v. 17. dixerat, nempe de iis, qui abundantiam gratiæ & donationem justitiæ accipiunt, hoc est, grato animo admittunt. Hoc verò ad priscos illos fideles minimè pertinere, ut pote quibus ista gratia & justitia oblata non fuerint. Cui rationi nunc hæc addo: Quòd idem Paulus alibi etiam vocem *omnes* ita usurpet, ut diversè in eodem versiculo necessariò accipienda sit, cùm dicit: *Sicut enim in Adam omnes moriuntur: ita in Christo omnes vivificabuntur.* Vivificatio enim vitam gloriosam necessariò includit, & de impiis nunquam prædicatur. Præterea Paulus in eodem cap: ad Rom: & ante v. 15. de multis egerat, & v. 16. iterum de multis tantùm agit. Unde constare videtur, eum, cùm, inter istos duos interposito v. 17., de omnibus hominibus agit, satis indicare voluisse, per *omnes*, non esse intelligendos omnes universaliter sed generaliter. Nam & illi multi, qui ad Christum pertinent, in suo genere, *omnes* dici possunt, quatenus scilicet, ut Adam omnium prorsus hominum carnalis pater est, ita Christus, cujus typus erat Adamus, teste Paulo ibidem v. 13, omnium fidelium spiritualis pater est, ut ex verbis autoris epistolæ ad Hebr: quæ ex Esaia citavit, colligi potest: *Ecce ego & pueri, quos dedit mihi Deus.*

Vox *omnes*, quo modo in loco Rō: 5. restringenda & cur.

1. Cor. 15. 22.

Omnes & multi quandoque idem sunt.

Heb: 2. 13.

Ex jam dictis, quàm vana sint, quæ hîc ascripsit Smiglecius, cognosci potest. Nam primùm falsum est, quod ait Smiglecius, *Paulum loqui de omnibus hominibus, in quos per Adamum peccatum & mors pertransiit.* Nam post versiculum 12. multa interserta erant, & jam non de omnibus, sed de multis cæptum erat agi. Et hæc caussa fuit, quare Smiglecius parùm candidè v. 12. cum 17. ita conjungeret, ac si unus esset versiculus. Quæ tamen tàm audax istorum versiculorum conjunctio, nihil prorsus Smiglecio profuit. Nam v. 17. tantùm de multis sermo est, idq; cum articulo in græco addito, ut constet de certis quibusdam multis agi. Quod verò ad argumentum nostrum affert, id prorsus ineptum & nimis captiosum est. Ait, *Christi gratiam non tantùm ad gratos sed etiam ingratos pertinere, si modò eam acceptare velint.* At ego non dico, Paulum loqui tantùm de iis, ad quos gratiâ Dei pertinet: sed de iis, qui gratiam accipiunt. Potest autem ad aliquem gratia per-

Dolus Smigleoii in jungendis illis, quæ sejuncta sunt in S. literis.

Ad gratiam pertinere, & gratiam accipere, differunt.

tia pertinere, qui eam repudiat. Ait iterum, *Patriarchis & aliis præcipuis fidelibus Messiam fuisse revelatum, & proinde etiam gratiam Christi ab eis acceptam grato animo fuisse.* Sed aliud est, Messiam alicui revelari; aliud, gratiam per Messiam conferendam. Potest enim alicui revelari Messias, quatenus revelatur, cum olim venturum, etiamsi gratia per eum conferenda non reveletur. Ait tertium: *Posse aliquem grato animo accipere gratiam, etiamsi ignoretur is, qui eam impetraverit.* Sed ictum declinat, & captione se oblectat. Ego enim dico, non posse aliquem grato animo id accipere, quod non est oblatum vel revelatum illi. Ostendendum igitur erat, non quòd quis gratiam possit accipere, etiamsi autorem illius ignoret, sed quòd quis id accipere possit, quod ei non est revelatum. In illo verbosus esse potuit Smiglecius: at hic eum obmutescere oportuisset. Cōtradictio enim in eo est, accipere aliquid quod non sit revelatum. Ait ultimò, *fideles illos priscos habuisse fidem in Christum implicitam, licèt non explicitam.* Sed fides illa, fabula & commentum est Smiglecii, non minùs ridiculum quàm absurdū, & tale, quod nullo S. testimonio vel per speciem comprobari potest, ideoq; necesse non est, ut plura de ea dicamus.

Messias sine gratia per eum conferenda revelari potuit.

Accipere aliquid quod non sit oblatum, repugnat.

Implicita fides humanum est cōmentum.

Porrò cùm dicimus, ex eo, quòd gratia Christi ad priscos illos pertinuerit, non inferri Christi satisfactionem, Smiglecius tantùm dicit, *se, id consequi, aliunde probare, nempe quòd eam gratiam Christus pretio sanguinis sui comparaverit, quòd pro peccatis nostris mortuus sit, & peccata nostra portârit in corpore suo.* Verùm quia antea fusè docuimus, quàm partim falsa, partim fallacia sint, quæ hîc dicit Smiglecius, non opus est diutiùs hîc immorari.

Smiglecius idē repetit.

Tertius locus, quo affirmatur, Deum velle omnes homines salvos fieri, nihil juvat Smiglecium. Nam ut antea dixeram, de illis tantùm omnibus, sermo est, quorum Christus est Mediator. ut mox additur, *Et unus mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus.* Christus verò non omnium hominum mediator est. Tantùm enim mediator est N.F. ut Moses veteris. Addo nunc aliud, de iis omnibus hominibus sermonem esse, quos Deus ita velit salvos fieri, ut ad cognitionē veritatis perveniant. Cognitio autem veritatis non est, quicquid verum quoquo modo est, sed quod perfecto modo verum est. nempe quod in Evangelio continetur. Hæc enim in sacris literis per excellentiam veritas appellatur, & populus tantùm Christi per eos, qui veritatem cognoverunt, describitur a Paulo in eadem epistola. Nam quos semel fideles appellarat, eos iterum sic describit, *& qui cognoverunt veritatem.* Hoc autem ad alios fideles non pertinere, vel hinc constat, quòd ibi sermo est de tali re, quæ non nisi in Evangelio patefacta

Per omnes homines 1. Tim:3. tantùm eos, qui sunt sub N.F., intelligi.

Ratio 1.

2.

Ioan: 1. 17.

1. Tim: 4. 3.

facta fuit, nempe neminem teneri abstinere a cibis quibusdam, & omnem creaturam Dei bonam esse, & nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione sumitur. Atq; ita responsum est ad illud, quod Smiglecius hic urget, *sermonem esse de omnibus, quos Deus velit salvos fieri*. Hoc enim non absolute accipiendum, sed ad eos, quos per Evangelii cognitionem salvos fieri velit, restringendum esse, jam docuimus.

Quæ verò argumento priori nostro opponit, ea non tantùm infirma sed falsa prorsus sunt. Ait enim, *jure mediatorem dicendum esse, qui aliquorum debita exolvenda suscepit.* At quis hoc unquam audivit, eam esse mediatoris significationem vel id officium? Præter Christū solus Moses mediator appellatus est. Iam quis nisi mentis inops dicet, Mosen debita Israëlitarum exolvenda suscepisse? Præterquam quòd enim hoc per se ridiculum est, sententiam Smiglecii everteret, si alius scilicet sit præter Christum, qui aliorum debita exolverit. Vt igitur Moses mediator appellatus est, quia medius inter Deum & Israëlitas stetit, & Dei voluntatem illis patefecit: sic etiam Christus mediator appellatur, quia medius inter Deum & homines stetit, non tantùm in eo, quod voluntatem Dei hominibus patefecit, qua in re Moses aliquid cum eo commune habet: sed quòd etiam nos ad Deum adducat & adducturus sit, quod de Mose ne cogitari quidem potest. Is enim per Christum olim etiam ad Deum adducetur. Itaq; nihili facienda sunt, quæ Smiglecius *de sua fide* disserit, *quòd Christus homo fieri voluerit, ut peccata omnium hominum in se portaret & pœnas eorum exolveret, Deumq; respectu istius satisfactionis futuræ, omnium hominum peccata ab origine mundi remisisse.* Hæc enim Smiglecii fides nimis infida est, utpote ex meris iisq; crassissimis erroribus compacta. Quis enim unquam audivit ex sacris literis Christum hominem *fieri voluisse*, idq; in eum finem, ut pœnas peccatorum exolveret? Quis unquā audivit, Deum respectu satisfactionis futuræ hominibus ab origine mundi peccata remisisse? Nonné hic tacitè sumitur, Christum antea fuisse quàm nasceretur, quod quomodo evincat Smiglecius, hactenus invenire non potuit, nec unquam inveniet? Nonné tacitè etiam sumitur, Christum aliquam Deo satisfactionem obtulisse pro peccatis ante orbem conditum, vel saltem in ipso mundi exordio? Hoc verò quid anilius dici potuit? Cùm aliquid, quod Smiglecio absurdum vel parum rectè dictum videtur, dicimus, statim id Racoviam remittit Smiglecius: Ego verò quò istas nænias remittam? Ad Ecclesiam sanè, sed corruptissimam.

Mediatoris non esse debita exolvenda suscipere.

Quod officium sit mediatoris.

Smiglecius loco argumentorum suam fidem ineptè obtrudit.

Errores fidei Smiglecianæ.

Ait iterum, *Christum mediatorem esse veteris Fœderis, quia fideles illi, quatenus per fidem operantem per charitatem justificabantur, promissiones*

ſiones N.T. de remiſſione peccatorum & vita æterna participabant, ad gratiam novi Teſtamenti pertinebant. Sed nec ad rem, nec veri quicquam loquitur. Aliud enim eſt, pertinere aliquos ad gratiam novi Teſtamenti: aliud Chriſtum eſſe eorum mediatorem. Mediatorem enim eſſe, eſt aliquid inter Deum & homines procurare, & a Deo hominibus deferre: at participare quis gratiam poteſt, etiamſi illa a nemine offeratur. Semper enim Deus plura facit vel ſaltem facere poteſt, quàm offert. Falſum autem eſt, vel ſaltem admodum captioſum, fideles illos priſcos promiſſiones N. T. participaſſe *per fidem operantem per charitatem.* Nam fides quæ per charitatem operatur, propria eſt N. F. In hoc enim ſolo vera & perfecta proximi dilectio præcipitur: in veteri autem, ut pote ubi vindicta erat cōceſſa, fides per charitatē non poterat operari. Hinc præceptū charitatis novum, & Chriſti præceptum appellatur; & cùm per fidem priſcos illos Deo placuiſſe dicitur Hebr. 11., nunquam fidei per charitatem operantis fit mentio. Ex quo porrò conſtat, ut tunc ſub V. F. non eo modo Deo fidem ſuam probabant fideles, quo nunc probare tenentur, non ita illos pertinuiſſe ad gratiam Chriſti, ut nunc pertinent Chriſti fideles. Hi enim ex vi fœderis & promiſſionis pertinent: illi ex ſola Dei extra fœdus miſericordia, quam ſi Deus illis nō exhiberet, nullâ eos injuriâ afficeret: quod ſecus ſe habet, ubi promiſſio eaq; incluſa fœderi interceſſit.

Ad gratiam aliquos N.T. pertinere, & Chriſtum eorum eſſe mediatorem, diverſa ſunt.

Fides per charitatē operans, propria eſt N.F.

Joan. 13. & 15.

Alio modo priſcos fideles ad gratiam Chriſti pertinuiſſe, quàm hodie fideles pertinent.

Ait tertiùm: *Fideles illos ſecundùm diverſas rationes ad V. & N. F. pertinuiſſe, quia non ex veteri Fœdere ſed ex novo remiſſionem peccatorū accipiebant.* Sed iterum ictum declinat. Docendum enim erat, quomodo Chriſtus V. T. mediator etiam fuerit, non quomodo fideles priſci ad N. T. pertinuerint. Quanquam, & hoc falſum vel ſaltem captioſè dictum eſſe, jam oſtendimus. Quæ verò ad iſtam ineptam aſſertionem confirmandam affert Smiglecius, ipſiſſima ſunt ignorantia. Nam dum Paulus ait: *non omnes, qui filii carnis, filios Dei eſſe, ſed qui filii ſunt promiſſionis,* & cùm diſtinguit Iudæum carne & Iudæum ſpiritu, non fideles intelligit, quatenus ſub V. F. erant: ſed quatenus, qui ſub V. F. fuerant, in Chriſtum crediderant. Hi enim ſoli ſunt filii promiſſionis & Iudæi ſpiritu. Diſtinctio porrò Pauli inter literam occidentem & ſpiritum, neſcio quid huc faciat, niſi fortaſſis ut Smiglecium errantem nobis indicet. Nam ſi ſpiritus eſt Evangelium, & litera lex, lex autem occidit, quomodo fideles ſub lege poterant participare promiſſiones Evangelii, eo ſenſu quo vult Smiglecius? cùm hæc naturâ pugnent.

Smiglecius perpetuò terminos mutat.

Quinám ſint filii promiſſionis & Iudæi ſpiritu.

Ineptia Smiglecii.

Ait quartò, *cùm Paulus dicat, unum tantùm eſſe redemtorem hominum, ſicut & unum Deum, alterum ex duobus fatendum eſſe, nempe eos, qui ante*

qui ante Christum fuerunt, vel redemtore non eguiße, vel Christum redemtorem habuiße. At Paulus nusquam dixit, unum tantùm esse redemtorem hominum: sed tantùm ait, unum esse mediatorem Dei & hominum, idq; sub novo Fœdere, ut suprà indicatum est. Nam eadem scriptura seipsam explicat, dum Christum hominem, quem hic Mediatorem Dei & hominum appellat, alibi mediatorem novi Fœderis esse affirmat. Erat enim antea Mediator V. F. præter Christum, quo durante, Christus mediator esse non potuit; nisi velimus duos simul & semel fuisse inter Deum & homines mediatores.

Nusquam dici, unum tantùm esse redemtorem hominum.

Vnus mediator Dei & hominum sub N. tantùm F. dicitur.

Vnde constat, jurè me reprehendisse Smiglecium, qui, cùm demonstrandum illi esset, unum esse omnium prorsus mediatorem, captiosè ait: unum esse omnium redemtorem, & ita loco mediatoris redemtorem substituit, cùm, ipso Smiglecio teste, nemo nesciat, redemtorem dari sine mediatore. Qui dum hunc errorem corrigere satagit, in alium incidit: Dicit enim, *mediatorem talem, qui dedit semetipsum redemtionem pro multis, eße etiam mediatorem & hoc sensu voces has pro eodem habendas.* At quis falsum esse non videt, redemtorem talem, qui seipsum dedit redemtionem pro multis, esse etiam mediatorem? Nonné enim, naturâ rei inspectâ, redemtor aliquis, qualemcunq; tandem velis, esse potest, qui idem non sit mediator? Cùm ad talem redemtorem constituendum satis sit, eum dedisse seipsum redemtionem pro aliis: ad mediatorem autem constituendum requiratur, ut, inter Deum & homines medius quasi constitutus, divinam voluntatem hominibus annunciet, & homines ad Deum adducat. Concurrunt quidem ista duo in Christo reipsâ, tamen idem nō sunt: sed qui mediator est novi Fœderis, is etiam semetipsum redemtionē dedit pro multis. Præterea si idem esse concedatur redemtor & mediator, tunc ad novum tantùm fœdus ista omnia referenda esse necesse est, & Smiglecius frustra id urget. Vt enim Christus non est mediator Dei & hominum nisi sub N. F.. est enim mediator tantùm novi fœderis: sic etiam idem mediator seipsum pro omnibus aliis redemtionem dare non potuit, quàm pro iis, quorum est mediator. Ista porrò consideratio Smiglecii, quâ *Deum unum eße statuit,* hîc non admodum valet. Paulus enim non respectu eorum, quæ ante Christum fuerunt, sed respectu diversorum vel diversæ vocationis hominum, ad quos Christi Evangelium pertinet, ait, Deum unum esse, hoc est, tam regum & principum, quàm vulgarium hominum, adeoq; omnium. Quòd verò Deus omnium, qui fuerunt, sunt & erunt, Deus unus est, id ex accidente est respectu hujus materiæ, & efficere non potest, ut mediator etiam sit omnium, qui fuerunt, sunt & erunt, sed omnium

Redemtor datur sine mediatore.

Redemtor & mediator in Christo concurrunt, non sunt tamen idem.

Christus tantùm pro illis se tradidit, quorū est mediator. Ephes. 4. 6.

Quo sensu Deus unus 1. Tim: 2. dicatur.

qui fuerunt, sunt & erunt sub N. F., cujus ille mediator est, mediator tantùm jurè appellari potest.

Smiglecius ad rem non respondet.

In V. F. non legi Deū statuisse homines per Christum salvare.

Error Pontificiorū circa locum Genes: 3.

Ait ultimò, *Deum in veteri lege dici redemtorem in his, quæ ad animæ salutem spectant, sed non nisi per Christum.* Sed hæc ad rem nihil faciunt. Docendum enim erat, redemtorem & mediatorem idem esse. Deinde, falsum est, vel saltem captiosum admodum, Deum in veteri lege dici redemtorem in his, quæ ad animæ salutem spectant, sed non nisi per Christum; nec id ullo vel testimonio vel ratione comprobavit Smiglecius. Nam quòd Deus statuit omnes homines salvare per Christum, hoc in veteri Fœdere nusquam legitur, & nos, nisi vitulâ Christi & Apostolorum arassemus, nunquam id scivissemus. Quod verò caput serpentis etiam conterere Deus statuerit Gen: 3. 13., id certè miseræ caussæ infirma est probatio. Taceo nunc, quòd ista verba de virgine Maria Pontificii, non sine magna ignorantia, intelligunt. Vnde etiam vulgata habet *Ipsa* pro *ipsum*, non ad semen mulieris, sed ad mulierem istud referens. Hoc dico, roboris in eo nihil prorsus esse. Vt enim semen serpentis nihil aliud est, quàm serpentina progenies: ita semen mulieris pro universa progenie humana accipi potest. Et si tamen ad Christum id accomodare quis velit (quod nos non negamus. eo ipso enim, quòd ad omnes homines id pertinet, ad Christum etiam potissimùm pertinere censendum est) nonné totum illud pendet non ex verbis sed ex sensu quodam allegorico, quē nunc, posteaquam semen illud mulieris benedictum, Christus Iesus, caput serpentis contrivit, nos perspectum habemus. Denique, remota captione, si dicatur, Deum dici redemtorem in lege, sed non nisi per Christum, hoc est, si vox redemtoris accipiatur pro liberatore, quemadmodum cùm de Deo dicitur, necesse est eâ sic accipi (nemini enim Deus quicquam pro iis, quos redemisse legitur, solvit,) jurè dici potest, Deum redemtorem dici, sed non nisi per Christum; quia, etiamsi Christi mors ad omnes non pertineat, salus tamen non nisi per Christum illis eventura sit. Notavit aliquid hîc Smigl:, *quòd Christus non dicatur λύτρον pretium, sed ἀντίλυτρον, quod commutationem significare ait:* Sed non expendit, perinde impropriè Paulum usum esse vocabulo ἀντίλυτρον, ut & λύτρον; &, ut Christus λύτρον appellatur, quia non secus liberatio nostra mortem Christi consecuta sit, ac liberatio sequitur pretium propriè alicui pro captivo solutum: sic etiam ἀντίλυτρον appellari potuisse, quia non secus Christi mortem nostra liberatio consecuta sit, ac si pretio pro nobis dato commutatio facta fuisset, cùm tamen revera nulla facta sit.

Semen mulieris omnes homines significare potest

Verba Genesis, quomodo ad Christum accommodari possint.

Vocem utramque λύτρον & ἀντίλυτρον impropriè accipi.

Quartus

Quartus locus est, in quo Christus dicitur propitiatio pro peccatis non nostris tantùm, sed etiam totius mundi. Ego, per totum mundum, eos, qui post Christum extiterunt, intelligendos contendo: Smiglecius eos etiam, qui ante Christum ab orbe condito fuerunt. *Rationem me nullam afferre*, ait, *cur ita sentiam*. Ego verò rationem me attulisse dico, quæ est, quòd totus mundus ibi opponatur fidelibus, ad quos Ioannes scribit. Vnde constat, per totum mundum tantùm infideles intelligi, ut etiam alibi per vocem mundi homines infideles intelliguntur. At non omnes, qui ante Christum extiterunt ab orbe condito, infideles fuerunt, adeoque mundi nomine appellari non potuerunt. Ad hanc rationem meam connivet Smiglecius, & satis habuit dicere. *Quid ita? quia Smalcio sic videtur, etiamsi nulla particula verborum S. Ioan: talem restrictionem postulet.* Quod quàm verè dictum sit, expendant alii: Ipse verò Smiglecius, loco rationis, quâ evincat, Ioannem loqui de mundo, qui ante Christum extitit, satis habuit sententiam suam de propitiatione obtrudere, quæ est, *quòd Deus a Christo sit propitiatus*, & ex illo sensu deinde astruere, *si Deus a Christo fuit propitiatus in N. F., multò magis in veteri debere propitiari* (ut nunc sic cum Smiglecio loquar) *quia nunc tempus sit gratiæ, tunc verò servitutis & severitatis fuerit.* Sed hæc astuta deductio Smiglecii errore crasso nititur, quo ostenso, corruat ea necesse est. Error autem est, quòd Smiglecius Christum propitiationem pro peccatis esse sentit, quia ille propitiũ nobis Deũ reddiderit, cùm tamen propitiatio ideo appellari potuerit & appellatus sit, quòd Deus se propitium in eo exhibeat peccatis, non tantùm fidelium, sed etiam totius mundi; si scilicet resipiscat. Quo sensu etiam, ut supra docuimus, Paulus ait, Deum ante proposuisse Christum propitiatorium per fidem, in sanguine illius. Sumta est autem hęc vox ex V. F., in quo operculum, quo arca fœderis tegebatur, Propitiatorium est (Heb: 9.5.) appellatum, non eo sensu, quòd Deum placaverit, sed quòd Deum placatum ostenderit, ut etiam ex Pontificiis scriptoribus optimè id observavit Vatablus. Vnde jam constat vanitas deductionis Smiglecianæ. Nemo enim non videt, potuisse Deum sese exhibere propitium sub N. F., quod sub veteri non fecerat; & ita ante Christum non fuisse magis in homines misericordem, quàm nunc est sub Evangelio. Astutè autem Smiglecius, ut rem suam obtineat, propitiationem per propitiatorem explicat, & pro eodem utrumque sumit, cùm tamen nusquam propitiator appelletur Christus, ut appellatur propitiatio.

Cur 1. Ioan: 2. per totum mundum ii tantùm, qui post Christum extiterunt, intelligendi.

Christus propitiatio, nõ quòd Deum propitiũ reddiderit, sed quòd declaraverit & declaret.

Operculum arcæ F. propitiatoriũ cur appelletur.

Christus non appellatur propitiator.

Quintum locum iterum urget Apoc: 5. 9., ubi viginti quatuor ca-

nūt agno: *redemisti nos in sanguine tuo ex omni tribu, lingua, & populo, & natione.* Sed non probat, in illis verbis describi populum Dei totum, qui unquam extitit: res autem ipsa loquitur, populum eum tantùm intelligi, qui post Christum non tantùm natum & in mundum missum, sed etiam mortuum & exaltatum extitit. Gratias enim agit agno, quòd eos jam redemerit in sanguine suo, quod de iis, qui ante Christū fuerunt ab orbe condito dici non posse quis non intelligit?

Act: 5. tantùm eum populum describi, qui post Christi exaltationem extitit.

Per 24. seniores intelligi etiam capita populi divini quæ sub V.F. fuerunt, anile quiddam est, nec ulla verisimilitudine nititur: concessum etiam nihil juvat Smiglecium. Nam aliquot seniores non sunt populus universus. Hunc defectum Smiglecius sarcire voluit, dum ait, *eos nomine totius populi cecinisse.* Sed commentum hoc nimis iterum audax est. Non enim, quod pauci quidam faciunt, alios infinitos facere dici potest, nisi fortassis, alium pro alio res ad religionem pertinentes exequi posse, non minus ridiculè quàm absurdè statuamus. Per eosdem seniores intelligi principes populi Dei, captiosè etiam dictum, imò falsum est. Nam ad populum Christi constituendum nullis principibus opus est, ut per aliquot secula post Apostolos Christianæ reipub. status satis superque declarat. Quem enim principem nominare possumus ex s. literis, qui Christo ab initio adhæserit? Si alios Smiglecius principes populi Dei appellet, nimis certè eos extollit, & ex eo, quod Deo permittente evenisse videmus, id Deum, ut eveniret voluisse, colligit.

Incerta Smiglecii dicta.

Seniores 24. non esse universum populum.

Eosdem seniores non esse principes mundanos.

Porrò, dum me *nimium arrogantem & protervum esse*, ait, *qui Doctores, nempe Pontificios, hæc verba ita inpretantes erroris acccusem*, ipsemet plus tribuit Doctoribus, quàm ipsi sibi tribui voluerunt & tribuere debuerunt, & suos collegas arrogantiæ & proterviæ insimulat, qui multis in rebus Doctores errasse contendunt. Licuit enim semperque licebit, de omnium hominum scriptis & sententiis dubitare, nisi firmas rationes afferant, exceptis solis Apostolis: & qui aliter sentiunt, illos in non levi errore versari ab iisdem doctoribus, quos hic ab errore immunes esse vult Smiglecius, non minus piè quàm graviter pronunciatum est. Iam quæ ratio cogit, ut sententia Doctorum vera sit? Nulla sane nec ante nec nunc a Smiglecio est allata, ita ut ipsemet Smiglecius sententiam istam nō amplectendi occasionem præbuerit? Nec solùm rationem non attulit ullam, verùm etiam a me allatam frigidè repudiat, ut mox in refutatione ejus, quod sexto loco affertur, dicemus. Priùs enim uno verbo refutandus est Smiglecius, qui, cùm ego dico, etiamsi concedatur, Christum redemptorem esse omnium hominum ab orbe condito, hinc non consequi, cum

Interpretationem Doctorum erroris accusare, non esse arrogantiæ aut proterviæ.
Bellarminus, Maldonatus, Iesuitæ.

eum pro illis morte sua satisfecisse. nam si omnes tandem potestate sua, quam morte interveniente consecutus est, servabit ab æterna morte, quomodo eos non redimet? iterum, ut antea etiam, dicit, *hîc agi de redemtione a peccatis illorum, qui ante Christum fuerunt. hanc autem nos negare.* Quæ responsio prorsus inepta est. Certum enim est, de redemtione simpliciter sermonem nunc esse. Deinde etiamsi de redemtione a peccatis sermo esset, jam antea ostendimus, tunc demũ homines a peccatis redimi, cùm a morte æterna liberantur. Mors enim stipendium est peccati. Et hac ratione omnes per Christum liberari, satis est ad redemtorem, hoc est, liberatorem vel servatorem eorum constituendum. Quod verò liberationem ab ipsis peccatis attinet, ea aliunde proficisci potuit, quàm a Christo, nempe a fide illorum, quam in Deo collocatam habebant; cujus fidei natura erat, credere Deum esse, & eundem esse remuneratorem eorum, qui ipsum diligunt, ut autor epistolæ ad Hebr. quæ fides sine Christi vel minima cognitione extare poterat.

Smiglecius eadem iterat.

Sed nunc, quæ sexto loco afferuntur, testimonia expendamus iterum. Iam enim totum hoc antea sufficienter refutatum est; & non habet Smiglecius, quo progrediatur ulterius. Ait, *Christum ab orbe cõdito ab hominibus pro Messia & Salvatore agnitum & creditum expectatumq; fuiße*, & hinc consequi, *Christum non minùs pro illis quàm pro nobis satisfeciße.* Hîc ego nego tùm assumtionem, quam vocant, tum consequentiam. Nego, inquam, ab orbe condito Christum ab hominibus pro servatore agnitum, creditum & expectatum. Nego etiam, licet concedatur, Christum pro servatore agnitum, creditum & expectatum fuisse, hinc consequi, homines credidisse, eum pro peccatis satisfacturum. Smiglecius quid? Monitus antea a me, quòd a Iacobo initium fecisset, qui annos bis mille post orbem conditum vixit, (quod tamen vitiosè a se factum esse non agnovit) ad ipsa orbis conditi primordia recurrit, & tunc promissum esse Messiam curiosè quidem sed ineptè contendit, eò, quòd semen mulieris caput serpentis contriturum esset. Deinde idem quoq;, idq;, teste Paulo, adumbratum fuisse in productione mulieris ex costa Adami asserit. Profunda quæstionis tanti momenti probatio, scilicet. De priori loco jam antea dictum est aliquid, quod ad hanc rem intelligendam sufficit. Et miror sanè, Smiglecium ita surdum esse ad id, quod ex vulgata ipsius versione, non de semine mulieris ista verba intelligenda sint, sed de muliere. Nam loco *ipsum* habet *ipsa*. Nunc hæc pauca præterea addo. Nego ibi ullam esse promissionem. Verba enim illa ad ea pertinent, quibus Deus serpentem alloquitur, & illi tanquam autori peccati minatur.

Christus non creditus aut expectatus ab orbe condito.

Expectatio Christi non includit satisfactionem.

Smiglecius errorem nunquã vult agnoscere.

Genes. 3. nullam esse promissionem docetur.

Deum verò promissionem Messiæ serpenti proposuisse absurdū est. Minari porrò & promittere aliquod singulare bonum, contraria etiam sunt.

Ratio 1.

Præterea nullum est verbum, ex quo promissionis alicujus umbra appareat, sed mera est narratio eorum, quæ eventura erant inter semen serpentis & mulieris. Vt igitur verba illa: *Et tu insidia beris calcaneo illius*, quæ his, *ipsum conteret caput tuum*, opposita sunt, nullā promissionem continent: sic nec illa, quibus opposita sunt hæc, promissionem ullam continere censendum est.

2.

Adde quòd tunc non promittendi aliquid sed minas exequendi occasio & tempus erat. Dixerat autem Deus, *Quacūq; die comederis ex arbore ista, morte morieris* Itaq; hoc decretum Dei tunc ad vigorem suum pervenisse statuendum est, quod etiam ex pœnis, quas Deus ibi recenset serpenti, mulieri, & viro, præter æternam mortem, cujus nullum tunc sensum primi parentes habebant, & quam Deus non nisi longo post tempore irrogaturus erat, infligendis, satis manifestè apparet.

Deus nō promittit quicquam peccantibus, nisi resipiscant.

Et certè absurdum est, & universæ s. scripturę contrariū, Deū aliquid hominibꝰ promittere tunc quando peccant. Hoc enim non facit, nisi resipiscentia accedat Et si Deum id facere dici potest, cùm nullum de puniendo aliquo, si peccet, decretum intercessit; quanto magis id eum facere dicendum est, cùm decretum tale intercessit.

3.

Non omnibus fuisse cognita ab orbe condito, quæ Moses conscripsit

Præterea quis nobis persuadebit, ista, quæ Moses in loco, quem præ manibus habemus, descripsit, omnibus ab orbe condito fuisse nota? Potuit enim semel aliquid dici serpenti, quod deinceps alii prorsus ignorarent; & nihil est, unde constet, ea antequam a Mose scripto comprehenderentur, pro divinis habita fuisse. Moses verò post orbem conditum duobus annorum millibus & aliquot centenis demnm vixit, & ista conscripsit.

4.

Luc: 1. 73.
Rom: 4. 16.
Matth: 1. 1.

Porrò, si ab orbe condito promissus fuit Christus, cur istius rei nulla fit mentio in N. F. sed tantùm ab Abrahamo promissiones memorantur, ut ex verbis Zachariæ & Pauli non uno in loco apertè constat. Vnde etiam Christus tantùm Davidis & Abrahami filius appellatur.

5.

Christum venturum fuisse, etiamsi Adamus non peccasset, & cur?

Addde, quòd tota hæc res alio crasso nitatur errore. Smiglecius enim credit, tunc demum, nempe post lapsum promissum fuisse Messiam: scriptura verò testatur, Deum ante orbem conditum nos in Christo elegisse, adeoque Christum venturum fuisse, etiamsi Adamus nunquam peccasset, ut scilicet mortalibus viam salutis demonstraret, & fidelibus tandem vitam æternam largiretur.

Per diversos diversis temporibꝰ diversam voluntatem Dei esse revelatam.

Sic enim Deo sapientissimo simul & benignissimo visum fuit, ut illis, quæ ante & post legem latam, lapsa sunt, & elementa mundi fuerunt, seculis, per alios imperfecta Dei voluntas revelaretur: cùm verò venit temporum perfectio, ut per Christum perfecta ejus voluntas pateficeret

tefieret,&tandem ad finem, tum ob summam Dei gloriam, tum ob humani generis consolationem,perduceretur. Denique quid est, ex tam obscuro loco,rem tanti apud Smigleciũ momenti, eruere,quàm dogmatis illius vanitatem prodere?Nonné,quæ salutis sunt,ut ajunt, prora & puppis,claris s. literarum testimoniis,vel saltem talibus,quæ evidentes deductiones præbeant, niti necesse est? Possunt fortasse sensu aliquo mystico illa verba ad negotium salutis, quod Christus procuravit,per quandam allusionem accomodari, idq; ægrè: at promissum in illis fuisse Christum affirmare, est, ferè cum ratione insanire.

6. Ex locis obscuris dogmata religionis ad salutem necessaria probari non posse.

Quod vero ex altero loco deducitur, magno risu dignum est profecto?Quis enim ex eo,quòd mulier producta fuit ex costa Adami, colligere unquam potuit, Christum promissum fuisse ab orbe condito? Nonné alia causa ejus rei esse potuit, quòd Deus voluerit hac ratione Adamum cum uxore perpetuo charitatis conjugalis vinculo colligare,ut pote quæ non separatim creata,sed ex ipso viri corpore decerpta esset? Paulum vero illud testari, & imperitè & ineptè dicitur. Nam etiamsi Paulus ad eam rem alicubi alluderet, testari tamen illud dici non posset.Nam ea testamur,quæ disertè exprimimus. Iam verò Paulum, quia verba quædam,ab initio mundi de perfectione copulæ conjugalis carnalis dicta, ad perfectionem vinculi conjugalis spiritualis, quod est inter Christum & ecclesiam accommodat, testari, Christum, tunc cùm verba ista dicta sunt, fuisse promissum,quid quæso aliud est,quam ludus & jocus?Quanquam alia expectari a Smiglecio non potuerunt. Ex his autem constat,quàm sit falsum,ab omnibus,qui ab orbe condito extiterunt,Christum fuisse agnitum,creditum & expectatum. Quomodo enim agnosci,credi & expectari is potest, de quo nulla vel minima, non dicam promissio, sed nec mentio, nec mentionis nota vel umbra extat? Ideoque, etiamsi doceri possit, seculis subsequentibus Christum fuisse promissum, nihil hoc tamen caussam Smiglecii juvaret. Nam quòd duobus post orbem conditum millibus annorum & amplius promissum fuit,id certè ad secula præcedentia nihil pertinet. Iam igitur res tota confecta est, de qua disputamus; & non habet, quòd ampliùs urgeat Smiglecius, si quidem probari nequit,per tot secula ab orbe condito usq; ad tempora Abrahami, ullam de Christo extitisse promissionem.Pergamus tamen,& veritatis enucleandæ causâ,consideremus, an aliis subsequentibns seculis ab omnibus Christus agnitus, creditus & expectatus fuerit. Equidem tantùm abesse dico, ut id probari possit,ut etiam probari posse planè diffidam,plurimos eorum,quibus

Cur mulier ex costa Adami producta.

Aliud testari aliquid, & aliud ad id alludere.

Ab orbe condito nullam promissi Christi umbram fuisse.

Chri-

Probari vix posse, eos, quib9 Messias promissus fuisse creditur, id intellexisse.

Christum antiquitus promissum esse nos hodie credimus, sibi eum promissum fuisse scivisse, nedum ut promissum agnoverint & expectârint. Nam quod ad promissionem Abrahamo factam attinet, nonne ea de semine illius naturali, nempe Isaaco, commodè sensu proprio intelligi potuit; quatenus per eum Deus universo populo Israëlitico, qui per omnes gentes terræ non semel describitur, benefacturus esset. Verba etiam Iacobi: *salutare tuum expectabo*, vel expecto potiùs, *Domine*, teste ipso Vatablo, ad aliud quid, quàm ad Christum accomodari possunt, Sic enim ait Vatablus, *id est, auxilium a te expecto Domine q.d. libera me ab astutia hujus tribus*. Quanquam hîc alius lapsus est Smiglecii. Non enim, quid Iacob moriens de se dixerit, sed quid Deus hominibus promiserit, quæstio est. Potuit autem Iacob aliquid sperare, quod nemini etiam prorsus esset promissum. Verba Balaam, *orietur stella de Iacob*, ad Davidem, qui typus fuit Christi; verba etiam Moysis, *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, sicut me suscitabit tibi Dominus Deus*, ad Iosue successorem Moysis referri possè, idem Vatablus affirmat. Verba denique Annæ de Christo necessariò intelligenda esse, nihil est quod cogat, cùm & prophetiam esse jurè dubitari possit. Tantùm enim ista oratione ejus narrantur ea, quæ Deus singularia & sua majestate digna facere soleat. Vnde etiam Vatablus, vir perspicax, hoc a Chaldæo paraphraste ad Christum accommodari ait: tacitè innuens, se id ad Christum non accomodare, nec accomodari necessariò debere. Quæ ita dicere libuit, ne quis credat, tot extare promissiones de Messia, quot recenset Smiglecius. Si dicat Smiglecius, verba Iacobi, Balaam, Moysis, Annæ ad Christum etiam accommodari posse, longè id aliud ab eo esse dico, quod probandum susceperat Smiglecius, nempe promissum fuisse Christum. Nam ubi promissio est, ibi rem quæ promittitur, intelligi etiam necesse est, alioquin promissio quasi nulla est: at accommodatio ad ea etiam verba fieri potest, quæ nemini tunc, cùm verba ista dicerentur, nota erant; & si quis ista intelligere velit, parum est, verba illa cognita habere, sed insuper necesse est, Spiritu sancto mentem alicujus illustrari, ut sensum illum in verbis illis subesse agnoscere possit.

Promissiones patribus factæ quomodo intelligi possunt.

Lapsus Smiglecii.

Sperare promissum & promissum habere, differunt.

Accomodari posse ad aliquid, & idem promissum esse differunt.

Promissionem sine intellectu nullam esse.

Accomodari posse, quæ non intelliguntur tunc, cù dicuntur.

Sed jam concedamus, quibusdam viris sanctis promissionem esse factam, num hinc sequetur, eam esse factam omnibus, quod vult Smiglecius? Certè nihil minus. Satis enim habere Deus potuit, eos, qui ipsi essent charissimi, ista promissione se fulcire, quod Christus etiam innuit, cùm ait, multos reges & prophetas & justos desiderasse videre, quæ tunc videbant Apostoli, nec tamen vidisse.

Non quod viris sanctis contigit, ad omnes pertinet.

At Smiglecius, ut rem suam promoveat, dicit: *eos ita aliis ea revelasse,*

lasse, ut Apostoli ea revelârunt, quæ Spiritus S. illis præceperat. Sed quàm impar sit ratio istorum, & quàm ridiculus hic sit Smiglecius, puto neminem non videre. Apostolis enim ea quæ revelabantur, cum ea lege & præcepto revelabantur, ut aliis ea patefacerent. De prophetis autem disertè legitur, revelatum illis fuisse, quòd nõ sibimetipsis, sed nobis ea ministrarint, quæ nunc annunciata sunt sub Evangelio. Si prophetæ non sibimetipsis ministrârunt, sed nobis, quomodo aliis sui temporis ea ministrassent? Non igitur invidos & nulla charitate præditos facio Patriarchas, dum eos aliis ista non revelasse dico, quæ illis revelata fuerunt, sed prudentes, qui id, quod ad se vix pertinebat, aliis sine omni fructu revelare noluerint. Et sanè mirum est, Smiglecium ita audacter dicere *omnibus Iudæis notum fuisse, quod de Christi nativitate, vita, & morte prophetæ prædixerant*, cùm ipsos Apostolos non intellexisse, quid diceret Christus, & verbum illud absconditum fuisse, nec cognovisse quæ dicebantur, testentur sacræ literæ, cùm eis de morte sua aliquid prædiceret.

Alio modo & sine Prophetis, alio Apostolis revelationes contigisse.

Cur Patriarchæ aliis nõ dixerint, quod sibi revelatum erat.

Iudæis omnibus notum non fuisse, quid de morte Christi prædixerint prophetæ.

Sed demus & hoc, quòd omnibus promissa ista, fuerint vel a Patriarchis vel in sacris literis revelata, num hinc consequetur, eos de Christo credidisse, quòd pro peccatis satisfacturus esset? Certè si nos hodie, sine tali fide in Christum jam exaltatũ credere possumus; alii, sine tali fide Christum venturum credere potuerunt. Jam, *quòd implicitè illos credidisse*, ait Smiglecius, *Christum esse salutis autorem*, id & insolens est locutio, & rem falsam continet. Poterant enim credere, Christum esse promissum & venturum, nec tamen de salute æterna vel cogitare quidem. Nonné enim Apostoli, qui Christum docentem audiebant, satis superq; prodiderunt, se aliud quid sperasse a Christo, quàm salutem æternam? Verum quidem est, quod ampliùs urget Smiglecius, fidem, quâ quis credit in eum, qui justificat impium, sufficere ad salutem, ut ait Paulus; sed, talem fidem ab orbe condito fuisse propositam vel revelatam, probandum erat. Contrarium enim testantur sacræ literæ, Deum scilicet legem dedisse, in qua non proponebat, ut quis in eum crederet, qui impium justificaret, sed ut omnia quæ lex præcipiebat, exequeretur. Evangelii istud est beneficium proprium, quo revelato, fides (nempe in eum qui justificat impium) venisse dicitur, adeoq; ad alios ante Evangelium nullo jurè trahi potest.

Ex promissione Messiæ non inferri fidem de satisfactione.

Fides promissi & venturi Christi datur, sine fide salutis æternæ.

Deum sub N. F. tantùm revelasse se justificare impium.

Sed præter hæc omnia, quid aliud quærit Smiglecius, si concedatur, Christum omnibus illis, qui ab orbe condito exstiterunt, vitam æternam donaturum, nonné servator & liberator illorum esse jurè dici potest? *Redemtor*, ait, *non erit.* Sed redemtor & liberator idem sunt

Redemtor & liberator in negotio salutis idem sunt.

reipsa, quemadmodum etiam redemtio, cùm de salute nostra sermo est, idem valet quod liberatio. Nec refert quicquam, an omnia ea, quæ ad redemtionem Christi pertinent, vel sine quibus potestas redimendi vel liberandi nos Christo data non fuit, ad omnes pertineant: sed satis est ad id, ut liberati omnes per eum dici possint, si omnes liberaturus sit. Itaq; frustra Smiglecius doctrinam hanc absurdam appellat, quòd Christus eos etiam servaturus sit, pro quibus non est mortuus; quod ille, ut exosum sit hominibus, ita describit, Christum esse aliquorum servatorem, quorum non fuerit redemtor. Quasi voce Redemtoris pro liberatore accepta, non pateat cavillus. Christum autem salvatorem non nisi propter redemtionem appellari, hoc est, non nisi per mortem nos a morte liberare & vitam æternam nobis largiri, verum quidem est, si, quod res est, dicatur, Christum, non nisi morte interveniente potestatem eam consecutum esse, quâ nos & omnes alios servaturus est: at per mortem ipsam nostram liberationẽ absolutam esse, sententia est & sanæ rationi & literis sacris prorsus contraria. Ratio enim dictitat, ad vitam æternam consequendam, nõ morte sed vitâ ejus, a quo ea speratur, opus esse: Literæ verò sacræ testantur, tunc demum nostram salutem & redemtionem perficiendam, cùm Christus ad judicium extremum veniet. Quæ verò de fidelibus prædicantur, quod in hac vita etiam sint filii Dei, id vel de imperfecta filiatione vel spe certa perfectę filiationis intelligendum est, ut cùm Paulus ait, *si filii ergo & hæredes.* Quanquam hic nihil a Paulo dicitur in præsenti, & possunt verba sic impleri: si filii sumus, ergo & hæredes futuri sumus, ut mox sequentia verba indicant, dum addit, *hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.* Vt enim Christus hæres Dei reipsa constitutus non fuit, antequam in cælum ingrederetur. antea enim saltem mortalis fuit; mortalem autem & hæredem reipsa esse plùs differunt quàm cælum a terra: sic etiam fideles, antequam in cælum transferantur & immortalem naturam consequatur, hæredes Dei nec sunt, nec esse reipsa possunt.

Christus omnium redemtor, quatenus omnes servaturus est.

Quo sensu Christus non nisi per mortem servator sit.

Morte Christi liberationem absolutam esse nusquam dicitur.

Fideles quomodo in hac vita sint Dei filii.

Prædixit etiam angelus, Iesum servaturum populum suum a peccatis eorum: sed nõ expressit, nec quid per peccata significaret; (peccata autem tàm pœnam quàm culpam peccatorum significare, suprà ostensum est;) nec quando & quomodo salvaturus sit populum suum a peccatis. Itaq; tam ad tempus futurum & Christi mortem, quàm ad tempus futurum & ejus divinam potentiam referri potest. Nam utrumq; tam a peccatis ipsis quàm a peccati pœna nos liberat, licèt alterum altero efficacius.

Angelũ nec quid peccata significent, nec quomodo Iesus sit populum suum servaturus, expressisse.

Venit etiam Christus in mundum, ut oves illius vitam haberent & abun-

Christus & in mũ-

& abundantius haberent: sed nec modus nec tempus, quo & quando vitam illam sint habituræ oves, exprimitur. Posuit quidem animam suam Christus, ut oves, ejus vitam haberent: sed & ideo resurrexit & revixit, ut vivis & mortuis dominaretur, in quo domini donatio etiam vitæ æternæ continetur.

dum venit, & revixit, ut nos servaret.

Acquisivit etiam Ecclesiam sanguine suo, non Christus sed Deus pater, ut alibi docuimus: at hinc non sequitur, ipsa sanguinis fusione salutem esse collatam reipsa. Potest enim dici acquisitam esse Ecclesiam sanguine Christi, quatenus sine sanguine acquisita non est, ut etiam fide dicimur acquirere animas nostras, quia sine fide eas non simus acquisituri. Est etiam Christus salvator corporis sui: sed expectamus etiam de cælo servatorem: Tradidit Christus semetipsum pro Ecclesia, ut illam sanctificaret, mundata ea lavacro aquæ in verbo, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam: sed nec sola morte id absolutum esse dicitur, nec constat, istam sanctitatem tam perfectam in sola sanctitate morum consistere. Potest autem peregregiè ad sanctitatem etiam, hoc est, ad perfectionem naturæ referri, quæ hactenus nemini contigit ex fidelibus. Quo sensu etiam de Christo, quatenus immortalis effectus est, dicitur, eum fuisse sanctum, impollutum. Per mortem deniq; destruxisse dici potest Christus diabolum, non quòd sola morte id effectum sit, vel etiam ipsa morte effectum sit. contrarium enim ejus docent sacræ literæ & experientia, Christum scilicet destructum fuisse a diabolo morte sua: sed quia morte interveniente, id consecutus sit Christus, per quod diabolus abolitus est. Potest autem hic locus præ aliis nos informare, quomodo sint intelligenda loca alia, quando per mortem Christi aliquid, quod ad salutem pertinet, factum esse legitur. Vt enim non per ipsam mortem sunt liberati a timore mortis fideles, quod ibidem additur, sed per Christi resurrectionem & potentiam, quam morte interveniente consecutus est: ita etiam per ipsam mortem non est destructus diabolus, sed Christi resurrectione & potentia; &, quod majus est & ad hanc rem peregregiè faciēs, sicut Christus diabolum per mortem abolevisse dicitur, quia partem tantùm imperii ei⁹ abolevit, & olim perfectè aboliturus est: sic etiam per mortem nos salvasse dici potest, quia partem salutis per mortem absolvit, reliquum verò olim absoluturus est.

Sanguine acquisita est ecclesia, quia non sine sanguine.

Christus Servator de cælo expectatur.

Non sola morte Christi sanctitas ecclesiæ perfecta est.

Heb: 7. 26.

Per mortem id fieri dicitur, quod morte interveniente factum est.

Christus per mortem ut partē imperii diabolici abolevit, sic etiam partē salutis tantùm absolvit.

Quod verò eos, qui Christum præcesserunt, habentes fidem in Christum servatorem, per eam justificatos fuisse a peccatis, verbis Esaiæ probare iterum conatur, quem scilicet Esaiam *se a Christo redemtum non negare* ait, ob hæc verba: *cujus livore sanati sumus* &c: ridiculum

Ineptè a Smiglecio dicta. diculum primum est, Esaiam, solum scilicet, non negare se a Christo redemtum, qui de multis loquatur, imò de omnibus, ad quos Christus pertinet. Deinde ineptum est, verba prophetico more & de rebus futuris prolata, ad præcedentia tempora referre, cùm nemo nesciat, prophetas de futuris ita loqui, ac si essent præteritæ. Deniq;, imperitum prorsus est, ex eo, quòd quis redemtum se ab aliquo fore sperat, concludere, eum sperasse, se modo illo multis modis absurdo & impossibili, nempe per satisfactionem, redemtum iri.

Porrò cùm dicimus, fidem in Christum non semper fuisse requisitam ad justificationem, sed fidem simpliciter, ut testatur cap: 11. ad Hebræos; in quo etiam additur, ad fidem constituendam requiri, credere quòd Deus sit, & quòd sit remuunerator illorum qui ipsum quærunt; de fide verò in Chrtstum nulla vel minima sit mentio, Smiglecius, suo more, sententiam tantùm suam mihi obtrudit, eamque talem, quæ per se falsissima est, dum ait: *Dicimus, fide in Deum contineri implicitè fidem in Christum.* Non enim quid dicat Smiglecius, sed, quid verè dicat, curandum est. Quæ verò scriptura, quæ ratio, quæ verisimilitudo suadet, fide in Deum contineri fidem in Christum? Nam quod addit, *fidem talem in Deum semper fuiße requisitam, ut eßet fides in Deum ut salvatorem,* hoc nihil ad rem facit. Potuit enim aliquis sub veteri fœdere, fidem in Deum ut salvatorem ponere, nec tamen de Christo vel cogitare quidem, ut ex paulò ante dictis constat. Poterat enim cogitare, Deum ipsum remuneratorem fore, hoc est, salvatorem, præsertim quòd modi istius, quo Christus nos servabit, nulla promissio vel significatio in V. F. extaret. Deum autem non alia ratione promisisse se fore salvatorem nisi per Christum, id, si de tempore N.F. intelligatur, verissimum quidem est: at hoc ipso ad V. F. non pertinebit. Si verò de tempore V. F. intelligatur, falsissimum prorsus est. Nec enim salvatorem tandem sese fore Deus promisit omnibus, ut paulò ante docuimus, nedum ut per Christum se eum fore promiserit. Itaque Smiglecius tandem ad istam suam fidem, implicitè, confusè, imò confusissimè consideratam, ut redeat, hoc est, ut agnoscat, se nihil afferre potuisse, unde constet fidem in Christum ab aliquo sub V.F. requisitam fuisse, necesse est.

Smiglecius absurdam sententiam loco responsionis affert.

Fide in Deum, non contineri fidem in Christum.

Deus servator sine Christo esse potuit, & fuit sub V. Fœdere.

Addo nunc, quod ab iis etiam, qui Christum venturum probè perspectum habebant, fidem in Christum requisitum fuisse, dici nequeat. Nec enim illa fides est in Christum, credere eum futurum, aut aliquid facturum: sed fides in Christum nititur ejus resurrectione & potentiâ, quæ quamdiu non extiterunt, ut nemo in Christum verè credere potuit, sic nec a quoquam id requisitum fuit. Vnde constat, quàm falsa etiam sint, quæ addit Smiglecius, *eum qui credit Deum eße,*

Ad fidem in Christum quid potissimùm requiratur.

credere etiam in Christum, & qui credit, Deum remuneratorem esse, credere etiam, eum remuneratorem esse per Christum. Testatur enim cap: 11. ad Heb: magnam nubem eorum fuisse, qui in Deum crediderunt, & ideo eum quæsiverunt, quia remuneratorem eum esse crederent illorum, qui ipsum quærunt: nec tamen vel in Christum eos credidisse, vel Deum per Christum remuneratorem fore credidisse ibi dicitur, nec vel ex illo loco 4., vel ullo alio universæ sacræ scripturę apparet.

Fides in Deũ datur absque fide in Christum.

Non negamus, justum ex fide victurum fuisse, Habacuc prophetam indicasse, idque a Paulo citari: sed, de fide in Christum ibi sermonem esse docendum erat. Præterquam enim quòd vitam non expressit, quam victurus esset justus ille, potest, si Deus ita velit, is etiam per fidem vivere, qui in solum Deum credit; & hoc certè Deo & ejus benignitate dignum videtur: at implicitam & confusam præterea, in aliquem alium semper ab orbe condito eum ab omnibus requisivisse fidem, & ss. literis ignotum, & res prorsus Deo indigna censenda est. Quam enim fidem implicitam esse ait Smiglecius, ea ipsius tantùm nititur opinione, dum somniat, omnes, qui ab orbe condito fuerunt, verè credidisse Christum esse & fore suum benefactorem. Quo vix aliquid magis implicatum & confusiùs, imò potiùs absurdiùs dici in religione potest.

Fide, de qua Abacuc loquitur, non cõtineri fidem in Christum.

Repetit Smiglecius, quod jam semel in hoc capite satis diligenter tractaverat, Messiam scilicet omnibus ab orbe condito promissum, & una cum eo æternam vitam propositam fuisse, contra id quod nos dicimus, Messiam nec omnibus ab orbe condito promissum fuisse, sed ab Abrahamo demum promissum cæpisse; nec æternam vitam per eum promissam fuisse, sed ad alias res promissiones istas referri posse, ut paulò ante explicavimus. Videamus igitur argumenta iterum. *Quis, ait, nesciat, Messiam non uni alicui ex hominibus, sed toti hominum generi per Adamum in peccatum lapso promissum esse?* Ergo rem illam omnium sensibus subjectam esse necesse est, siquidem Smiglecius dicat, neminem eam nescire? Cur vero locos scripturæ non addidit saltem aliquos? Sic illi spem verbis simulant, qui rem demonstrare non possunt. Oppono igitur isti interrogationi Smiglecii hanc assertionem: Neminem id scivisse unquam, nec scire potuisse. Quod verò Smiglecius id tam audacter affirmat, id totum vanissimis nititur conjecturis, quas eum & alios excogitare coëgit præjudicata de aliis rebus, quæ Christum spectant, opinio. Ita enim fit, ut, ubi semel erratur, multi errores alii ad unum defendendum excogitandi sint, nisi quis ad viam, ex qua aberratum fuerat, redeat.

Smiglecius eadem ad nauseã iterat.

Non negatur, quod ait Smigl: *Deũ licet cum paucis quibusdã agat, &*

eis aliquid revelet, posse tamen velle, ut fructus ejus ad omnes spectet: Sed negatur, ab orbe condito per duo millia ferè annorũ vel unum extitisse, cũ quo Deus ea de re egerit, & cui promissionẽ de Messia revelârit. Et certè ipsa sese prodit falsitas. Nã si Deus ab orbe condito primis parentibus Messiam promisisset: procul omni dubio, eandem promissionem aliis etiam seculis proximè sequentibus revelasset; sicut videmus eum ab eo tempore, quo promissio qualiscunq; illius existere cœpit, nempe a tempore Abrahami, subinde eam repetiisse & indies clariùs proposuisse.

Urgetur Smiglecius.

Unde cõstet, Deum ab orbe condito non promisisse Messiam.

Quòd verò dicitur, *sicut omnes erant in peccatum lapsi, ita Messiâ in destructionem peccati omnes indiguisse*, id inprimis falsum est vel ambiguè dictum. In peccatum enim omnes lapsos fuisse nuspiam legitur, nempe per Adami lapsum: quin imò Paulus disertè ait, mortem etiam in illis regnasse, qui non peccaverunt. Si verò, in peccatum labi, accipiatur pro lapsu in pœnam peccati, hoc est, mortem, quam in omnes homines pertransiisse ait Paulus per unum peccatum, potuit ea, sicut decreto Dei inflicta fuerat, gratiâ illius tolli, & proculdubio ex parte & mente Dei sublata fuit, quatenus homines, qui morti æternæ unâ cum suo parente primo obnoxii erant, Deo ita adhæserũt, ut cum fide coram eo ambulasse dici possint. Hanc autem gratiam Deus revelatam esse noluit generatim, ante Christi in mundum adventum. Nec enim Deus tenebatur decreti istius sui rescissionem cuiquam patefacere; nec etiam notum esse voluit, per quem tandem gratiam istam esset exhibiturus. Cùm verò Christum misit, ut hominibus ultimorum seculorum gratiam illam annunciaret, visum est simul Deo, ut idem Christus, qui novissimis temporibus Mediator Dei & hominum fuit, & salutem, quam annunciarât, reipsa etiam olim collaturus est, unâ cum illis qui sub N. F. sunt, illos etiam servaret, qui ab initio mundi fideles extiterunt. Quod mysterium innuitur, dum dicitur, Deum constituisse Christum judicem vivorum & mortuorum, Deum pro nobis (nempe qui sub novo fœdere sumus) aliud melius prævidisse, ut non sine nobis consummarentur. (isti scilicet prisci fideles.) Quod quidem nos nunc scimus; interim verò nota illa fuisse antea, nulla ratione probari potest. Iam quòd ait, *Abrahamo tãtùm promissum fuisse, quòd ex ejus semine nasciturus esset Messias*, id, nisi doceatur, aliis etiam ante illum Messiam promissum fuisse, commentum est Smiglecii. Potuit enim simul & semel promitti tum Messias, tum ejus ortus. Promissum verò fuisse antea Messiam, quia non aliter probat Smiglecius, quàm illis verbis, quibus Deus serpentem post lapsum allocutus est, jam promissum cum antea non fuisse, tutò credi potest.

In peccatũ ipsum omnes lapsos esse nuspiam legitur.

Rom: 5. 14.

Pœna peccati a Deo auferri potuit.

Modus & sapientia Dei in revelanda salute & dando Christo.

Abrahamo simul & semel Messias & ortus ejus promissus fuit.

potest, ut, ex paulò ante de hoc loco dictis, unusquisq; perspicere potest. Et quia promissionem de Messia, non de aliis rebus, sed de salute sola æterna intelligendam esse, eo ipso etiam, quòd caput serpentis conteri debuit, comprobat, jam pariter constat, quid isti sententiæ Smiglecii tribuendum sit. Nam qui ex eo, quòd caput serpentis conteri debuit, colligere, præsertim ab orbe condito, potuit, Messiam æternam salutem hominibus allaturum, næ eum hominem non tantùm ingeniosum, sed plùs quàm prophetam esse oportuisset, quales certè ab initio mundi non fuerunt homines.

Quid verò est, quod Smiglecius toties hæc verba ad Christum accommodat, quod eum facere Vulgata Bibliorum versio non permittit, quæ non ad semen mulieris, sed ad ipsam mulierem verba illa refert? Num tacitè eam deserit aut reprehendit? Sed, hoc misso, iterum videamus, quomodo probet Smiglecius, mysterium hoc, de quo nunc nobis sermo est, antea revelatum fuisse, licèt non tam expressè & perspicuè, ut nunc. Verba Pauli affert Eph. 3. 5 ubi ait: *in aliis generationibus non esse agnitum filiis hominis, sicut nunc est revelatum sanctis Apostolis ejus & prophetis in spiritu*, & ex particula *sicut* istam suam opinionem astruere nititur. Sed hallucinatur turpiter Smiglecius, dum, quæ Paulus de mysterio vocationis gentium ad Christum dicit, is ad mysterium promissi Messiæ accommodat. Messias enim nusquam promissus est gentibus. Vnde Paulus eas promissionibus caruisse & Iudæos hac in re eas superasse, quòd illorum fuerint promissa, non uno in loco graviter asserit. Deinde ex levissima conjectura rem suam astruit. Nihil enim impedit, quominus ea vox *Sicut*, accipiatur nō de qualitate revelationis, sed de ipsa revelatione. Opponitur enim ista vox simplici ignorationi, quæ in omnibus aliis seculis duraverit, usq; ad Christi adventum.

Smiglecius ad castigationes surdus.

Ignorantia Smiglecii.

Mysterium vocationis gentiū diversum esse a mysterio promissi Messiæ.

Vocis *sicut*, significatio in loco Ephes: 3.

Sed nunc tandem, locis sacrarum literarum expensis, rationem etiam Smiglecii, quantumvis antea solutam, denuo examinemus. *Si priscis illis*, ait, *per quatuor annorum millia Christus non fuißet neceßarius ad justificationem, profectò nec nobis fuißet neceßaria Christi redemtio. Nam ad eum modum, quo prisci illi, poteramus perfectè justificari.* Respōderam antea, si de necessitate absoluta sermo sit, verum id esse: si de comparata, vel ea, quam vocant ex hypothesi, falsum. Smiglecius, *me ad rem non respondere ait*, satis ineptè. Nam dum ipsemet approbat hanc meam distinctionem, jure eam allatam fuisse, tacitè comprobat: & eum, qui dum id, quod absolutè dicitur, respectu etiam certo dici posse, docet, ad rem non respondere nemo prudens affirmaverit.

Inepta Smiglecii verba.

Nunc

Nunc quia de necessitate comparata sermo inter nos est, dico, non sequi ex eo, quia priscis illis non fuit necessaria Christi mors ad justificationem, nobis etiam non esse necessariam. Licèt enim justificari absq; illa potuissemus, si Deum & ejus potentiam per se consideremus: tamen id difficillimè nobis persuaderi potuisset, ut ipsa testatur experientia. Quis enim crederet, Deum, qui sanctissimus est, & solus habet immortalitatem, homines mortales, morti obnoxios, & morte dignos, tanta salute, quanta ea est, quæ per Christum oblata est, donare velle & posse, nisi Christus id non tantùm annunciasset, sed ejus rei fidem in nobis morte sua & eam consecuta exaltatione effecisset? Hæc igitur necessitas agnoscenda est, & Deo immortales pro ista in nos beneficentia gratiæ agendæ, quòd, ut expeditam nobis viam salutis æternæ redderet, Christum & in mundum mitti, & non nisi per mortem consummari voluerit. Decebat sanè Deum, ut autor epistolæ ad Hæbræos loquitur, ut cùm multos filios ad gloriam perduceret, autorem salutis illorum per afflictiones consummaret: Decebat, ait iterum, talis nobis Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, & excelsior cælo factus, per vocem *decebat* istam necessitatē comparatam satis argutè innuens. Vnde apparet, nihil esse quod ait Smiglecius, *hac ratione difficiliorem esse remissionem peccatorum in Evangelio, quàm in lege*. Ludit enim in voce *difficiliorem*. Difficilior est, quatenus plus Deus fecit in novo F., ut peccata nostra nobis remitterentur: at facilior nempe nobis, quatenus plus a Deo factum est sub N. quàm sub V. F., ad efficiendam in nobis tum spem remissionis peccatorum, tum ipsam remissionem peccatorum. Faciliùs enim creditur, Deum remissurum peccata, si Christus illorū causa mortuus est, & per mortem potestatem nos a peccatorum tùm culpa tum pœna liberandi consecutus est, quàm si tantùm credatur, Deum sua liberalitate illa velle remittere. Quāquam nec illud sub V. F. cognitum erat. Aliud enim est, Dei liberalitate peccata fuisse condonata, & aliud revelatum fuisse, Dei liberalitate peccata condonanda. Hoc enim nemini unquam vi V. F. innotescere potuit. Quod verò Deus difficiliorem, ut sic loquar, nostri causâ modum in se recepit, hoc ipsius φιλανθρωπίᾳ adscribendum est, quâ Deus liberrimè erga nos usus est, cùm posset ea non uti. Quod dum Smiglecium non intelligere video, doleo equidem. Ipsemet enim quodammodo oculos occludere & nebulam offundere sibi videtur, ne veritatem, quæ per se satis est facilis, intelligat. Quid enim convenientius fieri potuit, quàm ut Deus, qui antea in mente tantùm sua remissionem peccatorum

Quare Christi mors ad justificationem necessaria, suo modo, fuerit.

Necessitas mortis & per mortē exaltationis Christi per decentiam describitur.

Quo sensu difficilior sit remissio peccatorum sub Evangelio quàm sub lege, & rursus facilior.

Sub lege peccata Dei liberalitate fuisse condonata, nec tamen id revelatum fuisse.

torum hominibus destinârat, postea eam mentem explicaret, &, ut ista tanta ejus benignitas fructu suo non careret, nihil non faceret; quorum omnium maximum erat, ut filium suum morti traderet, ac ista ratione suam ingentem charitatem, quâ nos & salutem nostram prosequitur, omnibus hominibus & seculis futuris testatam relinqueret?

Porrò cùm dico, etiamsi concedatur, Christum necessarium fuisse priscis illis, hinc tamen non consequi, fidem in Christum illis fuisse necessariam, cùm Deus eum etiam per Christum servare possit, qui in Christũ non credidit, dum modò in Deũ crediderit, *perfidum me* Smiglecius, pro sua modestia vel fastu potius, *appellat*. Quod ego convitium, an verum & huic proposito conveniens sit, lectori judicandum relinquo. Ego verò caussam investigabo, cur ita convitietur. Plærumque enim, ubi ad ista convitia itur, rationes Smiglecium deficiunt. *Oppositum igitur*, ait, *damnare scripturas omnes, fidem in Christum requirentes ad salutem per Christum consequendam*. Sed, ut multa non dicam, quæ dici possunt, ad rem non respondet. Nam non quid ordinariè fiat, sed quid fieri extraordinariè a Deo possit, quæritur. Loca etiam quæ afferuntur, quòd judicatus sit, qui non credit in filium, & alia his similia, docent tantùm, quid illis futurum sit, qui cum in Christum credere possent, tamen non crediderint; adeoque etiam in ipsum Deum non crediderunt: At nos de illis loquimur, qui, cùm in Christum credendi occasionem non habuerint, in Deum tamen crediderunt, ita ut jurè doli etiam Smiglecium accusare queam, qui, nostram sententiam reprehensurus, iterum dicat, *nos contra scripturas pronunciare audere, etiam non credentibus in Christum, Christum salutem conferre*. Hæc enim oratio, cum etiam sensum admittere potest, Christum eos servaturum, qui in illum nolunt credere, sed illum rejiciunt, quod longè absurdissimum esse censemus.

Smiglecius convitiatur.

Qui convitiatur, cum rationes deficere.

In quibus fides in Christũ ad salutem per Christum consequendam requiratur.

Dolus Smiglecii.

Præterea cùm dico, concessa etiam fide in Christum, non sequi, eam includere fidem ejus satisfactionis. Nam in Christum eodem modo credere tenemur, quo in Deum. De Deo autem non credimus, cum pro nobis satisfecisse, nihil aliud affert Smiglecius, quàm *fidem in Christum, quæ requiritur a nobis ad justificationem, esse, ut credamus, per redemtionem & sanguinem ejus nos justificari & salvari*. Quæ quidem responsio, nec argumentum nostrum petit, nec quicquam etiam per se momenti habet. Nam docendum erat, fidem in Christum non esse suo modo eandem, quæ est fides in Deum. Nam, hoc firmo stante, vanum est, quicquid de fide in Christum a Smiglecio dicitur. Verissi-

Fidem in Christũ eandem esse, quoad naturam, cum fide in Deum.

mum autem est, fidem in Christum, quoad naturam & substantiam suam, eandem prorsus esse cum fide in Deum. Vt enim natura seu substantia fidei in Deum est, sub spe promissorum divinorum præcepta ejus observare, ut autor epist: ad Hebr: c. 11. testatur. Ibi enim aliud nihil in omnibus illis, quorum fidem commendat, ostendit, præter id quod modò diximus: sic etiam substantia & natura fidei in Christum eadem est, ut sub spe promissorum illius eidem etiam obediamus. Quod quàm procul distet ab ista fide, vel potiùs opinione satisfactionis pro nobis, quivis per se intelligere potest. Quod verò dicitur, *ad fidem in Christum requiri, ut credamus, nos per redemtionem & mortem illius justificari*, hoc non ad fidei in Christum naturam pertinet, sed aliquid est, quod ad fidem illam in Christum in nobis excitandam & fovendam plurimùm conducit. Nam & ad fidem in Deum id conducit plurimùm, nos per mortem Christi salvari, nec tamen ad fidei in Deum collocandæ naturam id pertinet. Ex quibus tandem constare puto, cujus sint valoris ista omnia, quæ Smiglecius hactenus protulit, ad ostendendum, omnes homines ab orbe condito, in Christum implicitè credidisse & hac fide etiam satisfactionem contineri. Quam verò sint ea ab omni veritate aliena & calumniæ plena, dum Smiglecius ideo, quòd Christum Deum naturâ esse negamus, nos Deum verum eum esse; & quia pro peccatis non satisfecerit, verum eum redemtorem esse, qui sanguine suo a peccatis nos redemerit, nō credere, pronunciare non erubuit, expendendum pio lectori relinquo. Credimus enim ex animo, Christum esse nostrum Dominum & Deum, & Deum super omnia vel omnes benedictum in secula, qui non potest non esse verus Deus, licèt vicissim non possit esse naturâ Deus. Nam qui Deus noster cum D. Thoma est, is a mortuis resuscitatus est; & qui Deus benedict⁹ est in secula, is ex patribus secundùm carnem oriundus fuit. Quod neutrum de Deo, qui naturâ talis sit, dici potest. Credimus etiam, Christum esse nostrum verum redemtorem, qui suo nos sanguine a peccatis redemit, licèt eum pro peccatis satisfecisse minimè credamus.

Credere nos per mortē Christi justificari, ad excitandam fidem in nobis pertinet.

Calumnia Smiglecii.

Christus verus Deus, licèt nō sit Deus naturâ.

Christus verus est redemtor, & si non satisfecerit pro nobis.

Tandem cùm Smiglecius iterum caussas, ob quas Christum servatorem nostrum esse dicimus, sugillat, verbositatis & otiosæ ejusdem rei in eodem libro, paucis interjectis paginis, repetionis, accusasse eum satis est. Quis enim tandem finis futurus esset, si unam & eandem rem toties iterare velimus? Quàm verè autem & sanctè ea dicatur, Christum ideo servatorem nostrum esse, quia viam salutis annunciaverit, confirmaverit, in seipso ostenderit & salutem ipsam fidentibus sibi reipsa daturus sit: Christum etiam ideo pro nobis mortuum

Smiglecius non semel dicta ascribit.

Veræ caussæ cur Christus servator noster sit, & cur pro nobis mortuus.

tuum esse, ut salutẽ illam tum amplacteremur, tum reipsa consequeremur, iterũ nunc nudè lectori pio propono; eo fine, ut tandẽ agnoscat, quàm audacter vel saltem imperitè hoc caput concludat Smiglecius, dum ait: *Nos illa, quæ nobis hactenus de modo salutis per Christum narravit, intelligere nolle, obscuratum enim esse insipiens cor nostrum* (quod de Iudæis Paulus dicit) *& velamen positum esse supra cor nostrũ, donec gratiâ divinâ aliquando auferatur.* Verba enim citare adversus aliquem, quæ de infidelibus dicta sunt, facilè quidem est; sed hæc non sunt disputantis & rationibns omnia agentis. Ego verò vicissim hoc tantùm opto, ut illud idem sibi accidere posse cogitet Smiglecius, quod de nobis falsò prædicat. Nam si se in ea ecclesia esse sentire pergat, quæ errare non possit, veritatem divinam nunquam agnoscet, sed in erroribus suis morietur.

Gratuitam peccatorum remissionem, quam scripturæ prædicant, figmentum satisfactionis pro peccatis prorsus tollere, demonstratur.

CAPUT XI.

HÎc Smiglecius, priusquam ad argumenta nostra refutanda transit, hallucinatum esse ait Socinum & nos cum eo; qui non satis intellexerimus, quo sensu in scriptura gratuita remissio peccatorum dicatur: Ipse verò tantum suum prodidit non lapsum sed ignorantiam, ut vix in hac materia major esse possit. Nam *id scripturam non aliter asserere* ait, *nisi respectu nostri*, quod falsissimum esse, paulò post demonstrabimus. Illud verò rursus ita explicat, ut vel ex eo constet, quam a rationibus destituatur. Dicit enim, *ideo nostri respectu gratuitam dici remissionem, quia non ex nostris operibus aut meritis proficiscatur*, adductis aliquot testimoniis, quibus, nos non ex operibus nostris, sed ex gratia & misericordia Dei servatos esse, dicitur. Sed loci illi, in quibus negatur, nos propter opera nostra justificari, non opponuntur alicui rei, quæ extra nos sit, ob quam justificemur, nempe ob opera & merita Christi, ut ait Smiglecius: sed alii rei, quæ in nobis ipsis sit, præter opera, ut expressè, in loco Rom: 4. dicitur, *ei qui non operatur, sed credit in eum, qui justificat impium, imputari fidem ejus in justitiam* (quem locum dum allegat Smiglecius, mira est ejus negligentia, addit enim hæc verba, *secundùm propositum gratiæ Dei*, quæ tamen in isto loco prorsus non habentur.) Opponuntur, inquam, opera nostra fidei nostræ, & non ex illis, sed ex hac nos justificari jam aper-

Ingens Smiglecii lapsus & ignorantia.

Opera nostra nõ alienis operibus, sed nostræ fidei opponi a Paulo.

tè, jam tacitè dicitur. Nam & misericordia Dei, quæ Tit: 3. operibus opponitur, nulla alia est, quàm quòd Deus nos ob fidem justificare velit, per opera autem talis præceptorum divinorum observatio intelligitur, qualem lex requirebat, nempe perpetua & perfecta. Vnde etiam ista opera interdum simpliciter opera, interdum legis opera appellantur: Fides autem talem præceptorum divinorum observationem significat, qualem Evangelium præscribit, quæ nec perpetua est nec perfecta; talis tamen est, quæ hominem ab omni peccatorum habitu liberum requirit. Qua fide Deus perpetuò quidem homines servabat: sed modum istum nec ante legem nec sub lege proposuerat. Vnde Paulus semel dicit, revelatam fuisse justiciam Dei ex fide in fidem per Evangelium, & alibi ait, fidem cum Evangelio venisse. Exsibilandus igitur est Smiglecius, cum ista sua tam absurda istorum verborum explicatione, qui opera nostra, Christi operibus, ut ille loquitur, hoc est, merito opponi somniat. Et certè hujusmodi oppositionis nullum in sacris literis vestigium unquam ostendet.

Per opera, significari absolutam obedientiam.

Rom: 1. 17.

Gal: 3. 25.

Nam quòd ait, *scripturam requirere redemtionem per sanguinem & mortem Christi*, id ad rem nihil facit, nisi doceatur, scripturam requirere redemtionem per sanguinem Christi, ut merita vel caussam salutis nostræ meritoriam, quod falsissimum esse hactenus ostendimus. Potest autem dici, requiri redemtionem per sanguinem & mortem Christi; quia sine fusione sanguinis Christi, & sine morte ejus redemtio fieri non debuerit vel etiam non potuerit. Dum verò ita audacter asserit, *remissionem peccatorum respectu Christi esse ex operibus etiam debitam, & esse iustitiam & propter opera justitiæ, quæ Christus pro nobis fecit, nobis remitti a Deo peccata*, miramur sanè hominem: sed non movemur. Nam, extra scripturam ista omnia dici, certissimum est. Quis enim talia unquam legit? Adversus scripturas etiam dici, persuasissimũ nobis est, ut suprà docuimus. Proinde licet nescio quoties Smiglecius iteret, *remissionem peccatorum esse gratuitam respectu tantum nostri, non autem Christi*, nunquam tamen id persuadebit nobis. Nam simpliciter & absolutè, gratis ex gratia Dei, dicitur esse remissio peccatorum sub N. F.: Smiglecius autem ipsemet fatetur, si remissio peccatorum esset omni respectu gratis, non posse ullam satisfactionem admitti, sive ejus propriam cui remittitur peccatum, sive alienam.

Quare redemtio per sanguinem Christi requiratur.

Remissio peccatorũ sub N. F. absolutè gratis, ex gratia dicitur esse, non respectu aliquo.

Quod porrò ait, *talem remissionem proponi in scriptura, quæ & sit gratis & per redemtionem*, opponit ea, quæ non sunt opponenda. Nec enim redemtio proponitur ut caussa efficiens istius remissionis peccatorum

Gratis & per redemtionem, non esse contraria.

catorum

catorum vel justificationis, sed ut causa instrumentalis vel media, quâ Deus ad justificationem, quam gratis nobis obtulit, confirmandam & perficiendam, usus est. Aliàs etiam dici posset, nos gratis non justificari, quia Deus & per fidem etiam nos justificet. Nam sine hac neminem Deus justificare decrevit; & tamen gratis id dicitur absolutè, quia fides non sit caussa efficiens justificationis, sed conditio illis a Deo imposita, qui paratam & oblatam justificationem consequi velint. Pari modo etiam dici potest, nos justificari gratis gratiâ Dei (ut Paulus emphaticè loquitur) absolutè, etiamsi non sine redemtione, quæ est in Christo Iesu, quia redemtio non sit causa efficiens illius remissionis & justificationis, sed medium, sine quo Deus justificationem ad exitum perducere noluerit.

Gratis nos justificari dici posse, etiamsi aliquid ad justificationē requiratur.

Hoc ita præmisso, Smiglecius argumenta nostra denuo exagitanda potiùs quàm refutanda aggreditur. Primum facit tale: Deus semper hominibus peccata remisit, nulla ab illis requisita vera satisfactione, sed sola pœnitentia & conversione ad Deum. Ergo nulla satisfactione opus est ad consequendam remissionem peccatorum. At malè format argumentum nostrum Smiglecius, & dolo rem totam agit. Nec enim nos dicimus, Deum, nulla ab hominibus requisita satisfactione, sed solâ pœnitentiâ, peccata illis remisisse: sed dicimus, Deum nulla vera satisfactione accepta, peccata hominibus remisisse; nec aliud ab illis requisivisse quàm pœnitentiam. Vbi verba illa: *nulla vera satisfactione accepta*, non ad homines, sed ad alium quemvis, a quo scilicet satisfactio proficisci potuerit, referuntur; & sensus est, Deum a nemine satisfactionem accepisse pro peccatis nostris, & tamen ea remisisse ob solam pœnitentiam. Vnde constat, quàm turpiter Smiglecius erret, si modo non datâ operâ ludit, dum sic respondet, *Deum, etiamsi a nobis satisfactionem non requisiverit, requisivisse tamen eam a Christo, quia non ad nos, sed ad Christum satisfactio pertinebat; & quia satisfactione Christi contentus erat, idcirco a nobis solùm pœnitentiam requisivisse*. Nostrum enim argumentum affirmat, nulla satisfactione vera absolutè, hoc est, a nemine prorsus accepta, Deum peccata hominibus remisisse; ab hominibus autem, nihil aliud requisivisse quàm pœnitentiam: Smiglecius verò nos dicentes facit, Deum ab hominibus nulla requisita satisfactione, sed sola pœnitentia, peccata illis remisisse; ut scilicet occasionem habeat nos eludendi & dicendi, non requisivisse quidem Deum a nobis sed a Christo satisfactionem. Quo dolo detecto, puto jam constare, quid de candore Smiglecii in argumento nostro formando & de responsione illius, sentiendum sit; nec opus esse, ut plura de ea dicam. Iam enim constat, si Deus,

1. Argumentum, Satisfactionē destruens.

Smiglecius falsa nobis affingit.

Smiglecius errans graviter ostenditur.

Dolus Smiglecii

Ex eo, quòd Deus solam pœnitentiam a peccatorib^9 requirit, cōstare, nullam esse satisfactionē pro peccatis.

si Deus, nulla satisfactione accepta a quoquam, hominibus peccata remisit, solâ pœnitentiâ a peccatoribus requisitâ, nullam esse pro peccatis satisfactionem. Cur enim Deus id tantùm, quod ex mente Smiglecii levius est, ad consequendam remissionem peccatorum requisivisset, si aliquid aliud longè gravius ad eandem remissionem peccatorum necessarium fuisset? nempe satisfactio, quam alius quis præstiturus esset. Quod verò Smiglecius, hoc fide ista in Christum implicita contineri, ait, ipsemet prodit, quid de sententia illius statuere debeamus, quæ scilicet obtinere nequeat, nisi aniles fabulæ obtineant, quas paulò antè satis fusè confutavimus.

Smiglecius ineptit.

Porrò cùm dico, non opus etiam fuisse, requirere ab hominibus pœnitentiam, si satisfactio fuit accepta pro peccatis illorum, Smiglecius ait, *satisfactionem non excludere conditiones & dispositionem convenientem ejus, pro quo offertur satisfactio. Quis enim*, inquit, *pro injuria satisfactionem accipiet, si is, qui offendit, pergit animo esse contumaci?* Sed non probat, nec probabile est, conditiones præscribi posse ei, pro quo plenè satisfactum est. Iam enim creditor tenetur ei debitum remittere, & non curare, quomodo se inposterum debitor gesturus sit. Quod sentiens fortassis Smiglecius, astutè terminos mutavit, & dixit, non excludi dispositionem ejus, *pro quo offertur satisfactio*: At pro hominibus non tantùm oblata est satisfactio, sed reipsa præstita & perfecta. Vnde constat, quia conditiones cum plena satisfactione consistere nequeunt, conditiones autem ad obtinendam remissionē peccatorum requirantur, satisfactionem veram, eamq; plenam, nullam esse, sed liberalem peccatorum condonationem absq; ulla satisfactione præcessisse. Hæc enim conditiones non excludit, sed egregiè includit, ut scilicet, quia Deus sponte sua peccatorum remissionē offert, in posterum resipiscamus, & peccatis ampliùs non serviamus, quia remissio peccatorum oblata effectum suum sine resipiscentia non sit sortitura. Et hæc una est inter alias caussa, de quibus suo loco dicemus plura, ob quam dogma satisfactionis prorsus sit repudiandum. Quia scilicet hominibus persuadere possit, non esse opus ullâ resipiscentiâ, siquidem pro peccatis planè satisfactum est.

Conditiones ei, pro quo plenè satisfactum est, præscribi non posse.

Smiglecius terminos mutat.

Liberalis remissio conditiones admittit.

Causa cur dogma satisfactionis sit rejiciendum.

Iam cùm dico ampliùs, pœnitentiam priscorum fidelium, non fuisse fundatam in fide promissi redemtoris, cùm nec ante Abrahamum promissus fuerit Messias, nec ullum de fide in promissum Messiam præceptum extiterit, nec deniq; fides in Christum promissum requirat, ut credatur aliqua satisfactio ab illo præstanda, Smiglecius aliud nihil iterum respondet, quàm *promissionem esse factam statim post lapsum: Semen mulieris conteret caput serpentis, Abrahamo autem*

tantùm

tantùm promissum esse, quod ex semine illius nasciturus esset Messias: fidem in Christum ab omnibus fuisse requisitam, ut fuit requisita fides in Deum, & fide in Christum contineri satisfactionem. Quæ quia paulo antè ab eo dicta etiam fuerant, & a nobis ibidem copiosè sunt refutata, nullâ me injuriâ Smiglecium afficere, si ista silentio nunc prætercam, prudens lector agnoscet.

Smiglecius idē repetit otiosè, cū respondere non potest amplius.

Inseruit hic aliquid Smiglecius, quomodo prophetæ non sibi, sed nobis ministrârint ea, de quibus vaticinati sunt, & quænam sit illa gratia, quâ N. F. vetus excellit: Sed & absq; omni necessitate & satis pueriliter, præsertim in quibusdam. Nunc enim disputatur; quæ verò Smiglecius disserit, ea interpretantis sunt non disputantis. Porrò unde constat, gratiam. N. F. eam esse, *quòd quis videat filium Dei in carne, & ex ore ejus audiat verba vitæ æternæ?* Plurimi enim viderunt Christum in carne, quibus tamen id nihil profuit? Quomodo verò gratia etiam N. T. ea esse potuit, siquidem antea etiam remissio peccatorum, quæ idem est, quod vita æterna, nota fuit hominib9, ut sentit Smiglecius? Num refert ex cujus ore id audias, dummodò audias? Gratiam etiam N. T., fuisse plenitudinem gratiæ divinæ effusam in Apostolos Spiritu S. misso de cælo, valdè jejunum est. Nec enim id propriè gratiæ est, quod alii donatur, sed quod nobis. Sacramenta deniq; admiranda a Christo instituta, huc etiam adduci, certè nimis anile est, præsertim si id de sacramentis Ecclesiæ Romanæ intelligas. Potissima enim horum pars sacramenta non sunt, ut jam potior Christiani orbis pars sufficienter adversus Pontificios demonstravit: quæ verò ita dici merentur, non gratia N. T. sunt, sed actiones illorum, qui gratiæ istius N. T. participes jam sunt effecti. Vera gratia N. T. & ejus propria est, promissio vitæ æternæ, confirmatio ejusdem, ut per alia, sic potissimùm per mortem Christi, ostensio ejusdem in Christi resurrectione, plenissima de eadem certificatio per Christi divinam potestatem, perfectissima ejusdem in animis nostris obsignatio per donum Spiritus S., qui est pignus hæreditatis nostræ. Quibus omnibus ii caruerunt, qui ante Christum extiterunt.

Smiglecius otiosa narrat loco disputationis.

Gratiam N. T. nō esse, Christum in carne videre.

Nec plenitudinē Spiritus S. in Apostolos effusam.

Nec Sacramenta.

Vnde etiam constat, quàm ineptè vel imperitè Smiglecius tempus N. T., tempus gratiæ ob id appellet, *quòd ea gratia non ex lege, sed ex novo Testamento derivata fuerit in eos, qui sub lege vivebant.* Iam enim antea non semel contendit, ante promulgatum Evangelium Deum proposuisse omnibus hominibus ab orbe condito Christum tanquam redemtorem, & omnes in Christum credidisse. Quomodo igitur ex Evangelio demum ad eos gratia derivata est? vel quid opus fuit, eam ad illos derivari? Itaque ægrè non ferat Smiglecius, fabulam id a no-

id a nobis appellari, dum dicit, *satisfactionem Christi a Deo prævisam & acceptatam, & respectu ejus peccata hominibus ab orbe condito remissa fuisse.* Ipsemet autem, calumniari se nos, sciat, dum ait, *nos affirmare, Christi sanguinem non fuisse sufficientem ad innumeras hominum myriades per quatuor annorum millia redimendas.* Non enim non sufficientem, sed non necessariam ad eos, isto modo, quo nos a peccatorum tùm culpa tùm pœna redimit, redimendos esse dicimus. Quanquam redemtionem etiam, hoc est, liberationem ab æterna morte omnibus prorsus fidelibus per Christum eventuram, firmissimè statuimus, de quo suprà non pauca diximus.

Christi sanguis non fuit non sufficiens, sed nō necessarius ad eos, qui ante Christū fuerant, redimendos.

2. Argumentum, adversus satisfactionem.

Alterum argumentum nostrum est: Deus promisit in N. F. se propitium futurum iniquitati populi sui, & peccatorum eorum non recordaturum ampliùs Hier: 31. Hebr: 8. 12. Ergo nullam satisfactionem pro peccatis requisivit. Propitium enim esse iniquitati, & curare, sibi pro illis plenissimè satisfieri; non recordari item peccatorum, & pœnas a Christo peccatorum tam rigidè exigere, prorsus contraria sunt. Nec mirum esset, Deum iniquitates non imputare & peccatorum ampliùs non recordari, si jam illi uberrimè pro eis satisfactum est, & Deus ne minimum quidem impunitum reliquit? Nec ulla esset munificentia & liberalitas Dei, quam tantopere prædicat, si de jure suo ne tantillum remittere voluisset. Hoc argumentum ego ita validum esse dixeram, ut nulla ratione loco moveri posset, nedum everti, & id nunc iterum dico. Smiglecius spem verbis simulans, adeo debile & infirmum esse ait, ut unico verbo ex scripturis diffl ari queat. Videamus igitur illud unicum verbum: *Deus*, ait, *non alia ratione promisit, se futurum propitium iniquitatibus, peccataque hominum non recordaturum, nisi per redemtionem, quæ est in Christo Iesu, ut suam clementiam non extra redemtionem considerari velit, sed in ipsa redemtione & peccatorum propter redemtionem remissione?* Sed Smiglecius partim nihil prorsus dixit ad rem pertinens, partim falsum dicit. Quid enim? Num ideo satisfactum est Deo, quia Deus per redemtionem, quæ est in Christo Iesu, nos justificavit vel peccata remisit, & clementiam suam non extra redemtionem considerari vult? Nonné hic tacitè sumitur pro concesso, in redemtione, quæ est per Christum, contineri satisfactionem, & sic mera est nugatio? Iam verò antea ostensum a nobis est, vocem redemtionis, cùm de salute nostra sermo est, simplicem tantùm liberationem significare. Redemti enim sumus ab iniquitate, ab hoc seculo malo, a vana conversatione a patribus tradita, in qua propriè acceptam redemtionem nullum habere locum, mani-

Redemtio non infert satisfactionē.

Vox redemtionis simplicem liberationem significat.

manifestius est, quàm ut probari debeat. Falsum autem esse, Deum propter redemtionem peccata remittere, tum hinc constat, quòd id nusquã scriptura dicat, tum quòd id liberalitati divinæ, quæ in negotio justificationis nostræ maximè commendatur, adversa fronte repugnet. Statuitur enim, hoc loquendi modo, sanguis vel mors Christi caussa impulsiva & meritoria remissionis peccatorum. Meritoriam verò caussam remissionis peccatorum nostrorum nullam esse suprà ostendimus: impulsiva autem ejusdem caussa nulla est præter Deum. En habes illud unicum verbum, quo argumentum nostrum difflari posse gloriatus erat Smiglecius: an ita se res habeat tuum est, lector cordate dijudicare. Equidem id vanissimè dictum esse vel hinc conjicio, quòd Smiglecius, posteaquam verbum illud unicum protulisset, magno conatu duplicem modum, quo Deus clementiam suam declarare potuerit, nobis vult persuadere: alterum quidem, si absque ulla satisfactione accepta peccata remisisset; alterum dum per redemtionem & satisfactionem Christi nobis peccata remisit. Et hoc altero modo Deum peccata nobis remisisse contendit, ita ut misericordia simul & justitia hîc concurrerint, ut in aliis Dei operibus. Quæ deductio satis argumento est, non unico verbo difflari argumentum nostrum potuisse. Quorsum enim tam miro discursu de duplici Dei clementia opus fuisset? Quanquam in isto discursu nihil sanum est, nihil rectum. Quis enim unquam de tali clementia audivit, quæ satisfactionem plenam exigat? Nonné hoc ipso prodit se falsitas istius dogmatis, cùm istiusmodi portenta nobis obtrudat? Nonné ad ipsam rationem nostra sententia accõmodatissima est, quæ eam in Deo clementiam commendat, quæ verè & propriè talis est, dum scilicet sine ulla satisfactione debitum remittitur? Et debebat sanè Smiglecius, & lector pius hinc cognoscere, quàm iniquè nos tractet Smiglecius, & quantùm peccet, dum nos, qui Deum eâ clementiâ usum esse contendimus, quam ipsemet veram esse concedit, ob id ipsum blasphemos esse, non semel dicere non erubescit. Extorsit Deus talem ex ore Smiglecii confessionem, ut tandem, si modò velit, resipiscat, & si id, quod nos de modo clementiæ divinæ affirmamus, recipere nolit, saltem mitiùs in posterum cum illis agat, qui modum clementiæ per se verum & Deo dignum, rejecto altero, dubio saltem & certè Deo indigno, in negotio salutis asserunt.

Deum non remittere peccata propter redemtionẽ Christi propriè.

Vanus Smiglecii conatus in ostendẽdo duplici modo clementiæ.

Clementia nulla est, quæ plenã satisfactionem exigit.

Modus clementiæ verus, sine ulla satisfactione remittere.

Injuriã nos Smiglecius conviciatur, qui modum, quem ipsemet verum esse cõcedit, clementiæ agnoscamus.

Porrò quæ de conjuncta misericordia & justitia in redemtione innuit, ea prolixè a Socino sunt tractata & refutata in 1. parte libri de Servatore. Ego, nunc tribus verbis rem expediturus, dico, Deum nec misericordiâ, nec justitiâ (qualem hîc intelligunt adversarii) in nego-

tio salutis nostræ usum fuisse, si vera sunt, quæ de satisfactione Christi disserit Smiglecius. Misericordia enim prorsus exigit, ut debitum remittatur: Iustitia verò, ut ille ipse, qui deliquit, & non alius pro eo, puniatur, præsertim cùm reus adest. At neutro horum usus est Deus, si vera sunt, quæ dicit Smiglecius. nam debitum suum exegit, & pro nocente innocentem crudelissimè afflixit. Ex nostra vero sententia, Deum verè misericordem & justum sese exhibuisse, ad oculum videre est. Nihil enim prorsus nec a nobis nec ab alio pro nobis exegit, & ea in re justum sese, hoc est, rectitudinis & æquitatis observantissimum esse, declaravit. Hæc enim justitia, ut in Deo naturale est attributum, ita in omnibus Dei actionibus apparet: at altera illa, de qua Smiglecius loquitur, & quæ severitas vel ira appellari potest, ut non est in Deo attributum naturale, sic in actionibus Dei non nisi tunc apparet, quando Deus ita decrevit & vult. Nam si in Deo attributum esset necessarium, nihil Deus unquam sine severitate vel ira facere posset, quod quàm falsum sit, nemo non vel ex eo intelligit, quòd Deus ad iram tardus esse dicitur. Nam ad ea, quæ in Deo insunt naturaliter, non tardus aut velox esse dici potest, sed semper necessariò illis utitur & ea exerit. Sed de his plura dicere nunc non est necesse.

Nec misericordiâ nec justitiâ Deum usum in nobis servandis, ex mente Smiglecii.

Quomodo Deus misericordiam & justitiam exeruerit in salute nostra.

Iustitiam, quâ Deus punit, non esse in Deo naturaliter.

Modum clementiæ, quem nobis confinxit Smiglecius extra illum verum & unicum, quo liberaliter absque ulla satisfactione peccata remittuntur, fictitium esse, falsum, absurdum, & Deo prorsus indignum, pleno ore constanter proclamamus, & jam veritatem, quam nos confitemur, ipso adversario teste, vicisse gloriamur. Nec obscurabit eam Smiglecius unquam, quantumvis dicat, *non unum esse clementiæ divinæ modum*. Vt ut enim non unum esse concedere possimus: hic tamen perpetuò relegandus erit, qui cum plenæ satisfactionis acceptatione conjunctus esse fingitur.

Imponit autem sibi & aliis Smiglecius, dum modos clementiæ diversos constituit ex iis rebus, quæ omnes ad unum modum referri possunt & debent. Remissio enim spontanea, quam Smiglecius, uno verbo fieri potuisse dicit, modus est ille unicus, quo peccata Deus remittit. *Quòd verò Deus filium in mundum misit, & eum pro peccatis mori mandavit*, id non novus est peccata remittendi modus, sed illius unius & unici modi, remissionis peccatorum clementissimæ, clementissima ad exitum perductio, quam Deus pro sua sapientia ultimis mundi temporibus reservaverat. Nam si Christum Deus non misisset, & pro nobis in mortem non tradidisset, absque certa remissionis peccatorum verorum spe vivere nos & mori oportuisset, ut alios, qui ante Christum vixerunt, quæ extrema sanè fuisset miseria. Iam

Christi in mundũ missio & mors, nõ est novus peccata remittẽdi modus, sed modi peccata remittendi unici ad exitum perductio.

verò

verò, cùm nobis per Christum missum non tantùm annunciata, sed etiam per traditum in mortem confirmata est remissio peccatorum, verè Deus non solùm charitatem, sed etiam nimiam charitatem declaravit, qui etiã proprio filio non pepercerit, sed eum pro nobis tradiderit. Et bonam hîc observationem Smiglecii esse dicimus in verbo *etiam*, quòd scilicet Deus rei omnium sibi charissimæ non pepercerit, sed eam in nostros usus impenderit. Quanquam alio respectu eam ab Apostolo appositam esse credimus, de quo alibi suprà diximus.

Emphasis vocis *etiam*.

Non dicat porrò Smiglecius, modum clementiæ a se confictum, esse modum remissionis per redemtionem. Hic enim modum remissionis peccatorum per redemtionem, est modus ille, quem priorem facit Smiglecius, præter quem non est alius. Nam ibi, ubi fit mentio justificationis per redemtionem, quæ est in Christo Iesu, adduntur ista duo, non otiosa, sed valdè emphatica verba *Gratis*, *ipsius gratiâ*. Vnde constat, nihil mutari istum clementiæ modum per verba subsequentia *per redemtionem*, quæ est in Christo Iesu, hoc est, ex merè liberali, fieri talem, qui satisfactionem exigat, ut vult Smiglecius: sed illum eundem modum gratuitum declarari, tum in quo consistat, tum quo medio nobis patefactus & ad exitum perductus sit. Illud autem est redemtio vel liberatio, quæ antea nunquam pervulgata fuerat, & quam Christus nobis patefecit, nempe Deum nos liberaturum a morte æterna, & vitam nobis donaturum immortalem. Hæc enim vera & perfecta est justificatio, liberari a morte æterna, & vitâ donari æternâ. Hæc porrò tam augusta justificatio per liberationem talem, quia per Christum primùm innotuit, & per eundem fidelibus tandem dabitur, in Christo Iesu esse dicitur.

Mod⁹ remissionis per redemtionẽ, est modus remissionis, qui merè liberalis est.

Cur mod⁹ ille per redemtionem factus dicatur.

Pudeat denique Smiglecium istorum verborum, quibus alterum a se confictum clementiæ divinæ modum commendatur⁹, multo majorem, nobiliorem & diviniorem isto priori esse affirmare non dubitat, qui tamen ne clementia quidem appellari meretur. Nam, ut rem ipsam denuo explicemus, ad veram clementiam duo requiri, rectissimè a nostris dictum est. Vnum est, ut debitum remittatur, alterum, ut nihil pro debito accipiatur: vel, ut Socinus loquitur, ut is, qui debet, ea obligatione solvatur; & is, cui debetur, sibi satisfieri nolit. Quod verissimum esse ipsa dictat ratio, nec unquam Smiglecius hîc sese extricabit. Quod enim ait, *hunc etiam esse clementiæ modum, cùm quis non vult quidem absque solutione debitum remittere, verùm solutionis illius faciendæ causâ rem sibi charissimam & maximi pretii im-*

Ad veram clementiam requiri, ut & debitum remittatur, & nihil pro eo accipiatur.

Impendere pro aliquo aliquid solutionis causâ, nō est remittere debitum, sed damnū novo modo compensare.

pendit, verè id a nobis antea dictum fuit, non esse illam veram clementiam, sed rationem novam damnum cōpensandi, quæ compensatio damni excludit veram clementiam eius, cui damnum compensatur. Addo nunc illud, istam rei charissimæ pro aliquo impensionem, non constituere novum clementiæ modum, sed clementiæ illius prioris, quæ scilicet merè liberalis est, auctarium censendum esse. Deus enim sponte sua, ex charitate magna, qua nos dilexit, peccata nobis remissurum se promisit: Idem, ut ea res nobis persuaderi & ad exitum perduci posset, alterum hoc etiam addere non detrectavit, nempe ut Christus mortem pro nobis perferret. Quam verò clementiam aliam fingit Smiglecius, ea tantùm dimidiata semper est, & proinde ignobilior eâ, quæ a nobis asseritur. Quis enim non videt clementiam, si non tolli, saltem obscurari: si ab alio, præsertim innocente, satisfactio plenissimè exigatur, etiamsi nocens non puniatur?

Impensio pro nobis Christi nō est novus clementiæ modus; sed clementiæ liberalis auctarium.

Smiglecii conficta clementia, dimidiata tantùm est clementia.

Convitium Smiglecii.

Verè etiam ambages istæ a me dictæ fuerant: nec erat quod me impium Smiglecius propterea appellaret. Nam quis non videt ambages illas esse, si quis, cùm possit sponte sua aliquid remittere, velit ipsemet procurare, ut illud sibi solvatur? Cùm igitur Deus, quia summus est omnium & absolutissimus Dominus, potuerit hominibus peccata remittere, nec quicquam vel in Deo vel extra Deum sit, quod eum aliter facere cogat, stultum sanè est, dicere, Deum voluisse, vel quocunque modo procurasse, ut sibi pro peccatis satisfieret. Et sanè quàm frivolum illud sit, quod ait Smiglecius, vel hinc apparet, quòd nihil aliud afferre queat, præter illud, *quòd Deus in redemtione potiùs, quàm sine redemtione clementiam declarare voluerit*. Iam enim antea ostensum est, istam clementiam, quæ facta est per redemtionem, non constituere novum clementiæ modum, sed prioris & unici clementiæ modi esse declarationem. Nam & nos, qui istum modum clementiæ divinæ, quem priorem facit Smiglecius, sine satisfactione scilicet; sine redemtione non factum esse credimus: Imò modi clementiæ, quæ sine satisfactione est, completio est redemtio, quæ est in Christo Iesu. Breviter dicam iterum, quod controversiam hanc totam dirimere potest. Clementia vel justificatio per redemtionem, quæ est in Christo Iesu, non includit satisfactionem: sed pertinet ad illam clementiam pertexendam & conficiendam; Et justificatio gratuita per redemtionem, quæ est in Christo Iesu, plena est charitate & clementia Dei: at satisfactio his rebus omnibus contraria est.

Dicta non semel dicūtur iterum otiosè a Smiglecio.

Redētio est completio modi veræ clementiæ.

Res ipsa breviter repetitur.

Nec minùs & illud verum est, Deum obligatum fore ad remittendæ

tenda nobis peccata, si plenam pro illis satisfactionem accepisset, ac proinde nullam fore ejus veram clementiam. Et sanè Smiglecius nihil aliud afferre potest ad illa elevanda, præter illum suum dimidiatæ hoc est, fictitiæ clementiæ modum, *quòd scilicet Deus ipse id impenderit, unde satisfactio oriretur*. Semper enim claudicat clementia, ubi is, cui debetur, suum perfectè recipit, qualemcunque se tandem erga debitorem exhibeat. Et in hoc errore Smiglecium hærere necesse est perpetuò, quamdiu, satisfactionem a Deo requisitam esse, affirmabit.

Clementia imperfecta semper est, vel potius nō est, ubi creditor suū perfectè recipit.

Rectissimè & illud dictum est: Crudelem potiùs quàm clementem habendum esse Deum, si injurias suas in alio innocente ulciscatur. Nec contrarium unquam dicit scriptura. Nam aliud est, Deum filio non pepercisse, & percussisse eum propter scelus populi sui, & in mortem pro nobis tradidisse: aliud verò, Deum nostras injurias in Christo ultum esse. Nam si injurias suas ulcisci Deus in Christo voluisset, non tantùm non parcere & percutere eum & in mortem tradere debuisset, a qua tertia die liberatus fuit, sed in æterna illum morte relinquere. Quanquam nec sic injurias ultus fuisset. Vnius enim mors æterna pro infinitis myriadibus hominum, qui eandem mortem meriti erant, quomodo satisfecisset? Peregregiè autem dici potest, Deum non pepercisse filio suo, percussisse eum propter scelus populi sui, & in mortem tradidisse pro nobis; quatenus voluit, ut Christus innocentissimus afflictiones & mortem pateretur, ut inde summum ad nos rediret beneficiū. Qua de re suprà egimus prolixè.

Non parcere alicui, percutere eū propter scelus populi sui, in mortē pro illis tradere, & injurias suas in aliquo ulcisci, differunt.

Miror autem, Smiglecium affirmare vel saltem concedere, Deum injurias suas in alio innocente ultum esse. Hoc enim de Deo dicere, est, verè eum crudelem facere & quodammodo blasphemare. Nihil autem proficit Smiglecius, dum eum non crudelem esse dicit, *qui pœnas ex justitia debitas ab alio exigat, etiamsi is innocens sit, dummodo nocentis partes susceperit & pro eo, ut pœnas lueret, se obtulerit*. Nā nec Deus pœnas ex justitia debitas ullas exegit, ut pote absolutissimus Dominus, penes quem est offensas in se commissas, cui velit, remittere; nec Christus sese ad pœnas, luendas obtulit; nec denique, etiamsi Christus sese obtulisset, Deus id acceptare debuisset. Itaque si innocentem pro nocente punivisset Deus, crudelis simul, injustus & imprudens fuisset. Nullus enim judex unquam permittit, ut innocens se pro nocente offerat; vel saltem nunquam istam oblationem accipit, præsertim tunc cùm nocens vel reus præsens est. Iam cùm addit, *si crudelitas ea censenda esset, non in nos esse crudelitatem, sed in Christum*, ad id jam responsum est, Deum, dum a crudelitate eum vult liberare Smiglecius, injustitiæ & imprudentiæ accusari, qui scilicet,

Smiglecii dogma plus quàm absurdum, Deū in innocente injurias suas ultum esse.

Satisfactionis acceptatio Deū crudelem, injustum, & imprudentem facit.

cum reus adsit, non reum sed innocentem, licèt seipsum pro nocente offerentem, puniverit.

Smiglecii confessio notanda.

Concedit porrò iterum Smiglecius, potuisse Deum absque satisfactione peccata remittere. Quid igitur causæ est, cur absq; satisfactione remittere noluerit, ut ille ait? En duas affert causas Smiglecius, quas si sustulerimus, ipsemet credo confitebitur, non esse, cur illi alteri fictitio modo remissionis peccatorum per satisfactionem amplius faveat. Vna est, *ut ea ratione justitiam suam in peccatis vindicandis; altera est, ut charitatem in remittendis per tale medium (quod immensam Dei charitatem continet) declararet.* At priorem rationem nullam ferè esse, ipse Smiglecius docet, dum paulo post addit (quod sanè miror,) non esse in Deo talem justitiam, quâ teneatur absolutè peccata vindicare. posse enim tanquam Dominum jure suo cedere, & offensas simplici voluntate remittere. Prorsus autem nullam esse hanc rationem, hoc potissimum docet, quòd, si justus esse Deus verè voluit, non innocentem sed nocentem, præsertim cùm præsens esset, punire debuit. Alteram vero rationem seipsum destruere jam non semel demonstravimus. Nam qui satisfactionem exigit pro debito suo a quocunque tandem, eamque, plenissimam, is quidvis aliud potiùs, quàm charitatem, eamque ut Smiglecius audacter ait, immensam exercere dicendus est. Nonné enim perfectior illa charitas est, si absque ulla satisfactione debitum remittat? Si perfectior hæc, ego altera illa non est immensa. Quid immensam dicam, indigna est quæ charitas appelletur. Nihil enim de suo remittit, in quo potissima charitatis vis sita est. Minus enim est, a debitore nihil exigere, quàm sponte sua remittere: & hoc demum, non illud animi generosi & charitatis pleni argumentum est. Quot enim sunt homines sordidissimi & iniquissimi, adeoque tales, in quibus nihil sit erga creditores charitatis, qui nihil a debitoribus suis exacturi sint, dummodo pro illis satisfiat ab alio. Vnde constat, posse nihil a debitore exigi: & tamen nullam charitatem esse in eo, qui nihil ab illo exigit, tantum abest, ut immensa ista charitas dici debeat: et ad charitatem ostendendam requiri non tantùm, ut creditor nihil a debitore accipiat, sed etiam, idq; potissimùm, ut nihil prorsus accipere velit sive a creditore sive ab alio loco ejus. Nam si solvatur pro debitore aliquid creditori, debitor tantùm se a debito liberum esse credere: at se amari a creditore, ex eo ipso nullo modo colligere poterit. Facilè enim fieri posset, ut satisfactionem pro debitore creditor admittat, sed non sine indignatione, eaque perpetua, quæ certè immensæ charitati repugnaret. Itaq; constat, majoris clementiæ esse absque satisfactione peccata remittere.

Smiglecius seipsum refutat.

Quid ad justitiã Dei perfectam requiratur.

Charitas summa non est, ubi creditor debitũ exigit,

imò nulla.

Ad charitatem ostendendam erga debitorem, potissimum requiri, ut de suo creditor remittat.

Dum

Dum verò Smiglecius ait, *non minoris clementiæ esse, talem redemtionem summa charitate plenam, hoc est, satisfactionem procurare*, attendat primùm, quomodo sibi constet, qui antea dixerit, modum clementiæ, quâ satisfactio ex igitur, esse majorem, nobiliorem & Deo digniorem: nunc verò dicit, eam non esse minorem. Deinde expendat iterum, cur in nos tam superbè invehatur, quos modum sectari clementiæ divinæ in remissione peccatorum tacitè confitetur; qui majorem clementiam contineat, quàm ille, quem ipse sequitur. Denique consideret illud, quod paulò ante dixi, quòd remissio peccatorum per satisfactionem fieri possit, absq; ulla ejus, qui remittit, erga eum, cui remittuntur, charitate.

Smiglecius sibi non constat.

Smiglecius injuriâ nos insectatur.

Iam & illud quàm rectè dictum est a nobis, magis homines a peccato deterreri, si ea sibi clementer remitti audiant, additis tamen minis, si in posterum peccent, quàm dum audiunt, pœnas sibi debitus ab alio fuisse exactas. Nec habuit, quid huic sanctissimæ veritati opponeret Smiglecius. Primùm enim ait, *nullum unquam a peccato deterritum fuisse spe veniæ facile consequendæ, quin potiùs multos ea cogitatione in peccata liberiùs ruere.* Quæ verba equidem mirarer a Smiglecio scripta esse, nisi aliter eum scribere non potuisse vi religionis Pontificiæ, persuasum haberem. Falsissima autem esse vel fallaciâ nō carere, nonnè hinc constat, quòd, testibus omnibus Theologis, causa veræ pietatis sint hæc duo, metus iræ divinæ, & amor vitę æternæ. Vnde fallacia ista apparet, quòd Smiglecius, quæ ego dico de gratia simul, quæ in remissione peccatorū consistit, & de minis, ad solam gratiam refert. Quanquam nihil etiam dubitem dicere, solam remissionem peccatorum, si quis benè intelligat, quam latè illa pateat, vim habere ad deterrendum nos a peccatis. Vt ut enim minæ etiam juvent: tamen, ut ille ait: Oderunt peccare mali formidinæ pœnæ. Mali, non probi, oderunt peccare, non verò justitiæ studere, pœnæ formidinæ: at virtutis amor, proposito præsertim præmio prorsus incomparabili, si quis eum constanter foveat, vera veræ omnis pietatis in Deum & homines causa censenda est. Et illud sanè volunt verba D. Ioannis: *Qui habet hanc spem* (nempe quòd Deo futurus sit similis, quod idem cum remissione peccatorum) *in eo, purificat seipsum sicut ipse purus est.* Deinde ait Smiglecius: *Quamvis pœnæ inferni peccatis propositæ nos a peccato deterreant; negari tamen nequit, summam quandam vim in passione Christi esse ad nos a peccatis potentissimè deterrendos.* Sed primùm parum rectè pro minis, de quibus ego loquor, pœnas inferni ponit. Sunt enim præter illas inferni pœnas, plures pœnæ, quæ

Homines a peccatis deterreri minis & promissis.

Promissa plus valere ad deterrendum nos a peccatis, quàm minas.

1. Ioan. 3. 3.

Præter inferni pœnas alias esse non minùs efficaces.

quæ fortassis plus in homine efficere possunt, ut peccatum odio habeat vel saltem non designet, quàm pœna inferni; quia scilicet plerumque nos magis moveant præsentia quàm futura. Deinde ineptè mortem Christi opponit ei, quod ego causam, quæ nos a peccato deterreat, esse dixeram, nempe si audiamus, peccata nobis clementer remitti. Christi enim mors ad illud ipsum pertinet, quatenus nimirum istius gratuitæ remissionis pecatorum confirmatio est perfectissima. Hinc in ss. literis, non semel istæ duæ, quasi principales causæ veram pietatem efficientes, proponuntur; nempe gratia Dei vel remissio peccatorum, & mors Christi, tanquam confirmatio istius gratiæ. Vt inter alia loca hæc duo demonstrant, 1. Thess: 5. 10. *Non posuit nos in iram, sed in acquisitionem salutis, per Dominum nostrum Iesum Christum, qui mortuus est pro nobis, ut, sive vigilemus sive dormiamus simul cum illo vivamus.* Tit: 2. 11, 12, 14. *Apparuit gratia Dei salutaris omnibus hominibus erudiens nos, ut abnegata impietate & mundanis cupiditatibus, sobriè, justè ac piè vivamus in hoc seculo,* &c. & paulò post, *qui (Christus) dedit semet ipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibiipsi populum, sectatorem bonorum operum.* Vt verò hoc modo, si scilicet sit confirmatio N. F. & remissionis peccatorum passio Christi, negari non potest, summam vim esse in ea ad nos a peccatis potētissimè deterrendos: sic, si pro satisfactione pro peccatis habeatur mors Christi, nullam prorsus vim habebit vel levissimè ad nos a peccatis deterrendos. Quis enim cogitet de debitis suis, si jā alius exolvit omnia? Et hoc ita se habere experientia, proh dolor, nimis copiosè contestatur, Quicquid enim inter Christianos peccatorum est, id, ut aliis erroneis doctrinis, sic potissimùm huic de satisfactione Christi pro nobis, tribuendum est.

GratiaDei & mors Christi æquè nos à peccatis deterret.

Mortem Christi, si in ea sit satisfactio, hominem a peccando non deterrere.

Non est autem dissimulandum, quòd Paulus in eodem loco 2. Cor: 5. 14. in quo ait, charitatem Christi nos urgere, ut sic statuamus, quia Christus pro omnibus mortuus est, omnes esse mortuos, & pro omnibus mortuum esse, ut, qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est, addit illa verba, *& qui resuscitatus est*, satis indicans, vim istam a peccatis nos potentissimè deterrendi, non in sola morte consistere, sed quatenus istam mortem consecuta est resurrectio, hoc est, exaltatio Christi & divina ejus potentia. Nam nisi hoc consecutum fuisset, essemus adhuc in peccatis nostris, & non tam potenter ad desistendum a peccato urgeremur.

Non tantùm Christi mors, sed etiam eā consecuta exaltatio nos a peccato deterret.

Illo deniq; vix aliquid dici potuit ad rem accomodatius, quòd, etiamsi Christi morte pro nobis non sit satisfactum, tamen omnia vera &

vera & salutaria bona in nos ex ea redundent. Nã Christi morte summa nobis Dei charitas declarata, & novum Fœdus perfectissimè confirmatum est; mortem Christi deniq; potentia ejus divina consecuta est, quibus rebus omnibus & singulis salus nostra nititur. Nam si constet certò, Deum & Christum nos posse & velle servare, tota salutis ratiò integra est. Hoc verò utrumq; ita, tùm ex morte Christi, tùm ex ea consecuta exaltatione & potentia constat, ut nemo sanæ & non prorsus improbæ mentis ea de re dubitare possit. Nam si Deus filium suum in mortem tam truculentam tradidit, & si Christus eam sponte sua subiit, quis Deum & Christum nos servare velle dubitet? *Si Deus filio proprio non pepercit*, ait Paulus, *quomodo nobis omnia cum eo non donet?* Faciliùs enim est, hominem Deo fidentem servare, quàm pro inimico Dei, filium Dei in mortem tradi. Si Christus rem omnium charissimam nostri causa impendit, quis dubitet, illum nobis salutem etiam dare velle? Rursus, si Deus Christum ex mortuis resuscitavit, nobis per omnia similem, quis dubitet, eum alios, etiam ipsi obedientes, ex mortuis resuscitare posse? Quis item dubitet, siquidē Christus potestatem habet subjiciendi sibi omnia, & omne judicium ei datum est, eum etiam posse nos vitâ æternâ donare?

Quomodo omnia salutaria bona ex morte Christi sine satisfactione redundent.

Non quiescit tamen Smiglecius, & falsissimum id esse, levissimã, imò futilissimam ob causam ait, quæ est: *Nam sine satisfactione non esset vera redemtio*, quæ uno verbo confutari potest. Vera esset redemtio, sed non esset propriè redemtio. Redemtionem autem in sacris literis impropriè accipi, & nudam liberationem significare, satis superq; suprà demonstratum est. Nam & de Deo dicitur, quòd nos redemerit; & de sanguine Christi vel de ipso Christo, quòd simus per eum redemti; vel, quòd nos Christus redemerit a vana conversatione nostra a patribus tradita, a seculo malo, ab iniquitate; ubi redemtionem propriè dictam non intervenisse, sana dictat ratio. Nihil enim Deus cuiquam pro nobis dedit, nec vel sanguis Christi datus est, vel Christus seipsum dedit, vel dare potuit iis rebus, a quibus nos liberavit. Et hoc est illud ruinosum & verè stramineum argumentum, super quod tota ista satisfactionis fabrica superstructa est.

Vera est nostra redemtio, sed non propria.

Vocem redemtionis impropriè accipi.

Non pauca quidem dicit Smiglecius de emtione & pretio: sed illud semper omittit, quod hic maximè spectandum est, an alicui pretium pro nobis datum sit, vel solutio facta. Quod falsissimum esse suprà docuimus. Nam, aut nemini, aut non nisi Deo dari potuisse pro nobis pretium, ipse tandem Smiglecius fatetur. Quia verò Deo pro nobis aliquid datũ esse, nec scriptura dicit vel obscurè unquã; (quod tamen, si verum & tam necessarium, ut vult Smiglecius, esset, dicere

Nuspiam legitur, aliquid ꝑ nobis alicui datũ esse.

deberet, & diceret certè disertè & creberrimè,) nec quicquam vel ex scriptura, vel sana ratione afferri potest, quod istam stultam opinionem suadeat; imò plurima afferri possunt, & etiam afferuntur a nobis, quæ contrarium docent; restat, nemini quicquam pro nobis datum aut solutum esse, & proinde impropriè redemtionis vocem accipi pro liberatione. Quod tamen non frustra factum esse statuendum est. Nam ista voce redemtionis indicatur, tum causa impulsiva liberationis nostræ, tum medium ad illam liberationem adhibitum. Nam in redemtione propriè accepta, semper charitas ejus præsupponitur, qui redimit: in liberatione verò simplici non item. Potest enim ea, cupiditate vindictæ erga eum qui captivum detinet, fieri. In redemtione itidem, semper jactura rei alicujus caræ adhibetur: at in liberatione simplici, potest vel vis, vel dolus eam interdum præstare. Hæ sunt causæ veræ, ob quas nostra liberatio & salus interdum voce redemtionis describatur. Idq; præter alia hinc etiam constat, quòd nostra futura a morte æterna simplex liberatio, redemtio etiam; & dies ultimus quo illud futurum est, dies redemtionis appellatur.

Cur nostra salus impropria voce redemtionis describitur.

Nolo autem nunc quicquam respondere ad ea, quæ Smiglecius adversus ea, quæ nos de fructu mortis Christi sentimus, affert. hoc enim paulò ante sufficienter a me, saltem aliquoties, præstitutum est. Hoc solùm dico: si ea, quæ nos recensemus mortis Christi commoda, non fuerunt sufficiens causa mortis Christi, quæ & ad gloriam Dei mirificè amplificandam, & ad nostram salutem confirmandam pertinent, & per se Deo dignissima sunt; nihil esse, ob quod Christum mori Deus voluerit, præsertim morte tam truculenta. Omnes enim Christiani credunt, unâ guttâ sanguinis pro omnibus peccatis totius mundi satisfieri potuisse; & sic Deus injustus, crudelis, imprudens, qui tam largè sanguinem illius fundi voluerit, reperietur. At causæ, quas nos mortis Christi recensemus, non unam guttam sanguinis Christi requirebant, sed ut scriptura loquitur, necesse erat, ut Christus in omnibus, hoc est, tàm in afflictionibus variis, quàm in morte eaq; violenta & truculenta, & tam in morte, quàm in afflictionibus variis similis nobis esset. Nec enim gutta sanguinis Christi, charitatem Dei tantam, quantam ex morte Christi scriptura proponit, testari potuisset ullo modo; cùm sine ulla vitæ jactura, & levissimo cum dolore, gutta sanguinis effundi possit: nec guttâ sanguinis N. F. confirmari potuisset; cùm unius guttulæ facilis sit prorsus jactura, & nihil in ea roboris, ad rem vel minimam nedum omnium maximam confirmãdam, inesse possit: nec gutta sanguinis mortem secum affert necessariò; Deus autem Christum moriturum, & per mortem & afflictiones

Cur non suffecerit, unam guttam sanguinis Christi effundi, sed opus fuerit, Christum totum occidi crudeliter.

ad glo-

ad gloriam eum suam perventurum decreverat, & per prophetas prædixerat: nec deniq; nos, per fusionem unius guttæ sanguinis Christi, (nos, qui Christi causâ non tantùm guttam sanguinis profundere, sed vitam etiam ponere, & infinitas afflictiones subire tenemur,) exemplum & incitamentum sufficiens habuissemus illud idem faciendi. Quæ tamen omnia, ut per mortem Christi fierent, Deum voluisse, disertè & expressè plurimis in locis S. testantur literæ.

Nec illud nunc refuto, quod Smiglecius exagitat. Christum scilicet nobis aliquid apud Deum propriè loquendo comparasse. Nam id antea feci, & verba mea me satis defendunt, & id, quod Smiglecium offendit, mitigant, dum dico, Christum *propriè &*, ut addidi antea, *accuratè loquendo*, nihil nobis apud Deum comparasse. Quomodo enim comparare aliquid Christus apud Patrem potuit, siquidem antea essent apud Patrem parata omnia, quàm Christus moreretur? Impropriè verò & vulgariter loquendo dici id posse non nego, quatenus is etiam comparare aliquid dicitur, qui id facit, sine quo res, quæ comparanda erat, comparari vel non debuit, vel etiam non potuit. Tale autem est mors Christi, & eam consecuta Christi potestas. Exagitet autem quantum velit verbis hanc nostram sententiam Smiglecius, certè, si antequam Christus moreretur, Deus paratus fuit nobis dare remissionem peccatorum, quod ut verissimum sic etiam clarissimum est ex sacris literis, nulla alia causa dari potest, ob quā Christus mortuus sit, quàm ut nos paratam Dei gratiam tùm amplecteremur, tùm consequeremur. Quod posterius, nempe *ut consequeremur*, dum omittit Smiglecius, cavillationem dolo etiam auxit. Non enim, ut solùm nos ad acceptanda ea, quæ a Deo offeruntur, excitet, fusus est sanguis Christi, sed ut nos eadem tandem per Christum cōsequeremur. Quod quantum sit beneficium, quia non expendit Smiglecius, nempe salutem nostram positam esse in manu, non tam Dei; cujus natura a nostra magis distat, quàm cælum a terra: sed Christi, quem non pudet nos fratres suos appellare; non mirum est, eum beneficia, quæ ex morte Christi ad nos pertinere credimus, ita extenuare.

Vbi omnia sunt parata, comparare aliquid non est opus.

Quatenus comparasse aliquid nobis Christus dici possit.

Vera Christi mortis causa.

Smiglecii dolus.

Summum beneficium esse, quod in Christi manu sita sit nostra salus.

Tertium argumentum nostrum facit Smiglecius. Nihil magis repugnat remissioni quàm satisfactio. Cùm igitur scriptura testetur, Deum nobis peccata per Christum remittere, ex eo sequitur, Christum pro illis non satisfecisse. Hoc argumentum quàm sit firmum, ut antea, sic etiam nunc quivis cordatus videre potest. Etiamsi enim variè illi insultet Smiglecius, nihil aliud tamen excogitare potuit, quàm id quod jam semel dictum & a me refutatum fuit, de duplici scilicet

3. Argumentum, adversus satisfactionem.

modo remittendi;altero liberali;altero per satisfactionem. Hunc autem alterum modum dari nulla alia ratione comprobat, *quàm, quòd peccata sint remissa per redemtionem,quæ est in Christo Iesu*,voce redemtionis propriè accepta;quæ quàm sint partim infirma,partim falsa,vix docere desiimus. Et gratulamur sanè nobis plurimùm,& jam victoriam de Smiglecio veritatem reportasse, jure dicere possumus; siquidem aliter salvare se & causam suam non potest, quàm remissionem talem fingendo, quæ sit cum satisfactione conjuncta. Hoc nunc repeto,quod antea etiam dixeram: Magnum quidem in nos beneficiũ collatum esse dici posse, si propter satisfactionem,a peccatis vel pœna illorum liberi essemus: sed istud beneficium nec gratiæ nec remissionis nomine appellari mereretur. Ad gratiam enim constituendam necesse est eum,in quem peccatum erat, illud sponte sua remittere: ubi autem satisfactio est, a quocunque tandem præstita vel præstanda,ibi nec remissioni ullus locus est.

Smiglecius eadem otiosè repetit.

Victi Smiglecii argumenta.

Beneficiũ alicui exhiberi posse, quod tamen non sit gratia aut remissio.

Causam nostri erroris (ut ille sentit)*dicit esse,quòd confundamus remissionem, cum liberali remissione,genus scilicet cum specie,cùm tamen remissio alia sit non ex liberalitate,sed ex oblata satisfactione profecta.* At ipsemet manticæ, quod in tergo est, non videt, qui remissionem aliam in Deo ausus sit comminisci,præter eam,quæ est liberalis.Hæc enim alia de Tyrannis etiam prædicari potest,quatenus scilicet pro injuriis sibi illatis,tandem placationem & satisfactionem acceptant,& plenaria satisfactione sibi præstita injurias condonare cogitant,qualem nobis Deum, quod sanè dolendum est, vestra ista commenta confinxerunt. Imò multò crudeliorem quovis Tyranno Deum vestra statuit sententia. Nullus enim tam ferus unquam fuit, qui pro gravissima offensa tandem non admmittat aliquam placationem, licèt ea non sit par offensæ: at vos Deum talem fingitis, qui non quavis placatione accedente offensas remiserit, sed qui non nisi plenissima satisfactione accedente eas remittere voluerit. Quæ res utinam tandem vos in pudorem det, & ad rectiùs de Deo sentiendum extimulet.

Clementia cũ satisfactione juncta in Tyrannis etiam requiritur, adeoque Deo indigna.

Smiglecii sententia Deum tyranno crudeliorem facit.

Multum autem huc facit id, quod habetur Matth: 18. Ibi enim jubemur remittere aliis offensas nostras, ut ipse suas Deus nobis remisit. Iam, si Deus non nisi propter satisfactionem suas nobis remisit, nobis etiam licebit satisfactionem ab aliis postulare & non nisi illâ præstitâ offensas remittere. Quod quia absurdum, est, absurdum & illud esse necesse est, unde id consequitur. Smiglecius, ut latere cum suo errore possit, primùm offensas in debita propriè sic accepta mutat, quæ tamen sunt diversa. Debita enim exigere

Loco Matth: 18. satisfactionẽ tolli.

xigere sua quivis potest; nec illa satisfactio dicenda est, cùm quis suum repetit ab aliquo: at offensas remittere tenemur, etiamsi is, qui offendit, non tantùm pro illis nobis non satisfaciat, sed etiam satisfacere non cogitet. Tenemur enim inimicos etiam diligere, adeoq; pro illis orare. Deinde, sensum etiam parum religiosum affingit parabolæ illi, *quòd scilicet hoc tantùm Christus urgeat, ne crudeliter & sine misericordia debita exigamus, cùm ii, qui debent solvendo non sunt.* Hac enim ratione licebit tamen postulare satisfactionem pro offensis, quæ hoc in loco per debita intelliguntur; & eas non priùs remittere, quàm satisfactio aliqua interveniat, quod falsum esse in Christiana religione jam ostendimus, & per se ita clarum est, ut, qui aliter sentiat, nomine Christiano vix dignus censendus sit. Imò & debita propriè sic accepta, parum est cum misericordia exigere, & tamen ita exigere, ut satisfieri sibi pro illis velit aliquis, si is qui debet, non sit solvendo. Remittere enim ea omnino teneretur homo Christianus, nec ulla ratione curare, ut alius sibi satisfaciat pro debitore; præsertim si constet, nihil nobis decessurum, etiamsi illa remittamus, quemadmodum nihil Deo decedit cùm offensas suas remittit.

Offensæ & debita propriè accepta differunt.

Non licere ullo modo satisfactionẽ postulare pro offensis.

Quatenus debita etiam propriè nõ sint exigenda.

Porrò probationẽ ejus, quòd, cum satisfactio est possibilis, Christus non prohibeat exigere, nimis ineptam & puerilem addit Smiglecius, nempe illa Christi verba: *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari; quæ sunt Dei, Deo.* Nam & hìc de debitis propriè acceptis sermo est, non verò de offensis, ut ipsa verba indicant. Præterea longè aliud est, quòd Christus jubet eos, qui debent, reddere ea, quæ alicui debentur; ab eo, quòd is, cui debetur, satisfactionem pro alio possit exigere. Nam & Cæsar, si Christianus sit, non debet postulare satisfactionem ab alio, pro subdito suo, qui ipse solvendo non sit. Iam si Christum magistratus non norit, & ejus sanctissimis legibus subditus esse nolit, quid mirũ est, si ab alio exigat quod unus debet? Deniq; nihil prorsus huc ista Christi verba faciunt. Nam quæ reddi jubet Cæsari, ea non sunt propriè debita, qualia sunt illa, quæ quis apud creditorem conflat; nihil enim a magistratu priùs accommodant subditi, quàm reddant tributa: sed sunt onera, quæ magistratus interdum pro libitu suo illis, quos vi domavit, imperat, in quibus injustitia etiam esse potest. Hæc igitur illos, qui sunt captivi solvere jubet Christus: de satisfactione verò pro illis ab aliquo exigenda ne cogitavit quidem. Et sanè hinc constat, quàm sit a religione Christiana alienum, satisfactionem, pro eo qui debet, ab alio postulare, quòd Smiglecius nullum locum adduxerit, præter hunc, in quo nulla planè satisfactionis mentio vel umbra.

Smiglecii ignorantia.

Quomodo magistratus summus Christianus gerere se debeat adversus debitores.

Quæ dantur magistratui non esse propriè debita: sed quandoq; onera: & tamen ferenda.

Smiglecius otiosus rerum iterator.

Quæ porrò de patre cęlesti Smiglecius disserit, *qui a nobis nullam satisfactionem exegerit, sed redemtorem nobis procurarit, qui scilicet pro nobis satisfactionem præstaret, & quod ea in re eximiam misericordiam & gratiam erga nos exercuerit*, ea jam non semel sunt refutata. Quod deniq; addit, *futurum procul dubio, ut de remissione gloriari possimus, si nos fratribus nostris satisfactionem pro offensis procuremus*, egregiam sanè nos docet pietatem: sed hanc nos imitari, Deo volente, non cogitamus; & eos, qui ita facerent, juris sui tenaces, omni misericordia carentes, & deniq; sensu communi privatos judicaremus; qui, scilicet, cum simpliciter remittere aliquid potuerint, de modo tamen, quo sibi satisfieret, tam anxiè cogitârint; & semper dicere jurè possemus, eos non debitorem suum dilexisse, sed suis commodis prospectum voluisse.

Parum pia Smiglecii de remissione offensorũ sententia.

Smiglecius otiosè idem repetit.

Addit Smiglecius, me dicere, cùm satisfactio accipitur, nullam remissionem esse posse; Socinum etiam dicere, condonationem & satisfactionem repugnare: Sed quid ista differunt ab eo, quod hactenus in hoc tertio argumento tractamus? Dormitavit igitur Smiglecius, cùm ista ita separat, & planè idem pro responso affert, quod antea dixerat, nempe *diverso respectu dici, condonationem & satisfactionẽ. Condonationem respectu nostri, satisfactionem respectu Christi.* Hoc verò quàm sit futile jam satis superq; demonstratum est; nec quicquam unquam Smiglecius afferet, quo causam suam stabilire amplius possit. Ad remissionem enim & condonationem magis requiritur, ut is, de quo dici debet, quòd remittat & condonet, nihil accipiat: quàm ut is, cui remittitur, nihil det aut solvat? Itaq; ubi is cui debetur, aliquid accipit vel totum, jam nulla prorsus est remissio. Sed tantum debitum in alterum translatum est, ac debitor commutatus; quę liberatio quidem a debito appellari potest, remissio autem minimè. Quicquid enim dicatur factum esse a Deo nostri causa, id totum ad remissionem constituendam parum est, nisi etiam ex parte ipsius Dei accesserit id, quod nihil a quoquam accepit; unde constet, non tantùm nobis aliquid remissum esse, hoc est, nos a debito liberos factos esse, sed Deum etiam ipsum remisisse. Nec curandum est, quod ait Smiglecius, *dicimus nos utrumq; dici posse & debere.* Nam id quod dicit & sentit, nec sacrarum literarum autoritate, nec ulla vel per speciem justa ratione docere potest, ut hactenus vidimus.

Ad remissionem magis requiri, ut creditor nihil accipiat, quàm ut debitor nihil det

Tandem, quod prius argumentum quartum nostrum fecerat Smiglecius, perfunctoriè nunc iterum commemorat, quòd scilicet Dei liberalitas in peccatis remittendis minuatur, si quidem ex satisfactione non ex liberalitatę remittat. Sed revera pro novo argumento an-

Cur quartum argumentum a Smiglecio fingi non debuerit.

to antea afferri non debuit. Nam qui dicit liberalitatem & clementiam in eo nullam esse, si quis, cùm dimittere debitum possit, satisfactionem pro illo exigat & accipiat, quomodo non dicat etiam eandem minui? Alio ista sensu a nostris dicuntur, nempe saltem minui clementiam Dei, quam tantopere prædicat sacra scriptura, si admittatur satisfactio, & proinde præstare aliorum sententiæ nostram, quâ scilicet clementia Dei non tantùm non minuitur, sed mirum in modum augetur & ampliatur. Quia vero ipsemet Smiglecius fatetur, se suprà ad hæc etiam respondisse; satis est, ad superiùs etiam a nobis dicta, lectorem remittere.

Minui clementiā per satisfactionē.

Rationes Socini, quibus Christi satisfactionem impossibilem esse docet, defenduntur.

CAPUT XII.

PRIMUM Socini argumentum format tale: Pœna corporalis peccato debita, a nemine, præterquam ab eo qui deliquit, præstari potest. Cùm igitur Christus non deliquerit, non potuit pœnas peccatorum nostrorum exolvere. Sed non sine vitio. Socinus enim, Christũ satisfacere pro nobis non potuisse, eo probat, quòd mortem nos æternam debebamus; mors autem, sive corporalis vexatio unius, non possit effici alterius; nec id lege aut consuetudine ulla receptum esse. Itaq; responsio non ea speranda est, quæ legitima sit & directa. Videamus tamen, an vera esse possit. Ait igitur, *communem omnium sensum docere, pœnam peccatis alicujus debitam redimi poße, & redemtione in æquivalens pretium commutari.* Videsné benevole lector non hoc dici debuisse, an pœna peccatis debita commutari possit: sed an mors seu corporalis aliqua vexatio alterius effici possit. Vt enim pœna alius generis, pœnâ fortasse aliâ compensari & commutari potest: sic mors & vexatio corporalis, in nullum alium transferri potest. Ineptissimè autem, imò contra Smiglecium huc adducitur illud Danielis: *peccata tua eleemosynâ redime* &c. Nemo enim est qui non intelligat, illud eatenus tantùm verum esse, quatenus Deus interveniente eleemosyna, solet ex benignitate sua peccata hominib⁹ remittere, non verò quòd commutatio eleemosynæ pro peccato fiat. Et si ex eo conjectare licet de redemtione nostra per sanguinem Christi, jam Smiglecius videre potest, se gladium pro se jugulando obtulisse. Nempe, non esse factam commutationem peccatorum nostrorum & mortis, quam pro peccatis debebamus, cùm morte Christi; sed interveniente morte Chri-

Satisfactionem Christi esse impossibilem.

Smiglecius argumenta malè format.

Smiglecius ad rem non respondet.

Quænám pœna in alium transferri nequeat.

Quatenus peccata redimantur eleemosynâ.

te Christi, Dei benignitate factum esse, ut peccata illis remittantur, qui Christi sunt.

Nugæ Smiglecii in confingendis duobus modis satisfactionis.

Porrò ut Smiglecius, cum a veritate urgetur, duplicem clementiam statuit, sic etiam hîc novo artificio duplicem satisfactionis modum comminiscitur. Alter est, cùm pœna peccatis debita perfertur: alter, cum debita satisfactio alia re quapiã aut pœnâ redimitur; Christi verò satisfactionem, non illius prioris, sed hujus posterioris modi esse ait. Qua quidem in re, iterum turpiter se & suam causam prodit, & nostram tacitè commendat, vel saltem jurè culpari non debere innuit. Nam, si is etiam satisfactionis modus est & verus, cùm pœna peccatis debita solvitur, quis non videt, jurènos negare, Christum satisfecisse pro peccatis; siquidem pœnam peccatis debitam non pertulit; vel saltem, dum ita loquimur, nihil dicere, quod per se verum non sit, tantùm abest, ut impium & blasphemum dici debeat, quod facit Smiglecius. Quòd verò alterum istum satisfactionis modum attinet, si verus esset, certè non esset tamen proprius, & ita non admittendus, nisi aliquid aliud cogat eum admittere. Sed verum eum non esse in Christo, (ut nunc multa taceam) hoc unum ostendit, quòd nulla re æquivalenti istud præstari possit, quod nos debebamus; de quo mox dicemus plura. Priùs enim ad id aliquid respondendũ est, quod hîc parum tempestivè inserit Smiglecius de loco Ezech. 18. & aliis, quibus Deus promittit, animam quæ peccavit ipsam morituram. Dicit autem, ut supra etiam dixerat; *innocenti invito pœnam nocentis attribui non posse: at si quis ex charitate pœnæ illi sponte se subjiciat, non solùm id injustum & turpe non esse, sed & maximè honestum & laudabile.*

Smiglecius semetipsum castigat.

Quis quæso hîc fraudem Smiglecii non videt? Quæritur, an justum sit, ut innocens pro nocente puniatur, idq; a Deo: Smiglecius ait, non injustum & turpe esse; sed maximè honestum & laudabile, si aliquis sponte sua pœnas peccatis alicujus debitas subeat. Nõ de eo, qui pœnas subit, sermo est, ô Smigleci, an aliquid turpe vel honestum ac laudabile faciat; sed an is justus sit, qui innocentem, quantumvis sese pro alio nocente offerat, pro nocente puniat; & illud admittat, quod innocens pro nocente offert, perpetuò quæritur. Hujusmodi tergiversationes & terminorum, quos vocant, mutationes, nunquam adhiberet Smiglecius, nisi a veritate constrictus in summas angustias redactum se videret.

Smiglecius turpissimè terminos mutat.

Quisnám aliquid turpe & injustum committat.

Taceo nunc illud, quod fingitur, Christum se pro nobis obtulisse. Hoc enim prorsus falsum & fabulosum est, eo sensu, quo Smiglecius id accipit. Christus enim non obtulit se Deo ad pœnas nobis debitas exolvendas, priusquam Deus eas se remissurum decrevisset: Sed

Sed Deus, postquam sponte sua pœnas peccatorum se remissurum decrevisset, Christo præcepit, ut nostri causa mortem subiret.

Iam hoc absoluto, redeo ad illud quod dicere cœperam, nempe nulla re æquivalenti præstari potuisse, quod nos debebamus. Nemo enim nescit, id, quod peccatis nostris debebatur, mortem fuisse æternam: Christus verò tantùm triduanam subiit. Quę ratio tanti est ponderis, ut nisi ad errorem crassum confugerent Pontificii, ne movere quidem illam possent. Fatentur enim, *passionem Christi nec duratione, nec dolorum magnitudine, aut qualitate parem fuiße æternæ morti: valore autem illam fuiße longè majorem, imò infinitam*. Cùm verò de valore iterum interrogamus, eò tandem res devolvitur, ut dicant, *eum valorem non aliunde habere sanguinem Christi, nisi quia fuit sanguis filii Dei unigeniti, & postea* sub his verbis monstrum alentes, tandem dicunt, *quia fuerit sanguis ejus, qui naturâ Deus fuerit*. Quam deductionem dum audimus, non possumus non contemnere dogma satisfactionis, & vehementer confirmari in nostra sententia. Tam enim certum est apud nos, Christum non esse Deum illum summum, qui Deus naturâ & a seipso est: quàm certum est, solem in meridie lucere; ut suprà in responsione ad 3. Smiglecii libros prolixè docuimus. Iam, cùm credere salvâ sacrarum literarum autoritate non possimus, Christum naturâ Deum esse; satisfactio autem non nisi ab eo, qui naturâ Deus esset, præstari potuerit? nonné simul etiam credere prohibemur, satisfactionem aliquam pro nobis factam esse? Vbi enim is non est, qui satisfacere debuit, ibi nec satisfactio speranda est.

Nulla re æquivalēti potuisse præstari, quod nos debebamus.

Dogma satisfactionis sine crasso errore defendi nequit.

Sententia de Christi natura divina & de satisfactione simul se tollunt.

Nec quicquam prosunt huic deploratæ causæ loca quædã, quę Smiglecius allegat. Nam primum locum Act: 20. ubi dicitur, Deũ acquisivisse Ecclesiam sanguine suo, nõ de Christo sed de patre intelligendũ esse, alibi a nobis contra ipsum Smigleciũ abunde demonstratum est. Alter locus Ioan: 1. 14. quē ita concepit Smiglecius: *Deus factus est homo, & habitavit in nobis*, nec iisdem verbis habetur in textu, dicitur enim, *verbum erat caro, & habitavit inter nos*; nec, licèt verbũ Deus appelletur, Deus tamen naturâ esse dicitur; nam apud Deum fuisse illũ Deum, qui sermo est vel verbum, disertè affirmatur; nec denique Deum illum in natura humana aliquid passum esse vel levissimè indicatur. tantùm enim dicitur, habitasse eum *in nobis*, quod non de natura humana, sed conversatione inter Apostolos, accipiendum esse, alibi etiam prolixè docuimus. Et, licèt de natura tandem humana intelligatur, nihil cum passione in ea commune haberet. Nec enim habitatio in natura humana passionem infert necessariò. Tertius locus, in quo Dominum gloriæ crucifixum esse dicitur; nec dicit, Dominum

Infirma Smiglecii argumenta examinantur.

De loco Ioan: 1.

gloriæ fuisse Deum naturâ; potest enim is, qui naturâ homo est, Dominus gloriæ appellari & esse; nec necessariò colligi potest, eum cum crucifixus est, fuisse Dominum gloriæ. Christus enim, cùm ista scriberet Paulus, in cœlo erat. Quartus locus, Deum, qui naturâ talis est, transfixum fuisse, cùm Christus in cruce transfigeretur, tantùm dicit, quia scilicet ista contumelia, quæ legato Dei inferebatur, in Dei ignominiam cesserit. Ex quo constat, nos ad lucem istorum testimoniorum non cæcutire. sed, tum sensum illorum cum analogia fidei Christianæ congruum diligenter eruere; tum absurdas aliorum circa hæc loca opiniones detegere, & crassos errores ea esse ostendere, quæ pro mysteriis hactenus venditantur.

Dato, quòd Christus sit naturâ Deus, nullam sequi satisfactionem.

Quanquã, ut sententiæ nostræ veritas tantò sit illustrior, largiri etiam solemus adversariis id, quod falsissimũ esse censemus, Christũ fuisse Deum naturâ, nec tamen ullam satisfactionẽ præstari ab eo potuisse firmissimè docem⁹, ut ex libro de Servatore quivis, cui ista cordi sunt, cognoscere potest; quorum cùm paucula quædam Smigl: hîc quasi fugiẽs attigerit, breviter illa etiam ab ejus cavillationib⁹ vindicabimus. Primum est, quòd ex personæ dignitate non sumatur valor actionum, quia apud Deum non est acceptio personarum. Quo quid clarius? Tam enim tenetur princeps Deo obedire, quàm quivis pauperrimus, & nihilo plus valet coram Deo actio virtutis a principe, quàm a pauperrimo profecta. Smiglecius hîc, quod diceret, non habuit ipsemet. Nam ad Theologos recurrit: sed istud asylum tueri eum non potest. Non enim quid dicant Theologi, nempe Pontificii, hîc curandum est quicquam, sed quid vel Apostoli dicant, vel quid sana suadeat ratio. Sed quid dicunt Theologi? *Demonstrant*, ait, *quòd tametsi actiones nostræ physicam suam qualitatem eandem in persona digniori ac minùs digna retineant: tamen cùm illæ actiones in gratiam alicujus fiunt a persona digniori, eo ipso persona se & suam dignitatem illi alteri subiicit, & facit ut actiones eo ipso majorem valorem æstimationemque habeant, si quidem una cum illis, persona quoq; ipsa, seipsam alteri quodammodo subiicit, quod ad moralem æstimationem plurimùm valet.* En habemus Theologorum narrationem vel sententiam, sed destitutam omni ratione. Itaque contemnere eam quivis cordatus potest. Quòd enim persona una cum actione se alteri subjicit, id tunc ad æstimationem aliquam valere posse videtur, si persona ista non teneretur seipsam unâ cum actionibus subiicere alteri: at, si ipsa persona seipsam unâ cum actionibus suis alteri subjicere teneatur, nihil hoc ad valorem istum facere, quivis perspicere potest. ita verò rem se in Christo habere s. testantur literæ; is enim non tantùm actiones suas, sed seipsum

Margin notes: 1. Argumentum. — *Ad Theologos provocare frustra est.* — Christus tenebatur se Deo subjicere.

sum &

sum etiam tenebatur Deo subiicere, & seipsum, ut Paulus loquitur, humiliare & exinanire, sic enim Deus ei præceperat.

Axioma etiam illud firmum stat; Apud Deum non est acceptio personarum. Nam etiamsi fortassis id, quod princeps facit, præstet ei, quod alius homo vulgaris facit, si id quod princeps facit, faciat sponte sua: tamen cùm uterq;, tam princeps quàm vulgaris homo, aliquid facere tenetur, nihil prorsus inter factum principis & cujusvis alius hominis discriminis est. Unde leges divinæ sub V. F., non minus reges quàm alios ad supplicia trahebant.

Quando nulla sit apud Deum acceptio.

Alterum argumentum facit, quòd ex personæ dignitate vis infinita non sequatur. Quod etiam ut clarum ita verissimum est. Smiglecius quid? *Scripturam*, ait, *tantam vim sanguini Christi tribuere, quanta ad abolenda totius mundi peccata sufficiat. Hanc autem esse infinitam, quia ad infinitos homines pertineat.* Sed nec ad rem directè respondet, nec quicquam recti dicit. Ad rem non respondet. Nam objicitur, etiamsi valorem aliquem actio sumat a personæ dignitate, non tamen statim sumi debere infinitam. Ergo cùm non ostenditur, quomodo ex valore aliquo sequatur infinitus valor, ictus declinatur. Nihil autem recti dicit, duplici de causa: Primùm enim falsum est, scripturam dicere, sanguinem Christi ad peccata totius mundi, qui scilicet ante Christum fuerit, abolenda pertinere; nec id testimoniis Hebr: 9. 14. & 1. Ioan: 2. 2. comprobari potest. De loco posteriori egimus suprà, & ostendimus, per totum mundum ibi intelligi omnes infideles, qui tunc temporis erant. opponitur enim fidelibus tunc existentibus. Locus vero Hebr: 9. 14. contrarium ejus, quod ait Smiglecius, continet. Disertè enim, ait, Christi sanguinem purgare conscientiam *nostram* ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi: Ubi vox *nostram* homines sub N. F. existentes denotat, & aliis, quorum peccata quædam alia ratione olim expiabantur, opponitur. Deinde & illud falsum est, infinitos esse homines ad quos pertineat Christi sanguis. Nam si infinitos quoad numerum eos appelles, is coram Deo nullus est; si aliud quid per infinitos intelligas, multò erit ineptiùs.

2. Argumentum.

Smiglecius ad rem non respondet,

& falsum dicit.

Heb: 9. non dicit sanguinem Christi ad abolenda totius mundi peccata pertinere.

Homines non esse infinitos verè.

Istud porrò, *quia una gutta sanguinis Christi omnibus peccatis mundi, & mille mundorum par esset*, quàm sit imprudenter dictum, jam antea fusè docuimus. Nunc hoc tantùm repeto, Smiglecium, vitando unum malum incidere in aliud. Quid enim opus fuit, Christum non tantùm mortem, eamq; truculentam & execrabilem, sed etiam multa eaque gravissima ante mortem mala subire (quod scriptura innuit, cùm eum per omnia tentatum esse in similitudine nostri ait) si una

Non opus fuisse, Christum tam diram mortem subire, si una gutta sanguinis ad o-

mnia totius mundi peccata tollenda suffecisset.

gutta sanguinis Christi ad tollenda totius mundi peccata sufficiebat, & si infinita vis & valor istius actionis ex personæ dignitate fuit? Ita quocunq; se vertit Smiglecius, in errorem cum præcipitem agi, necesse est.

3. Argumentum.

Tertium affert Smiglecius ex Socino: Minimè verum esse, principis viri levem pœnam ejusdem pretii esse, cujus gravissima hominis plebeii: injustamque legem futuram, quæ idem delictum in principe (*in uno principe* habet Smiglecius) leviter puniat, in plebejo vero gravissimè. Hoc etiam quàm rectè dictum est? Smiglecius verò ita evadit: *Non dicimus in iis, qui delinquunt id habere locum, se cùm quis innocens sponte se ad satisfaciendum subjicit in gratiam alterius, ut ejus honori & injuriæ illatæ satisfaciat.* Sed nunc de eo, quod simpliciter princeps vir vel plebejus debebat, instituta erat quæstio, nulla habita ratione innocentiæ. Præterea, non satisfactio illa vera est, ubi quis se ad satisfaciendum tantùm offert; interim verò illud non patitur, quod nocens pati debebat, sed aliud quid; jam verò de plenaria satisfactione instituta est oratio.

Satisfacere & ad satisfaciendum se subjicere, differunt.

4. Argumentum.

Quartum facit. Si quis ob delictum oneri alicui propriis humeris vehendo condemnatus esset, haud satisfaceret legi, si vel alieno auxilio id præstaret, vel viribus potione aliqua mirifica confortatis: ita nec natura Christi humana si ex divina natura satisfaciat, divinæ satisfaciat (*satisfiet* habet Smiglecius) justitiæ. Quæ similitudo rem de qua agitur pereleganter illustrat & confirmat. Smiglecius dicit magnum esse in hac comparatione discrimen. *Nam qui aliena,* inquit, *ope utitur, facit sibi leviorem pœnam & non tantam suscipit, quantam ex justitia debet: At natura in Christo divina, non solùm non minuit pœnam, sed etiam facit illam infinitè plus valere, quàm sit pœna peccatis debita.* Cùm alia ratione se extricare nō posset, credidit se ludo rem confecturū. Nam cùm docere debuisset, non factam esse culpam leviorem naturæ humanæ, auxilio divinæ, ille naturam divinam ait, facere pœnam infinitè plus valere, quàm sit pœna peccatis debita; quod prorsus aliud est ab eo, quod quæritur. Et etiamsi hoc concedatur, firmum tamen manet, naturæ humanæ: levissimam factam fuisse illam pœnam, auxilio & ope divinæ naturæ. Quanquam id etiam sine omni ratione dicitur; naturam divinam facere, pœnam, quam natura humana perpessa est, infinitè plus valere, quàm sit pœna peccatis debita. Nihil enim aliud præstitit natura divina in humana, quàm quòd mortem paucos tantùm dies durantem perpessa est.

Smiglecius ludere videtur, rē alio detorquendo.

Atque hæc sunt, quæ Smiglecius ex Socino arripuit, & pro libitu suo exagitavit potiùs, quàm refutavit. Si verò quis Socini librum

ea de

ea de re perlegere dignaretur, intelliget profectò, quàm impar sit ei in hujus causæ tractatione Smiglec:, & quàm multa alia, quæ ab acutissimo quovis adversario vix excogitari possent, Socinus ipsemet sibi objecerit, & quàm copiosè & solidè ad ea omnia responderit; hæc verò, quæ Smiglecius pauca excerpsit, ita muniverit, ut nullius cavillationes metuere possint, cognoscet.

Argumentum Socini alterum tale proponit Smiglecius. Nemo sibi ipsi solvit aut satisfacit. Ergo si Christus Deo satisfecisse dicatur, consequetur, aut Christum non esse Deum, scilicet summum; aut, si Deus sit, sibi satisfecisse, quod est absurdum. Ad hoc verò nihil aliud respondet, quàm quod antea in Monstris dixerat, & a me refutatum est. Duas in Christo naturas commemorat, & earum respectu idem sibi satisfacere posse, temerè asserit; addito exemplo de anima & corpore in homine: in quo, sicut cernitur duarum naturarum inter se pugna, ita etiam satisfactionem cerni ait. De exemplo animæ & corporis in homine, habet quod legat Smiglecius & quivis alius in libro Socini de Servatore, quæ quia hîc intacta relinquit Smiglecius, non est cur in medium producam. Dixeram ego, duas in Christo naturas Smiglecium demonstrare non potuisse, nempe in tribus suorū Monstrorum partibus prioribus. Idque me meritò facere potuisse judico. Hac enim ratione indicare volui, eum non posse aliter argumenta nostra solvere, quàm si principium petat, & ea pro concesso sumat, quæ sunt in controversia. Sed addideram etiam pro solida responsione, istud duarū naturarum figmentum non posse efficere tantam voluntatum diversitatem, quanta ad satisfactionem requiritur. Iunctæ enim sunt, ex mente Smiglecii, naturę istæ divinæ unione hypostatica, & in unam personam coiverunt. Ex quo sequitur, naturam, humanam, quia in aliqua persona ut aliquod accidens hæreat, & persona ipsamet nulla sit, nihil diversum a persona sua, in qua subsistit, velle potuisse. Smiglecius omissis aliis, tantùm illud exagitat, quod naturam humanam, ut aliquod accidens, in persona divina subsistere dixeram; & *me nugari, inscitiam ruditatemq; meam prodere, & res, uti sunt, non intelligere*, satis verbosè objicit. Ego verò, quoties ista mihi a Smiglecio objiciuntur, ideo id fieri perspicio, quòd ea non admittam, quæ ipsius Ecclesia contra tam Theologiæ quàm veræ philosophiæ principia excogitavit. Quid enim? Si natura humana non subsistit in persona divina, ut accidens aliquod: certè inerit, ut substantia. Quicquid enim est, est aut ut substantia, aut ut accidens. Si inest ut substantia, quòmodo per se non subsistet? Substantiæ enim est per se subsistere, & non esse in alio. Si per se subsistit, quomodo in alio

2. Ratio, pro impossibilitate satisfactionis.

Smiglecius principium petit.

Admissis duabus in Christo naturis non inferri satisfactionem.

Cur Smiglecius plærunque contemnit adversarios.

Naturā humanam in Christo inesse ut accidens aliquod.

In alio subsistit? Hactenus quidem nulla substantia hominis dari potuit, absque persona humana; imò ipsa persona humana est substantia hominis, & vice versa. Solus Christus ex mente adversariorum talis est substantia hominis, quæ non sit persona humana. Vnde, ut alibi etiam diximus, consequitur, Christum hominem esse non tantùm diversum ab omnibus hominibus, sed omnibus hominibus inferiorem. Semper enim id, quod per se subsistit, præstantius est eo, quod in alio subsistit. Hoc verò totum, ut ff. literis repugnat, quæ Christum hominem esse, eumq; verum & integrum testantur, ita omni consolatione humanum genus privare potest, quam ex eo concipere id Deus voluit, quòd Christo, quia filius hominis est, potestatem dederit judicium faciendi. Sed hac de re plura scripsimus in refutatione libelli Smiglecii, *Verbum caro factum*, in quo Smiglecius sponte sua fatetur, Christum non fuisse integrum & perfectum hominem, quem tamen substantiam hominis habuisse hîc affirmat.

Christus ex mente Smiglecii, omnibus hominib: inferior.

Instantiam Socini hîc inserit, nullam esse solutionem, cùm is qui solvit, idipsum, quod solvit, recipit, & respondet, *eam nullam esse, admissis duabus in Christo naturis. Naturam enim humanam solvere, non recipere, naturam verò divinam recipere, non solvere.* Sed revera nulla est ista responsio. Nec enim natura humana quicquam solvit. Solvere enim actio est, actio verò est personæ. In Christo verò persona præter divinam, ex mente Smiglecii, nulla est. Itaq; si persona Christi solvit, is, qui solvit, id ipsum quod solvit, recepit.

Instantiæ Socini defenduntur.

Naturã humanam nihil solvere posse.

In Christo eundẽ recepisse, qui solvit.

Affert & aliam: Filius Patri dare nihil potest, cùm omnia, quæ sunt filii, sint etiam patris, & ad eam ita respondet, ut antea alibi in hoc libro, *Potuisse aliquid Christum Deo donare, sicut homines alii possunt aliquid donare Deo, vel offerre sacrificia, etiamsi omnia sint sub dominio Dei.* Sed astutè terminos mutat. Aliud enim est, esse aliquid sub Dominio Dei, & esse ipsius Dei. Nam & ea, quæ dæmones habent, sub dominio Dei sunt, nec tamen Dei esse dici possunt, hoc est in ipso Deo residere, vel a Deo possideri. Christus autem omnia, quæ sua erant, non sub dominio patris, sed patris esse simpliciter dixit.

Aliud est, sub dominio esse, & ipsius Dei esse.

Tandem & hoc, quod antea in Monstris pro argumento novo attulerat; nempe Christi obedientiam a Deo ipsi mandatam fuisse, ac proinde debitam; per id verò, quod quis aliàs debet, satisfieri pro alio non posse; perfunctoriè tractat, & ait, *Debitum ex obedientia non impedire satisfactionem: sed solùm, si quis ex iustitia rem illam ante debeat.* Iam si quis Christum, ex justitia etiam ante debuisse quod fecit, dicat, nonné Smiglecius semetipsum refutavit? Hoc verò ita se habere in Christo, nemo, nisi mentis inops & veritatis Evangelicæ ignarus, negare

Smiglecius infirmè rem tractat.

negare poterit. Itaque ut is, qui debet centum florenos pro se, eosdē pro alio expendere nequit; sic Christus quia debuit Deo totum illud, quod præstitit pro se, nullo modo pro nobis satisfacere potuit, cùm Deo obedivit vel passus est. Multùm autem refert, quod Christo pro passione temporali destinatum fuit exaltationis, quam nunc habet, præmium. Illud enim tantum est, ut nulli nedum pro aliis satisfactioni, sed nec merito propriè loquendo locus relictus fuerit. Atq; ita Smiglecium secutus, breviter ea refutavi, quæ nullo ille ordine, ut fucum faceret, & respondisse aliquid videretur, intruserat.

Christū ex justitia debuisse quod fecit.

Præmium exaltationis Christo datum, nec satisfactionem nec meritum admittit.

Loco colophonis iterum hoc Smiglecio objicio, quòd Socini rationibus non tantùm non satisfecerit, ut ex dictis apparet, sed nec dimidium earum recitaverit. Appello autem judicium omnium, qui unquam hanc controversiam lecturi sunt; si scilicet librum Socini de Servatore, & præsertim tertiam ejus partem legere dignabuntur. Quæ quidem oracula esse spiritus S. tam diu nobis persuasum erit, quamdiu erroris alicujus non arguentur ab aliquo. Quod futurū desperare possumus, siquidem Smiglec:, cui nec ingenium nec eruditio deest, & qui ad nectendas sophisticationes prorsus ita natus esse videtur, ut vix unquam aliter agere possit, in hac arena succubuit.

Porrò, *divinam Christi gloriam nos evertere conari*, ingens est calumnia, vel saltem nimis imprudens & audacula assertio. Ipsius enim gloria, vita & salute nostra æterna nobis charior est: & quòd talia convitia & inprecationes Smiglecii hilari animo toleramus, idipsum, licèt exiguum, non dubium tamen argumentum est, quàm chara sit nobis Christi gloria. Christi causâ piè vivere, pro ipsius ope, conamur: Christi causâ vitam profundere, si nobis daretur, quantumvis infirmitatem & indignitatem nostram agnoscamus, jucundum & beatum duceremus.

Calumnia Smiglecii refellitur.

Non conari nos Christi gloriam evertere.

Pro imprecatione autem, quâ *nos concisuros, pereunte nostra memoria cum strepitu & æternis suppliciis, impietatis nostræ (nisi resipiscamus) pœnas daturos* denunciat, meliorem ego illi mentem a Deo toties precatus sum, quoties calamum adversus eum in manus sumsi, nunc eundem precor, ut Smiglecium in aliis fidei Christianæ particulis, in quibus periculosiùs, quàm in his de quibus nunc controvertimus, erratur, Spiritu suo illustret: in his autem, de quib⁹ nunc controvertimus, si non idem nobiscum sentire velit aut possit, (quod tamen & ipsum opto) ut saltem modestiùs se erga eos, qui Christi nomen profitentur, & ejus gloriæ causâ nihil non facere aut pati sunt paratissimi, gerere velit. Hoc inprimis expendens, quòd nostra sententia

Animus autoris erga Smiglecium.

Cur præstet nostra sententia Smiglecianæ.

tentia gloriam Dei, quæ in ejus naturali justitia, hoc est rectitudine & æquitate, (quæ omniũ attributorum Dei corona est) & spontanea misericordia potissimè consistit, fartam tectam conservet: ad veram etiam pietatem & sanctimoniam, sine qua nemo Dominum videbit, perpetuum sit incitamentum: ipsius verò, ista in Deo si non tollit, saltem prorsus obscuret, & omnibus fenestram ad impietatem, (ut proh dolor videmus) vel saltem negligentiam in studio pietatis aperiat.

Recensentur quædam a Smiglecio omissa, quæ refutari non potuerunt.

Iurè autem sub finem hujus libri idem facere me posse credidi, quod antea etiam in aliis libris feci, ut, quæ a Smiglecio omissa sunt, si non omnia, aliqua saltem recenseam, & lectori judicandum relinquam, quid de responsionibus Smiglecii statuere debeat.

1. Primùm nunquam illud tangit, quòd de ira Dei, quæ in Evangelio exeritur, dixeram. Eam scilicet non ideo proponi, quòd Deus nondum fuerit propitius, cùm Christum misit; sed quod iis, qui talem ac tantam ejus benignitatem aspernaturi essent, irasci demum
2. & pœnas irrogare decreverit. Vt nec illud, quòd Deus se propitium
3. præbere potuerit, etiamsi nemo cum illo reipsâ reconcilietur. Vanitatem deinde istorum dictorum, Deum potuisse reconciliationem respuere, & nulla salutis media admittere, non agnovit, nec defen-
4. dit. Distinctionem charitatis Dei in specialem & generalem, nec veram esse docuit, nec falsam esse agnovit; &, quod caput rei est, alterutrum illorum cum ira cõsistere posse, nulla ratione probare vo-
5. luit. Locum Ioan: 3. ex quo iram in Deo mansisse, cùm Christum mitteret, antea colligebat, ut & argumenta, quibus falsitatem istius
6. sententiæ ostenderamus, ne meminit quidem ampliùs. Redemtionem nostri ab iniquitate, & a vana conversatione patrum traditionis, nusquam explicat; unde vocem redemtionis impropriè accipiendã
7. esse manifestè constat. Deum nos sathanæ cruciandos dedisse: & ex potestate illius eripere sine satisfactione noluisse, ne uno quidem verbo probavit. Et tamen, si prius negetur alterum verò affirmetur,
8. totum satisfactionis commentum corruit. Sanguinem Christi datum esse Deo in sacrificio, vel Christum se ipsum Deo obtulisse in sacrificium, nusquam etiam verum esse demonstravit. Nam non sanguis Christi Deo datus est, sed ipse Christus se obtulit Deo in cœlo inculpatum, per Spiritum æternum; & ista Christi oblatio Christi
9. sacrificium est. Peccati ipsius ablatio per Christi mortem, quomodo cum satisfctione pro peccatis consistere possit, non ostendit. Miracula magis confirmare divinas promissiones, quàm mortẽ Christi, nec antea nec nunc comprobavit. Errorem, quod 1. Ioan: 5. sola miracula divinum testimonium appellentur, cùm tamen ibi præter miracu-

miracula aquæ etiam & sanguinis, ad divinum testimonium pertinentium, fiat mentio, non agnovit. Sanguinem Christi fusum esse 12.
ad confirmandas divinas promissiones, quia fusus sit ad nos a peccatis liberandos, egregiè dici posse non agnovit, nec contrarium, quod ipse asserit, probare voluit. Explicationē suam, cur sanguis Chri- 13.
sti sanguis novi fœderis dicatur, quia scilicet efficaciter conferat, quicquid a Deo in N. F. promissum est, defendere neglexit. Vbi- 14.
nam tribuatur sanguini Christi vis peccata remittendi, & quomodo ex eo, quòd vis ei tribuantur lavandi, emundandi peccata, satisfactio pro peccatis colligi possit, exponere oblitus est, & tamen inter rationes octo cap: 28. hæc una erat. Ex eo, quòd Christus nunc in cœ- 15.
lis eodem modo peccata remittat, quo olim in terris ea remittebat, quod fatetur Smiglecius, omnem pro illis satisfactionem tolli docueram, ad quæ Smiglecius connivet. Christi sanguinem nudis ver- 16.
bis ejus, quibus miracula edidit, opposuerat, ego verba Christi non nuda sed cum sua Dei virtute conjuncta fuisse contendo. Ad hoc nihil prorsus respondet. Sanguinem Christi ex nostro sensu nihil ali- 17.
ud esse, quàm signum certum promissionum divinarum, cavillum esse dixeram. Hoc etiam non curat Smiglecius. Christi mortem per- 18.
fectiorem esse N. F. confirmationem quàm miracula, contra Smiglecium loco Rom: 8. v. 31. docueram; sed & hìc nihil responsi obtinere potui. In explicandis ss. literarum loquendi modis id sequen- 19.
dum esse, quod communis loquendi modus postulat, quod ego falsum esse dixeram, docere neglexit. Locum Petri, quo dicitur Chri- 20.
stum abstulisse peccata nostra in corpore suo super lignum, satisfactionem nullam continere, verbis illis docueram, *ut peccatis mortui, justitiæ vivamus*. Hæc omisit Smiglecius, nec verbum ad ea respondit.
Portare in corpore, Hebraismum esse; & tantūdem valere, quod por- 21.
tare vel auferre per corpus, agnoscere noluit. Vocem græcam, quæ 22.
per portavit apud Petrum conversa est, alibi ab ipso vulgato interprete, per abstulit aut exhausit conversam esse, nihil curavit. Ex 23.
eo quòd quis aliquid aufert, non sequi eum id portasse, non docuit.
Mortem Christi & sacrificium ejus, pro uno & eodem accipi debere 24.
non ostendit. Pœnitentiam satisfactionem esse non probavit. 25.
Calumniam, quòd Socinus dicat, Christi sacrificium *nullam vim* ha- 26.
bere ad auferenda peccata, ne semel quidem purgavit, aut saltem agnovit. Ignorantiam suam, quòd, dum Christi sacrificium peccata 27.
etiam futura tollere dicimus, de peccatis omnis generis id antea intellexerit, non excusavit. Locorum etiam Hebr: 6. & 1. Ioan: 2. ad 28.
hanc rem accomodationem ineptissimam esse, agnoscere se non indicavit.

29. dicavit. Falsa se nobis affingere, dum dicit, nos affirmare homines
30. post justificationem peccare non posse, confessus non est. Appli-
cationem virtutis sacrificii Christi aliquam esse, ne verbo quidem
31. uno docuit, quâ tamen magna pars ipsius opinionis nititur. Pecca-
tum ad mortem esse peccatum, in quo quis ad mortem usq; duret,
docere neglexit; quod falsum esse, simili loco Ioan. 11. v. 4. de infir-
32. mitate quæ non erat ad mortem, docueram. Seniores 24. esse pa-
33. rentes totius populi Dei, nulla ratione cõfirmavit. Turpiter a se an-
tea factum esse, quòd ab orbe condito, Christum ab hominibus pro
Messia agnitum fuisse, probaturus, a Iacobi demum tempore illud
34. demonstrare voluerit, non est confessus. Verba Iobi 19. v. 25. ad
Messiam pertinere, non docuit, imò prorsus omisit in hac sua defen-
35. sione. De thesauro donorum Christi nobis dato, quo peccata &
debita exolveremus Deo, nihil nunc prorsus dicit, quem tamen an-
36. tea crebrò jactaverat. Deum in negotio salutis non tanquam judi-
cem, sed ut Dominum absolutissimum considerandum esse, ne semel
quidem attigit: hoc verò si observetur, commentum istud satisfacti-
37. onis consistere nullo modo potest. Fabulam, quòd unâ guttâ san-
guinis Christi omnia peccata expiari potuerint, ne uno quidem ver-
bo probabilem reddere cogitavit. Reliqua, quæ nec sunt pauca
nec minima, observabit, qui scripta nostra legere unquam
dignabitur.

Sedenti in throno, & Agno, qui nos sanguine suo redemit, gloria & honor in omnia secula. Amen.

INDEX RERVM, QVÆ in his duobus libris continentur.

in sacris

 sioni Pha-

D.

F.

Filii pro-

L.

M.

Maldona-

Quæstio

INDEX LOCORUM SACRÆ SCRIPTURÆ, qui in his duobus libris vel explicantur integri, vel aliqua ex parte illustrantur.

34. 72.

2. Petr:

Errata quædam benignus lector sic corrigat.

Pag:	*lin:*	*correctio.*
36	1	astu.40.21.ut *adde.*
40	36	proponuntur.
47	1	nos 51.5.cõsensus.
62	8	*adde post* est, cõsecutura sit,
64	1	auctione
	18	*adde* vel captiosè
72	24	substantivi.
83	17	ideo 92.29.sint.
93	16	resurrexit.
100	35	eodem.
103	20	erant.
105	11	sobriam.
106	24	*pro* multi pauci.
119	34	versioni.
124	30	usitata.
138	31	quos.
	39	*adde post* æterno, dicuntur.
143	11	accenseri.
	18	*dele*, & quibusdã hominibus.
149	6	Dii.
158	17	nam.
166	9	peperit.
169	38	Christianismi. *ad margin:* cum odio.
183	6	Sãguis.
192	8	Nam 10 Num.
204	27	nullius.
235	27	*pro* nec, &.
240	39	Apostolum.
244	18	extendatur.
256	27	præstita.
257	8	*dele* enim.
260	39	*adde* non.
265	16	redemtorem.
275	4	dominio.
291	11	modus.
293	30	*adde post* scilicet, admittimus.
308	29	pœnam.